Digitized by Google

15
4
505
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE • FIRENZE •

15.4.505.

15. 4. 505

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C. SALLUSTI CRISPI

HISTORIARUM FRAGMENTA.

PLENIORA, EMENDATIORA ET NOVO ORDINE
DISPOSITA SUISQUE COMMENTARIIS ILLUSTRATA
EDIDIT ET INDICES ACCURATOS

ADIECIT

FRIDERICUS KRITZIUS,
PROFESSOR ERFURTENSIS.

ACCEDIT CODICIS VATICANI ET PALIMPSESTI TOLETANI
EXEMPLUM LAPIDI INSCRIPTUM.

LIPSIAE.
SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLIII.

Digitized by Google

Im **B. G. Teubner**'schen Verlage in **Leipzig** sind ferner erschienen:

C. CRISPI SALUSTI
CATILINA ET JUGURTHA.
ALIORUM SUISQUE NOTIS
ILLUSTRAVIT
RUD. DIETSCH.

Vol. I. Catilina. 1 Thlr. Vol. II. Jugurtha. 1½ Thlr.

ALCIPHRONIS RHETORIS
EPISTOLAE
CUM ADNOTATIONE CRITICA
EDITÆ AB
AUGUSTO MEINEKIO.

gr. 8. geh. 1⅓ Thlr.

Von der Meisterhand des berühmten Kritikers wird dem philologischen Publikum hier eine Ausgabe des Alciphron geboten, welche für die Kritik dieses Schriftstellers epochemachend ist. Die bedeutende Umgestaltung, welche der Text, selbst nach der erst jüngst erschienenen Seiler'schen Ausgabe erfahren hat, wird in beigefügten kritischen Anmerkungen ausführlich gerechtfertigt. Die äussere Ausstattung ist sehr elegant.

TRAGICORVM LATINORVM
RELIQVIAE
RECENSVIT
OTTO RIBBECK.

gr. 8. geh. Preis 3 Thlr.

Den Kern dieser bedeutenden Erscheinung bildet auf 16 Druckbogen die vollständige Sammlung und kritische Bearbeitung aller Fragmente, die durch die ganze vom Herausgeber zu diesem Zwecke eigens durchgearbeitete alte Literatur zerstreut sind. Es existirte von denselben bis jetzt weder eine nur leidlich an Vollständigkeit reichende und noch viel weniger eine in irgend kritische Gestalt gebrachte und zu zuverlässigem Gebrauche eingerichtete Zusammenstellung, und das Bedürfniss einer solchen war in der That zu einer wahren philologischen Sehnsucht geworden.

C. SALLUSTI CRISPI

OPERA

QUAE SUPERSUNT.

AD FIDEM CODICUM MANU SCRIPTORUM
RECENSUIT, CUM SELECTIS CORTII NOTIS SUISQUE
COMMENTARIIS EDIDIT ET INDICEM ACCURATUM

ADIECIT

FRIDERICUS KRITZIUS,

PROFESSOR ERFURTENSIS.

VOL. III.

HISTORIARUM FRAGMENTA CONTINENS.

LIPSIAE.

SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLIII.

Digitized by Google

C. SALLUSTI CRISPI

HISTORIARUM FRAGMENTA.

PLENIORA, EMENDATIORA ET NOVO ORDINE
DISPOSITA SUISQUE COMMENTARIIS ILLUSTRATA
EDIDIT ET INDICES ACCURATOS

ADIECIT

FRIDERICUS KRITZIUS,

PROFESSOR ERFURTENSIS.

ACCEDIT CODICIS VATICANI ET PALIMPSESTI TOLETANI
EXEMPLUM LAPIDI INSCRIPTUM.

LIPSIAE.
SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLIII.

Digitized by Google

FRIDERICUS KRITZIUS

S. P. D.

ERNESTO WUESTEMANNO.

Non Te fugit, Wuestemanne carissime, viginti paene abhinc annis me agitasse consilium Sallustiana Fragmenta edere. Ut autem rem vix inchoatam primo differrem, mox omitterem, quibus caussis factum sit, noli quaerere; nonnullae enim fortuitae fuere ac leves, plures paullo graviores, omnes vero tales, quarum meminisse haud iuvet. Ita quum tota res mihi paullatim in oblivionem venisset, neque amplius de Fragmentorum negotio cogitarem, ante tres annos amicis nonnullis graviter me adhortantibus, ut rem olim inceptam exsequerer, ad Sallustiana studia hoc impulsu regressus enixe operam dedi, ut illorum voluntati satisfacerem. Exspectationi num satisfecerim, ipse nescio; quamquam hoc affirmare non dubito, moram illam, quae inter inceptam et absolutam editionem intercessit, libro non solum non detrimento fuisse, sed, compluribus interea adiumentis accedentibus, quibus olim mihi carendum fuisset, magnam attulisse utilitatem. Neque hoc vereor, ne edendis Sallustii Fragmentis inutilem laborem ac supervacaneum susceperim, quippe quae, quamvis praestantissimis antiquitatis reliquiis annumeranda accurataque cognitione dignissima, adhuc eodem fere statu sint, quo Cortius ea reliquit, id est, in summa confusione tantaque obscuritate, ut exiguam aut nullam praestent utilitatem legentibus, ac litterarum latinarum Sallustiique studiosos absterreant magis quam alliciant. Quum igitur dubitari non possit, quin iis religiosius colligendis ac maiore cum cura emendandis, explicandis disponendisque tum egregii auctoris honori consulatur, tum plures quam huc usque ad ea studiosius tractanda invitentur, eo satis ex-

Digitized by Google

cusatum puto huius editionis consilium. Sed quomodo in eo exsequendo versatus sim, paucis Tibi, mi Wuestemanne, exponam, cui hunc librum sincerae amicitiae gratique animi publicum exstare documentum cupio.

Ac de fontibus, unde hausta sunt Fragmenta, ea tantum dicam, quae ad quasdam annotationum partes recte intelligendas necessaria sunt; nam de grammaticis et scholiastis, quibus longe maximus Fragmentorum numerus debetur, in universum nihil attinet disputare. Quod igitur nonnullis locis Nonii varias scripturas Parisinorum codicum invenies a me commemoratas, eas Mauricius Hauptius ante hos duodeviginti annos permissu Lindemanni ex huius apparatu critico ad Nonium descriptas mihi perquam humaniter transmisit. Codices illi, a Duebnero Lindemanni in usum collati, sunt hi: cod. A., reg. 7667. (olim Colb. 3977. tum reg. 5306, 3.) membranaceus, forma quarta, seculi IX., Nonium plene continens praeter cap. III. de indiscr. gen. — cod. *α*., reg. 7666. (olim Colb. 4919.) membran., forma quarta, sec. X. exeunte scriptus, capitibus III. de indiscr. gen. et IV. de varia signif. carens, ac ceterorum usque ad c. VII. (de impropriis) epitomen modo praebens. — cod. *δ*., reg. 7665. (olim Philiberti de la Mare 263.), membran., forma quarta, seculi X. exeuntis; epitome totius libri, capitibus III. et IV. carens. — cod. *γ*., 7577. (olim. Maz.), membran., fol. minoris moduli, seculi XV. — cod. *φ*., 7574 A. (olim Maz.) chartaceus, fol., sec. XV. — cod. σ., Sangerman. 1186. (olim Bibl. Seguerianae, tum Coislinianae) membran., sec. XV. ineuntis. Habet is cap. III. de indiscr. generibus.

Orationes quattuor et duae epistolae, quae ex Historiis integrae ad nos pervenerunt, cum ceteris in Catilina et Iugurtha lectis orationibus et epistolis ac praeterea duabus Pseudosallustii epistolis ad Caesarem de republica ordinanda iam mature in unum quasi quoddam corpus collectae sunt, seorsumque a duobus maioribus operibus descriptae aetatem tulerunt. De codicibus, quibus continentur, accurate egit Orellius in Historia critica Eclogarum ex Sallustii Historiarum libris, Turici 1833. edita. Qui quidem innotuerunt, sunt hi: *Vaticanus* 1. sec. X. n. 3864. totam *συλλογὴν* exhibens. Primum collatus est a Gerlachio; accuratius deinde et summa

Digitized by Google

fide a Theod. Heysio descriptum exemplum Orellius simul cum Velleio evulgavit a. 1835. Maxima eius est in plerisque auctoritas, qua effectum est, ut plurima vitia in illis orationibus et epistolis, vel interpolatione vel incuria editorum orta, tolli potuerint. — *Vaticanus* 2. sec. XV. n. 649. sive Urbinas n. 411., tantummodo orationes et epistolas ex Historiis continens. Collatus est hic quoque a Gerlachio, sed minorem praestat quam Vat. 1. in emendandis Sallustii verbis utilitatem. — *Vaticanus* 3., hodie non amplius cognitus, cuius lectiones Ludov. Carrio a Puteano accepit. Conspirat plerumque cum Vaticano 1. Quartus praeterea num fuerit Vaticanus, valde dubium est; nam qui aliquoties commemoratur Vaticanus Bongarsii, non videtur diversus fuisse a Carrionis Vaticano, propter summum cum illo consensum; cuius lectiones quum Bongarsius, quemadmodum satis probabiliter coniecit Orellius, exemplo editionis Carrionianae, in bibliotheca Bernensi asservato, ascripsisset, singulis lectionibus hac nota addita *Vat.*, ex novo codice eas desumpsisse creditus est. — Ad hoc duobus codicibus, qui orationes et epistolas continerent, usus est Ciacconius, ac postea Ursinus. Non fuerunt illi magnae auctoritatis, ac videntur perditi esse. Denique commemorandus codex Wassii Balliolensis, neque accurate collatus, neque bonitate insignis.

De eximio Fragmento libri tertii (III, 77.), quod duobus foliis laceris, ex antiquissimo primi vel secundi seculi codice servatis, continetur, ac mirificas virorum doctorum sententias excitavit, pessimeque habitum olim vulgabatur, haec sunt tenenda ad varios priorum editorum errores cognoscendos. Duo illa folia primus possedit Petrus Daniel (1530 — 1603), iurisconsultus doctissimus et antiquarum litterarum studiosissimus Parisiensis, qui ea haud dubie ex alicuius monasterii bibliotheca, quam coniicio fuisse abbatiae Benoitinae ad Ligerim, ubi iuri dicundo erat praepositus, sibi paravit. Is compluribus schedarum memorabilium inspiciendarum ac describendarum fecit copiam. In iis fuit Andreas Schottus, qui tres particulas maiores (§. 1 — 2; §. 16 — 18; §. 9 — 11.) sua manu descriptas Iusto Lipsio misit, a quo acceptas Ianus Dousa primus evulgavit in libro, qui sic inscribitur: Iani

Douzae, Nordovicis, ad C. Sallustii Crispi Historiarum libros Notae: cum luculenta Fragmentorum aliquot accessione hactenus non editorum. Antwerpiae, 1580. Dousa autem quum Danielem sciret ad Servium edendum magnum apparatum criticum sibi comparasse, ex eo illas Historiarum particulas desumptas putans, *vetustas P. Danielis schedas Servianas* appellavit, quo factum est, ut per omnes fere Sallustii editiones, quae quidem Fragmenta exhibent, falsa notitia propagaretur in vetusto Servii codice illa Fragmenta inventa fuisse. Aliud paullo plenius ex archetypo descriptum exemplum habuit Iacobus Augustinus de Chevanes, iurisconsultus Divionensis, ex cuius bibliotheca id in notitiam venit Iosephi de Bimard la Bastie. Qui quum ignoraret tres eius particulas iam dudum a Dousa evulgatas esse et pro Sallustianis agnitas, in mirificam opinionem incidit has esse reliquias monumenti antiqui, sive annalium maximorum sive librorum linteorum, commentarioque illustratas misit Muratorio, qui eas Thesauro Inscriptionum, Mediol. 1739. Tom. I. p. 1 sqq., inseruit. Idem postea ibid. Tom. II. p. 1 sqq. rem ita retractavit, ut Dousae iudicium Sallustio Fragmenta tribuentis, de quo interim compererat, vanissimis de caussis improbaret, sententiaeque suae olim propositae novum argumentum hoc haberet, quod codex quidam Puteanus, qui postea in bibliotheca fuit procuratoris regii Ioly de Fleury Parisiensis, aliud Fragmentorum apographum simul cum plurimis inscriptionibus Romae collectis contineret, quo scilicet hoc patere putavit, etiam illis foliis antiquissimis non verba alicuius scriptoris, sed vel titulum aliquem vel annalium maximorum particulam fuisse perscriptam. Ex Muratorio autem haec Fragmenta petiit et Debrossius et Gerlachius in ed. mai., uterque sine iudicio et magna negligentia in iis tractandis versatus. Tantum de apographis in Gallia factis. Folia antiqua ipsa post Petri Danielis mortem cum aliis eius libris manu scriptis pervenerunt in possessionem Dionysii Petavii, qui postea hos codices Christinae, Suecorum reginae, vendidit. Ita ex Gallia Holmiam delata folia Sallustiana vidit ibi in reginae bibliotheca Isaacus Vossius anno 1651, ut constat ex quadam eius epistola a. d. IV. Id. Iul. eiusdem anni ad Nic. Heinsium data; v. Burmanni Syllog.

Epp. a viris illustribus scriptarum Vol. III. p. 619. Eadem non vidit solum, sed etiam in usum suum convertit, qui eodem tempore Holmiae versabatur Christinae gratia vel maxime florens, Ioannes Freinshemius, Supplementis Livianis libri XCV. c. 5 — 10. inserens, quae columna 1. 2. 3. 4. 6. et 7. continentur, ex ipso archetypo hausta. Nam quod in margine c. 5. antestatur *Sall. Fragm. ex Biblioth. Reg.*, iam Saxius in Onomast. Liter. Vol. I. p. 168. recte vidit eo significari Christinae reginae bibliothecam. Postea, quum singularis ingenii femina mira sive mentis humanae inconstantia sive fatorum vicissitudine Romam esset delata, ibique a. 1689. mortua, cum relicuis eius bibliothecae codicibus etiam Fragmenta Sallustiana in bibliothecam Vaticanam pervenere. Ibi latuerunt, ut multa alia fortasse non minus egregia et latent et latebunt aeternis tenebris oppressa, donec Niebuhrius a. 1817. ea repperit et accuratissime descripta Kreyssigio transmisit, a quo tempore tam laeta iis lux affulsit, ut, quae antea incredibiliter deformata essent, et tanquam res desperata agmen Fragmentorum clauderent, iam splendidissimis reliquiarum Sallustianarum partibus annumeranda sint. Kreyssigius enim, qui iam anno 1811. eam Fragmentorum partem, quae columna secunda continetur (§. 3—5.), satis acute ac feliciter emendatam edidisset, Niebuhrii apographum nactus duabus commentationibus doctissimis, a. 1828. et 1829. Misenae editis, tanto acumine ac criticae artis peritia in his Fragmentis emendandis, ordinandis atque explicandis versatus est, ut pauca tantum superessent, quae propter nimias lacunas incertaque litterarum vestigia restituere non valeret, in ceteris fere rem absolveret. Haud postremum vero eius meritum est, quod singulorum Fragmentorum inter se nexum foliorumque ordinem non solum acutissime divinatus est, sed etiam tam certa via demonstravit, ut ne minima quidem dubitatio de veritate inventi huius ad totam Fragmentorum explicationem gravissimi relicta sit, ac non nisi ii, qui, si quid mentis acie videndum est, nihil vident, sed eorum, qui et ipsi nihil viderunt, auctoritati credunt, pronuntiare non erubescant ex laceris Fragmentis de ordine nihil certi statuere licere; cf. Gerlach. Vol. III. p. 384. De forma Fragmentorum externa, quam repraesentat eorum

exemplum lapidi inscriptum, quod in fine huius libri exhibui, haec Tibi, mi Wuestemanne, habeo narranda. Continentur illa duobus foliis formae, quae dicitur, quartae, non modo cohaerentibus, sed etiam verba auctoris continua serie praebentibus, quo intelligitur non alia folia iis fuisse interposita, sed medium ea in quaternione habuisse locum, ut ostendit haec descriptio:

Aa Ba Ca Da Db Cb Bb Ab

Utrumque folium (Da Db) in singulis paginis duas habet columnas, vicenos versus continentes litteris maiusculis optimis exaratos, quorum summus ubique evanuit; neutrum tamen integrum est, sed vario modo mutilatum. Prioris enim (Da) dexterior pars ita abscissa, ut, quum latitudo laciniae descendendo cresceret, in summa pagina paucae modo litterae desint, in ima paucae supersint. Ita in paginae primae columna secunda versuum fines, in paginae secundae columna prima versuum initia manca sunt et in ima parte ita mutilata, ut restitui non possint. Posterius folium (Db) bis scissuram expertum est, lacinià, quae duodecim fere litterarum spatium aequabat, ex media columna quinta exscissà. In duas igitur partes abiit hoc folium, quarum prima, priori folio adhaerens, constat initiis versuum columnae quintae in pagina adversa, et finibus versuum columnae octavae in pagina aversa; altera habet extremas litteras columnae quintae cum integra columna sexta in pagina adversa, et integram columnam septimam cum primis litteris columnae octavae in pagina aversa. In tali Fragmentorum condicione quum per se minime constaret, abscissa pars folii secundi ad hoc ipsum, an ad aliud pertinuisset, Kreyssigius feliciter observato tum quintae tum octavae columnae finales versuum syllabas cum initiis sequentium versuum in iusta vocabula coire, id quod postea accuratiore foliorum collatione clarius etiam patuit, totam hanc quaestionem ad liquidum perduxit. Non minus scite idem, quum et priores editores de ordine Fragmentorum prorsus caecutiissent, et vel in Niebuhrii apographo incertum esset, utrum id folium, quod quattuor pleniores columnas continet, praecederet

alterum, an contra, verum esse docuit eum ordinem, quem ipso auctore secutus sum. Quum enim prioris folii columnae quattuor aperte inter se cohaereant, neque minus certum sit etiam sextae ac septimae columnae Fragmenta inter se cohaerere, quoniam in illis Varinii milites partim autumni gravitate aegri fuisse, partim ex fuga ad signa non rediisse, et relicui militiam detrectasse dicuntur, in septima autem columna Spartacus, *priusquam refecto exercitu adesset Varinius* ad Nares Lucanas atque inde ad Anni Forum pervenisse tradatur, luce clarius est illa in narratione priorem locum obtinuisse, haec subsecuta esse. Ita quum Kreyssigius ope apographi Niebuhriani egregiam Fragmentis Sallustianis operam praestitisset, felici quodam casu factum est, ut Angelus Maius eadem in Classicorum auctorum e Vaticanis codicibus editorum Tom. I., Romae 1828., p. 414 — 425. ex ipsis schedis Vaticanis evulgaret, earumque accuratissimum et affabre factum exemplum tribus tabulis aeneis incidendum curaret. Quamquam autem Maius complura, in quibus extricandis Niebuhrius frustra laborasset, oculorum acie et antiquorum codicum legendorum summa peritia felicius eruit, quo imprimis hoc effectum est, ut de nexu columnae quintae divulsae, quem Kreyssigius coniectura assecutus fuerat, iam nulla dubitatio relinqueretur, in ordine tamen Fragmentorum constituendo tam sinistrum se et ingenio hebetem ostendit, ut omnia confunderet, summa imis misceret, et a vero mirum quantum aberraret. Nam ex columna prima fecit quintam, ex secunda sextam, ex tertia septimam, ex quarta octavam, ex quintae lacinia sinistra nonam, ex quintae lacinia dextra secundam, ex sexta tertiam, ex septima quartam, ex octavae lacinia sinistra primam, ex octavae lacinia dextra decimam. Quos eius errores ut refelleret ac simul cognitis certioribus lectionibus ad emendanda Sallustii verba uteretur, Kreyssigius Maii de Vaticanis Fragmentis disputationem typis repetendam curavit, succinctoque commentario instructam simul cum codicis Vaticani exemplo lapidi inscripto edidit, Misenae 1830. Paulo post a. 1831. prodiit Gerlachianae editionis maioris Vol. III., quo commentarius quum ad cetera Fragmenta, tum ad haec Vaticana continetur. Eius libri peculiaris indoles

Kreyssigium denuo ad ea tractanda vocavit, ut ex ipsis eius verbis cognosces; in Praef. enim p. VI. „Gerlachium, inquit, non solum in his Sallustianarum Historiarum reliquiis sive emendandis sive explicandis negligentissime versatum, sed etiam commentatione nostra atque editione Romana nostris adnotationibus locupletata ineptissime abusum esse intellexi. Ne igitur eorum, quae Gerlachius per imprudentiam peccavit, reus agerer, et lectoribus utroque opusculo meo carentibus delirasse viderer, mihi temperare non potui, quominus omni illa errorum Gerlachianorum vanitate convincenda famae consulerem.“ Omnia igitur, quae olim variis temporibus ad haec Fragmenta illustranda scripserat, in unum collecta, aucta, novisque argumentis firmata comprehendit libro, quem sic inscripsit: Commentatio de C. Sallustii Crispi Historiarum lib. III. Fragmentis, ex bibliotheca Christinae, Suecorum reginae, in Vaticanam translatis, atque Carminis Latini de Bello Actiaco sive Alexandrino Fragmenta, ex volumine Herculanensi evulgata. Iterum edidit I. Theoph. Kreyssigius. Misenae 1835. Quae commentatio doctissima quantam mihi utilitatem in Fragmentis Vaticanis explicandis praebuerit, suo loco apparebit.

Alia quaedam vetustate non minus insignia Fragmenta (II, 47. 49. 50, 1.), quae in hac editione primum suo loco comparent, lacero debentur folio palimpsesto, quod Heinius Berolinensis litterarum caussa Hispaniam peragrans Toleti repertum emptumque bibliothecae regiae Berolinensi dono obtulit. Eius exemplum Pertzius a. 1848. aeri affabre incisum et, quantum potuit fieri in re nova et obscura, illustratum edidit sub hoc titulo: *Ueber ein Bruchstück des* 98. *Buchs des Livius;* non dubitans, quin verba hunc auctorem haberent et ad illum eius operis librum deperditum pertinerent. Id quum aliis persuasisset, tum persuasit Kreyssigio, qui duobus libellis doctissimis a. 1849. et 1852. editis, quorum prior sic inscribitur: *Commentatio de T. Livii Historiarum reliquiis ex palimpsesto Toletano eruti;* — posterior hunc habet titulum: *Curae secundae ad T. Livii Historr. reliquias* etc., plurimos Pertzii errores haud sane leves correxit, et imprimis hoc recte vidit, paginarum ordinem ab eo esse inversum, ut, quae re vera prima est, falso apud illum secunda sit, et contra. Qui deinde de novis

Fragmentis egerunt, ut Mommsenius in Berichte über d. Verhandlungen d. Kgl. sächs. Gesellsch. der Wissensch. zu Leipzig, Philolog. histor. Classe, Vol. II. P. 3. p. 196 sqq., Huschkius in Zeitschr. f. geschichtl. Rechtswissenschaft, Vol. XV. P. 3. p. 273 sqq., Weissenbornius in Praefat. ad Livii Vol. VI. p. XV sqq., et Bergkius in Zeitschr. für d. Alterthumswiss. a. 1848. P. X. No. 110. p. 880., tum Pertzium secuti Livium auctorem verborum habent, tum in incerto relinquunt, utrum is an Sallustius auctor putandus sit. Sed huius Historiarum esse Fragmenta primum Rothius Basileensis in Museo Philologiae Rhenano a. 1852. Vol. VIII. P. 3. p. 433—40. sollerter suspicatus est, deinde Heerwagenius Baruthinus in Kreyssigii ad me data *Epistola de C. Sallustii Crispi Historiarum lib. II. reliquiis ex Palimpsesto Toletano erutis.* Misenae 1852. tam luculenter demonstravit sagaciter invento mutilatis quartae columnae verbis contineri Cottae orationis initium, ut dubitationi de auctore non amplius sit relictus locus. Codex Sallustii antiquissimus, Pertzio iudice primo p. Chr. n. seculo scriptus, forma quarta, quae dicitur, erat maxima, tres columnas in singulis paginis habens, quarum unaquaeque vicenos continebat versus, vicenis plerumque litteris compositos. Folium inde servatum, in quo post abrasam antiquam scripturam particula ex Hieronymi Commentario in Iesaiam lib. XIII. c. 49. (Tom. IV. p. 566. ed. Vallarsii, Veronae 1735.) binis columnis exarata est, abscissâ utrinque lacinià mancum evasit, ita quidem, ut in adversa pagina ex tribus prioris scripturae columnis prima columna cum maxima parte secundae perierit, in aversa vero primae columnae initia, longe maxima pars secundae, ac tota tertia desiderentur. Litterarum forma quamquam antiquissimam prodit aetatem, uncialibus enim scriptus est Sallustii textus optimis lectuque facillimis, librarius tamen intentam curam non adhibuit, saepiusque in singulis litteris peccavit, cuius negligentiae vel in hoc exiguo Fragmentorum ambitu aliquot exempla deprehenduntur. Pertinet autem folium Toletanum ad eam secundi Historiarum libri partem, ubi auctor de rebus urbanis et de senatus rationibus imperii administrandi exposuit; quare dubitari non potest, quin Fragmenta locum suum ante Cottae orationem obtineant, quum huius

ipsius orationis initium extrema folii columna contineatur. Folii palimpsesti tum scripturae vetustate, tum ipso argumento satis memorabilis, exemplum lapidi inscriptum in fine libri exhibui.

Universum Fragmentorum recte tractandorum negotium quum non magis pertineat ad criticam verborum emendationem, quam ad eorum interpretationem et iustam dispositionem, haec omnia non solum ita inter se confusa sunt, ut plerumque nihil eorum sine altero fieri possit, sed etiam vel maxime pendent ex totius operis forma et argumento; quod ipsum quamquam tantummodo ex singulis Fragmentis constitui potest, tamen rursus tantam vim habet ad illas partes emendandi, explicandi, disponendi cum successu exsequendas, ut, qui ad eam rem vel animum non attenderit, vel perversam opinionem mente conceperit, non possit, quin in multis a vero aberret in gravissimosque errores incurrat. Nihil magis igitur cupio, quam ut ea, quae de operis Sallustiani indole et forma explorasse mihi visus sum, Tibi, Wuestemanne carissime, acutissimo veritatis reconditae investigatori, probentur assensuque Tuo gaudeant.

Quo anno scriptae editaeve sint Historiae, quamquam nullo veteri documento proditum est, tamen coniectura ita potest constitui, ut proxime ad verum accedatur. Catilina enim, quod primum fuit Sallustii opus (cf. c. IV.), quum Caesare demum mortuo esset compositus, ut patet ex c. LIII, 6. et LIV., non prius quam anno a. Chr. n. 43. aut adeo 42. evulgari potuit. Eum secutus Iugurtha num proximo statim anno fuerit editus, an paullo serius, non constat; sed ex eo, quod Sallustius c. XCV, 2. declarat de Sullae natura cultuque paucis se dicturum, quia alio loco de eius rebus non dicturus sit, quum tamen in Historiarum libro primo multis de eius bello civili, dictatura morumque foeditate egerit, hoc certe liquet, tum, quum Iugurtham scriberet, nondum eum Historiarum scribendi consilium cepisse. Igitur si Iugurtha anno 41. a. Chr. n. absolutus fuit, neque auctor statim ad Historias componendas se contulit, non abhorret a verisimilitudine, quadragesimo demum vel undequadragesimo a. Chr. n. anno inceptas fuisse Historias, et paucis ante Sallustii mortem annis, quae incidit in annum 35.

a. Chr. n., editas. Rei per se non admodum incertae Linkerus de Historr. Prooemio p. 82. satis sagaciter argumentum etiam hoc esse suspicatur, quod Sallustius M. Antonium triumviri patrem valde ignominiose notavit (Fr. III, 65.). Quod quum Antonio triumviro in urbe summam vim obtinente vix impune fieri potuisset, valde probabile est Sallustium haec et talia scripsisse, quum ille iam se ita in Oriente gereret, ut Romam non rediturus videretur. Non abiit autem ex Italia ante annum 39. a. Chr. n.; quare vel hoc vel proximo anno Sallustius opus composuerit. De quo scribendi tempore quum vix dubitari possit, ex eo patet etiam, falsum esse, quod nescio quo auctore vulgatum etiam a Baehrio in Histor. Litter. Rom. Vol. II. p. 70. (ed. III.) repetitum est, Lucullo, eius, qui Mithridatem vicit, filio, dedicatas fuisse a Sallustio Historias. Periit enim ille testibus Velleio II, 71, 2. et Valer. Max. IV, 7, 4. Philippensi proelio, anno 42. a. Chr. n. commisso, quo Sallustius de Historiis scribendis nondum cogitavit.

Quibus caussis auctor ad Historias componendas animum appulerit, si quaeratur, respondendum est, non alias habuisse, quam quibus commotus fuit, ut Catilinam et Iugurtham ederet. Nam quum summo flagraret libertatis amore ac per totam vitam, ex quo ad rempublicam accessit, nobilium factioni paucisque potentibus adversaretur, ac plebis caussam, quam ab illis oppressam aegre ferebat, meliorem haberet, postquam Caesare interfecto omnia misceri imperiique cupidine in insontes cives saeviri coeptum est, tantum eum turbarum civilium taedium cepit, ut relicuam aetatem procul a republica habendam decerneret et ad otium litteratum se conferret; cf. Catil. c. IV. Iug. c. III. et IV. Ad res scribendas igitur quum se dedisset, postquam in minore argumento, quod singulari tantum sive facinore, sive bello constaret, elaboravit, ad maiora progressus est, universas populi Romani res per duodecim annos (78—67) belli domique gestas accurata narratione persecutus. Cur autem hos potissimum annos illustrandos sibi sumpserit, non est difficile ad videndum. Nullo enim unquam tempore post magnitudinem nominis Romani respublica maioribus domesticis atque externis laboravit periculis, tot tantisque undique simul hostibus ingruentibus, ut imperium Roma-

num vix servari posse videretur, ac non nisi felicitate quadam Romanorum propria, patriciorum summa constantia ac pertinacia, denique ipsa adversariorum culpa postremo vires reciperet. In Italia enim Sullae nobilitatisque victoria, innumeris civium caedibus, proscriptionum asperitate, direptionibus divitum, eorum, penes quos vis erat, insolentia oppressae partis tantopere exacerbati erant animi, tantum excitatum nobilitatis odium, ut, ubi primum data esset occasio, summa vi ad ulciscendam iniuriam exsistere viderentur, Lepidoque duce tumultum moverent acerrimum, quo si vicissent, summa omnium rerum conversio maximaque calamitas esset consecuta. Tum Sertorius, vir ingentis animi acerrimusque Sullanarum partium adversarius, certamen contra optimates, in Italia haud prospere susceptum, ita in Hispaniam transtulit, ut gentibus bellicosissimis in societatem consilii tractis formidolosissimus antiquo imperio Romano hostis fieret, summos belli duces per complures annos eluderet maximisque afficeret cladibus, ac, nisi fraude suorum cecidisset, parum abesset, quin ipsam imperii sedem invaderet, ubi perpetuo ei cum iis, qui eadem moliebantur, intercedebat arta coniunctio. Ei par ingenii magnitudine, fortitudine ac consiliorum audacia, opibus vero multo superior Mithridates Ponti rex eodem fere tempore tantis viribus tantoque ardore novum bellum sumpsit, ac per multos annos ita gessit, ut non nisi cum excidio imperii Romani finiturus esse videretur. Quae omnia quamquam gravia erant, multumque negotii Romanis facessebant, alia tamen accedebant, quae angustias illorum temporum adhuc augerent. Nam quo tempore acerrimum flagrabat in Hispania Sertorii bellum, eodem in Macedonia et Thracia cum gentibus ferocissimis per complures annos bellabatur, magnique exercitus in illis terris habebantur; non minores vires exigebant aliquoties facti conatus piratas reprimendi, qui per illa tempora maria omnia infestabant, eoque insolentiae processerant, ut contempto imperio Romano ipsam Italiam invaderent commeatibusque interceptis urbem summa fame premerent; denique crudelissimum ac praeter exspectationem ortum bellum servile tantis Romanos cladibus perculit, tantoque terrore urbem implevit, ut, quomodo extrema mala effugerent, diu non haberent. His igitur

bellis fere simul flagrantibus quum non modo vires imperii in diversissimas partes distraherentur, sed etiam aerarium tantis sumptibus vix aliqua ex parte sufficeret, praesertim quum vectigalia parcius redirent, in urbe vero ipsa gliscerent contentiones de recuperandis iuribus a Sulla plebi ereptis, nemini, qui haec reputaverit, dubium esse potest, quin illo tempore status reipublicae Romanae valde afflictus fuerit ac prope desperatus. Nulla igitur rerum Romanarum pars quum uberiorem praeberet materiem historiarum auctori, non mihi videor a vero aberrare, si statuam, hanc ipsam habuisse Sallustium caussam, cur illud potissimum tempus operi suo deligeret, neque minorem cum hoc iudicio historici egregii laudem meruisse, quam insigni arte, qua in tractando argumento usus est. Haec si Tibi, mi Wuestemanne, ut spero, probabuntur, non opus erit, ut multis refellam Gerlachii opinionem Vol. III. p. 48. propositam, Sallustium id maxime consilium in componendis Historiis secutum esse, ut Sisennae opus belli civilis Sullanique, quemadmodum Velleius II, 9, 5. loquitur, i. e. de bello sociali atque Sullae civili, continuaret, eamque ob caussam ab anno 78., in quo illum desivisse vult, opus suum inchoaret. Quae opinio quam vana sit, quantisque nitatur erroribus, prorsus incredibile dictu est. Nam quod vir acutissimus l. l. dicit nulli historico Sallustium plus quam Sisennae tribuisse, quippe quem in Iug. c. XCV, 2. referat *optume et diligentissume omnium Sullae res persecutum esse*, vel non vidit auctorem addidisse *illum parum sibi libero ore locutum videri*, vel non intellexit maximum gravissimumque his verbis contineri vituperium. An probabile est Sallustium, veritatis studiosissimum, qui se profiteretur *quam verissume posset* de Catilinae coniuratione absoluturum (c. IV, 3.), quique in ipso Historiarum prooemio (Fr. I, 6.) testaretur *non se divorsam partem in civilibus armis movisse a vero*, Sisennae, nobilitati atque Sullae ita obnoxio, ut eorum pestifera civitati consilia non castigaret, flagitiosa facta leni oratione obtegeret, bonorum adversae partis egregia sileret (v. ad Fr. 1, 57.), tantum tribuisse, ut eius Historiam belli socialis ac Sullani civilis, illam quidem parum libero ore scriptam, continuare in animum induceret? Quin valde ei displicuisse, quae Sisenna, Sullae

laudator, de eius rebus scripserat, aperte ostendunt verba eius Iug. c. XCV, 4.: „Atque illi felicissumo omnium *ante civilem victoriam* nunquam super industriam fortuna fuit, multique dubitavere fortior an felicior esset. *Nam postea quae fecerit, incertum habeo, pudeat magis an pigeat disserere.*“ Ita igitur quum de Sulla sentiret, faciendum sibi putavit, ut in Historiarum prooemio, antequam ad res anni 78. accederet, universum illud tempus, quod Sisenna opere suo complexus erat, breviter quidem, sed ita perstringeret, ut quam detestabilis ille fuisset bello civili libertate populi Romani plane oppressa, libero ore explicaret (v. Fr. I, 34—40.), quantumque vera, aperta et ingenua rerum narratio, quae testis esset temporum ac lux veritatis, distaret a fucata partiumque studio obscurata historia, graviter ostenderet. In tanta autem operis Sisenniani diversitate sui prorsus dissimilis ac paene ineptus fuisset, si Historias voluisset ita illud excipere, ut continuasse videretur. Quod Gerlachius vero ad opinionem suam confirmandam addit, haud minimam eius consilii caussam in eo fuisse positam, *quod ipse illorum temporum fuerit aequalis, et recte iudicaverit summam historiae laudem iis in rebus illustrandis esse positam, quae ipsius scriptoris memoria gestae sint*, incertum habeo maiorem in eo ignorantiam, an iudicii perversitatem esse dicam. Nam si nescivit Sallustium M. Lepido Q. Catulo coss. octo annorum fuisse puerum, ignorantia est; sin putavit ad historiam recte scribendam sufficere, si quis ea tempora describat, quae in ipsius pueritiam inciderunt, qua aetate adolescentuli aliis omnibus potius, quam rebus publicis ac civilibus intenti esse solent, nedum eas intelligant, profecto haec sententia puerilis dicenda est.

— Quod supra dixi Sallustium Historiis duodecim annorum spatium (78—67. a. Chr. n.) complexum esse, id tum externis argumentis tum internis probatur. Ex illo genere est testimonium Ausonii Idyll. IV, 61 sqq., ad opus Sallustianum ita alludentis:

> Iam facinus, Catilina, tuum Lepidique tumultum,
> Ab Lepido et Catulo iam res et tempora Romae
> Orsus *bis senos seriem connecto per annos;*

Iam lego civili mistum Mavorte duellum,
Movit quod socio Sertorius exsul Ibero.

Quibus verbis quum planissime pateat temporis ambitus, quod Sallustius Historiis persecutus est, haud spernenda Ausonii auctoritati confirmatio eo accedit, quod nullum omnino Fragmentum exstat, quod ultra seditionem in Luculli exercitu ortam ac legem Gabiniam descendat; quae quum anno 67. a. Chr. n. facta sint, satis certum videtur, auctorem in rebus huius anni enarrandis finem operi quaesivisse. Neque sine iusta et gravi caussa eum hoc instituisse consentaneum est. Nam si verum est, quod supra posui, auctorem id sibi illustrandum sumpsisse tempus, quo imperium Romanum mole ingruentium undique malorum parum ab interitu abesse videretur, non potuit ultra annum 67. progredi, quippe quo afflictus ille rerum status iam ita esset mutatus, ut respublica periculis omnibus dispulsis rursus confirmata antiquam vim reciperet, neque amplius de salute publica esset timendum. In Italia enim motus civiles erant compositi planeque sepulti; bellum servile, unde summum instabat periculum, radicitus exstinctum; in urbe vero restituta potestas tribunicia animos popularium partium ita deliniverat, ut contentiones illae, quibus civitas per complures annos agitata fuerat, prorsus obmutescerent. Hispania, Romanis paene erepta, post Sertorii mortem rursus in ditionem erat redacta; feroces Macedoniae et Thraciae gentes ita devictae, ut rebellare non auderent; piratarum vetus malum prorsus sublatum, denique Mithridates ita fractus viribusque imminutus, ut diutius resistere non posset facilemque victoriam praebere videretur. Quae qui reputaverit, facile sentiet proximorum annorum res non ita comparatas esse, ut Sallustii consilio responderent, dignamque Historiis, quibus res gravissimas illustrare decrevisset, materiem praeberent. Nam quum post annum 67., ceteris fere omnibus imperii partibus pacatis, Pompeius in Asia magnas quidem res gereret, sed iam tanto insurgeret fastu, ut paene solus imperium Romanum moderaretur, nutu suo ac voluntate omnia ageret, multisque iam propter nimiam potentiam formidolosus videretur (cf. Catil. c. XIX, 2.), Sallustius, qui cum magno in

odio haberet, et quam vanus, arrogans, dissimulationis plenus dominandique cupidissimus esset, saepius in Historiis ostenderet (cf. Fr. III, 1. III, 6. V, 16. Inc. 41.), profecto incitari non potuit, ut eas res persequeretur, in quibus explicandis de solo Pompeio ipsi agendum fuisset. Quare dubitari non potest, quin Historiae non ultra annum 67. progressae sint. Nam qui volunt auctorem opus suum usque ad annum 63. deduxisse, aut certe voluisse deducere, ut libellus de Catilinae coniuratione tamquam clausula ei adhaeresceret, somniant potius et alucinantur, quam dicunt aliquid, quod vel levissimam sani iudicii speciem habeat.

Argumento atque ambitu Historiarum in universum constituto, ad Fragmenta rectius intelligenda ac disponenda plurimum refert exploratum habere, quid singulis libris contentum fuerit, quamque rationem auctor in adornanda tam multarum variarumque rerum materie secutus sit. Quo negotio quamquam editor nullo pacto supersedere potest, maxima tamen cautione opus est, ne in re lubrica et obscuritatis plena in errores inducatur. Non agitur enim de eo, quid Sallustius vel potuerit scribere, vel debuerit, de quo alii aliter statuent, sed quid re vera scripserit. Quod ut aliqua certe ex parte cognoscatur (nam universam rerum copiam atque ordinem assequi velle absurdum est), tanquam firmo fundamento iis Fragmentis insistendum est, quorum non liber tantum, unde desumpta sunt, satis certus est, sed etiam sensus ita perspicuus, ut, ad quas res referenda sint, nulla dubitatio relinquatur. Ita enim, ubi paucis quidem, sed prorsus certis indiciis exploratum fuerit, quas res auctor in singulis libris tractaverit, via quasi munitur, qua caute procedentes non solum ea Fragmenta, quae ex certis libris laudata paullo difficiliorem habent explicatum, sed etiam ea, quorum librum ignoramus, sententiam vero satis probabiliter assequi valemus, cum aliqua verisimilitudine ad suum locum referre possimus. Grammaticorum igitur testimonio, qui libros Fragmentorum laudarunt, summam auctoritatem esse debere in Sallustiani operis reliquiis ordinandis recteque intelligendis quamvis nemo possit dubitare, fuere tamen, qui in tam plana re atque perspicua ita caecutirent, ut prorsus incredibili perversitate grassarentur, turpiter

neglecta sana ratione summam confusionem Fragmentis inferrent, et a probabili eorum dispositione, quam se effecturos somniabant, plane aberrarent. Debrossius enim, quem nonnulli immortaliter de Historiarum Fragmentis esse meritum praedicant, quum sibi non ratione sed imbecillitate quadam ingenii persuasisset, nullam grammaticos in laudandis Fragmentorum libris mereri fidem, quippe qui fere nunquam verum numerum exhiberent, locos saepissime confunderent, ac plerumque verba auctoris memoriter afferrent (v. Hist. de la Républ. rom. Vol. I. p. 223.), eo levitatis progressus est, ut nulla prorsus auctoritatis grammaticorum ratione habita quae illi ex primo libro laudant, summa libidine vel in secundum, vel in tertium, vel in quemlibet alium transferret, et contra, quo hoc effectum est, ut eius opera Fragmenta multo magis dissoluta ac disiecta sint, quam in ulla alia editione. Gerlachius vero tantum abfuit, ut hoc exemplo monitus tam dissolutam caveret rationem, ut Vol. III. p. 101. et 153. eadem vana confidentia, quae Debrossium transversum egit, contenderet grammaticos in numero librorum afferendo ubique fere tam negligenter egisse, ut nihil eorum testimonio tribuendum esset, *ordinemque narrationis non ad corruptos numeros, sed ad internam rerum iuncturam et temporis decursum constituendum esse.* Quasi vero interna rerum iunctura, quam ille certissimam normam Fragmentorum disponendorum atque explicandorum esse autumat, iam per se planissime pateret, neque totum hoc Fragmenta illustrandi negotium ita comparatum esset, ut, antequam de iunctura rerum agatur, ipsae res cognitae esse debeant, quae certe non aliunde quam ex grammaticorum testimoniis cognosci possunt. Quibus qui omnem fidem derogat, ne ille videtur vix ullum veterem grammaticum novisse; nam qui vel obiter eos inspexerit, profecto intelliget tam paucis locis numerum librorum, unde exempla laudarunt, ipsorum culpa falsum aut librariorum errore corruptum esse, ut nullo pacto de ceterorum veritate dubitari possit. Omissis igitur Debrossii et Gerlachii perversis rationibus, quibus minime in ordinem redire ac lucem accipere possunt, quae confusa sunt et obscura, id mihi agendum putavi, ut singulorum librorum argumentum ante omnia ex iis Fragmentis constituerem, quo-

rum et numerus a grammaticis est proditus, et sensus planus et perspicuus, ac deinde hoc tanquam fundamento nixus ea adiungerem, quorum explicatio probabili coniectura iniri potest. Ita, quamvis plurima ex Historiis ignorantur, hoc tamen ex iis, quae supersunt, particulis satis certa via me assecutum puto, ut simili fere ratione, qua de Livii libris deperditis ex eorum epitome nobis constat, de universo Historiarum argumento iudicari possit. Quod quale sit, paucis Tibi, mi Wuestemanne, exponam.

Non secutus teste Quintiliano III, 8, 9. morem, quem in Catilina et Iugurtha tenuit, ut a generalibus quibusdam sententiis opus ordiretur, Sallustius rerum Romanarum historiae, quam inde a Lepido et Catulo coss. se incepturum profitetur, satis amplum prooemium praemisit, quo tum priora tempora breviter perstrinxit, tum de bello sociali et Sullae civili accuratius egit. Quod quo consilio fecerit, non est obscurum. Nam quum inde a Lepido primum pateret antiquam imperii vim prorsus labefactam esse, neque rediri posse ad eum statum, quo omnes reipublicae partes firmiter cohaererent, eius rei caussas sibi exponendas putavit, ut intelligeretur ea, quae per illa tempora acciderunt, prioribus illis factis effecta esse. In quo quum Thucydidem imitatus sit, qui pariter narrationi de bello Peloponnesiaco superiorum temporum, unde illud provenit, explicationem praemisisset, haud improbabilis est Gustavi Linkeri sententia, in docto opusculo de Sallustii Historiarum Prooemio p. 10. proposita, ob hanc maxime similitudinem Thucydidis aemulum eum fuisse dictum; cf. Vellei. II, 36, 2. Quintil. X, 1, 101. X, 2, 17. Certe ea laus, quam non ad prooemium solum pertinere consentaneum est, ei Historiis magis, quam Catilina et Iugurtha parta est.

Absoluto prooemio, ubi ad propositum accedit, totum argumentum ab eo tractatum duabus partibus continetur, rebus militiae et domi gestis, quas ita persequitur, ut singulis libris deinceps enarret, quid et in urbe et in variis terris actum sit. Igitur primo libro, postquam de Lepidi conatu Sullae instituta evertendi prolixe dixit, de bello agit in Hispania iam per quattuor annos Sertorio duce gesto, Sertoriique ipsius ingenium et mores adumbrat ac simul prioris vitae eius facta refert,

quae scriptorum invidia incelebrata siverat. Exposito deinde infelici Metelli successu, a Sertorio ita pressi, ut Pompeius ei auxilio mittendus esset, a rebus Hispanis transit ad bellum Macedonicum, eodem tempore ab App. Claudio gestum, ac deinde P. Servilii expeditionem contra piratas susceptam narrat.

Secundo libro, quoniam omnia bella, de quibus superiore dictum, adhuc flagrabant, ita auctor pergit in eorum expositione, ut de Lepidi tumultu, ex Italia in Sardiniam et Corsicam translato, absolveret. Longe maximam autem huius libri partem videtur belli Sertoriani narrationi tribuisse, quippe quod, ex quo Pompeius in Hispaniam venit, novo furore exarserat, ut, quamvis varia fortuna maximis proeliis pugnaretur, Sertorius tamen invictus ageret, ac non solum ducibus adversariis, sed etiam ipsi urbi summum timorem praeberet. Relicuam rerum foris gestarum materiam praebent bellum Macedonicum et Thracicum duce Scribonio Curione gestum, et piraticum, quod P. Servilius per tres annos continuos administravit, quibus novum accessit Mithridaticum tertium, cuius initia auctor simul cum regis genere, ingenio ac moribus retulit. In rebus urbanis maxime egit de factis conatibus potestatis tribuniciae restituendae, qui inde ab anno 76. non prius cessarunt, quam Pompeius plebis desiderio satisfecit, et tum coniuncti erant cum summa omnium rerum gravitate et annonae inopia, unde tumultus ortus in Cottam consulem, cuius orationem ad sedandum animorum motum habitam Sallustius perscripsit.

Tertius liber extrema habet Sertorii tempora, miserandam eius caedem et totius belli exitum. Quod ubi ad finem vergere coepit, eodem tempore in Asia summa vi flagravit Mithridaticum, Cyzici oppugnatione ac fortissima defensione multisque Mithridatis cladibus insigne, quas Sallustius persequitur usque ad illud tempus, quo rex Ponticus ad Cabira se recepit. In Macedonia et Thracia bellum continuatum a Scrib. Curione, eo memorabile, quod dux Romanus tum primus ad Danubium pervenit. Eodem tempore M. Antonius contra piratas et Cretenses summa socordia bellum gessit, cuius ignaviam et foedum exitum a Sallustio castigatum fuisse planum est ex Fragmento satis conspicuo. Fusius quam de utroque bello haud dubie exposuit de acerrimo certamine cum fugiti-

vis exorto, id quod tum ex ipsa rei gravitate coniicitur, tum Fragmentorum ad illud bellum pertinentium multitudine probatur. Denique in rebus urbanis multum eum de contentionibus tribuniciis egisse dubitare non sinit Macri Licinii oratio ex hoc libro integra servata.

Quarti libri argumentum longe maximam partem versatur in continuanda narratione belli Mithridatici, quae usque ad id tempus deducitur, quo Mithridates, etiam post Tigranis societatem gravissimas clades expertus, Arsacis opem implorare coactus est. Praeterea Spartacium bellum quoniam tertio anno finitum est, eius extrema pars hoc libro continetur, quo auctor simul belli Thracii finem tradidit. In urbe autem longe plurima ei materies fuit de restituta tribunicia potestate ac de Pompeii et Crassi consulatu disserendi.

Quinti libri ambitus ceteris multo fuisse videtur angustior, si quidem relicuis bellis omnibus compositis unum supererat Mithridaticum, Romanis tum mutata fortuna valde improsperum. Extremas igitur Luculli res, eius invidiam apud exercitum, legionum seditionem, et foedum egregii ducis ex Asia discessum hoc libro Sallustius exposuit, neque ultra in Historiis progressus est, quam usque ad id tempus, quo Pompeio primum lege Gabinia, deinde, piratis confectis, lege Manilia summum in tota Asia imperium commissum est.

Praeter haec, quae universum Historiarum argumentum constituunt, rerum externarum expositionem auctor plurimis distinxit digressionibus, pariter ad cognoscendum iucundis, atque ad docendos lectores utilissimis. Nam quo melius perspiceretur, quibus quidque locis esset gestum, ubique non solum terrarum atque regionum situm et naturam descripsit, sed etiam de gentium ingenio, moribus, institutis atque antiquitatibus prodidit, quae memoratu digna viderentur. Ex quo genere sunt, quae libro I. de Mauris et Fortunatis insulis ac de piratarum origine et sedibus, libro II. de Sardiniae et Corsicae natura antiquissimisque incolis et de Hispanorum moribus et bellicosa indole, libro III. de mari Pontico et circumiacentibus gentibus, de Danubio et Germanis, de Creta insula eiusque religionibus, libro IV. de Euphrate, Tigri, Me-

sopotamia et Armenia, de Thraciae gente Mysorum, denique de Italiae inferioris ingenio et freto Siculo tradita leguntur.

Iam si quaeras, mi Wuestemanne, quo ordine res in singulis Historiarum libris se exceperint, confitendum est, hoc tale esse, ut nullo modo constitui et ad liquidum perduci possit. Quamobrem in hac quidem re necessario aliquid vel casui vel editoris arbitrio concedendum est. Nam, ut hoc utar, utrum Sallustius tertium librum a bello Sertoriano exorsus sit, eique Mithridaticum, tum Macedonicum, deinde Creticum, denique servile subiecerit atque extremo loco de rebus urbanis egerit, an alio ordine haec deinceps tractaverit, id prorsus incertum est, neque dispar reliquorum librorum ratio. Quare nihil relinquitur, quam ut ad capita quaedam referantur Fragmenta ad eandem rem spectantia, quo hoc certe consequimur, ut, quae eiusdem sunt argumenti, coniunctim legantur, licet ipsorum capitum ordo ignoretur. Ceterum in rebus enarrandis eam rationem tenuit Sallustius, ut varia, de quibus egit, bella atque res domi gestas non, uti mos fuit in annalibus, carptim per singulos annos digereret, quippe quod non aliter potuisset fieri, quam si ex una re in alteram transiliens in cuiusvis anni fine subsisteret, indeque regressus eundem cursum in proximo quoque denuo exordiretur, ut, quot annos opere suo complexus esset, in totidem fere particulas totum argumentum dissecaret. Qua ieiuna priorum scriptorum consuetudine relicta, res non secundum singulos annos disposuit, sed pro cuiusque belli ratione complurium annorum res gestas, arte inter se cohaerentes, continua narratione usque ad eum locum deduxit, ubi commode posset subsisti, quo hoc consecutus est, ut singulis bellis in commodas partes, quas res ipsa offerret, divisis plana atque dilucida rerum gestarum imago lectoribus exhiberetur. Quae argumenti dispositio cum non posset ubique cum annorum fine congruere, eo factum est, ut non omnes bellorum expositiones eodem libro contentae totum annorum spatium, quos liber complectitur, expleant, sed modo illius fines non attingant, modo eos transgrediantur. Quod quale sit, exemplis nonnullis illustrabo. Liber primus quamquam in universum annos 78. et 77. complectitur, nihilominus Lepidi tumultus, ex-

tremo anno 77. plane finitus, non hoc libro absolvitur. Nimirum Sallustius potiorem tantum eius partem, quae pertinet usque ad Lepidum Italia expulsum, primo libro attribuit; relicua Lepidi conamina in Sardinia et Corsica agitata in secundo libro persequitur, cuius plurimae res annis 76. et 75. gestae sunt. Sertorianum bellum primo libro a primis eius initiis deducitur usque ad annum 77. a. Chr. n.; neque tamen in ipso fine anni auctor subsistit, sed iustiorem narrationi moram repetiit a Pompeii in Hispaniam profectione, quem senatus mittebat, quia Metellus nihil contra Sertorium efficere poterat. Secundus igitur liber, destinatus ille quidem rebus a. 76. et 75. gestis, tamen in Sertorii bello exponendo incipit ab eo anni 77. tempore, quo Pompeius in Hispaniam venit et cum Metello coniunctus illud bellum administravit. Contrario modo bellum Mithridaticum, cuius initium in annum 74. incidit, non tertio narrari libro coeptum, quo res annis 74. 73. et 72. gestae traduntur. Nam quum Sallustius constituisset hoc libro Luculli egregia facinora inde a Cyzici oppugnatione usque ad Mithridatis receptum ad Cabira illustrare, quae ante imperatoris romani adventum in Asiam acciderunt superiore libro tradenda putavit. Igitur quaecunque quasi ad exordium eius belli pertinuerunt, velut disputatio de Mithridate ipso eiusque ingenio et ingentibus consiliis, tum quo apparatu belli et quibus sociis adiutoribusque usus sit, denique quomodo Bithynia invadenda et M. Cotta superato belli initium fecerit, haec omnia iam secundo libro exposita fuere. Hispaniense autem bellum, Sertorio a. 72. caeso adhuc in proximum annum protractum, tertio libro ita absolutum est, ut Sallustius terminum huius libri, annos 74. 73. et 72. comprehendentis, uno anno supergrederetur. In ceteris bellis num eodem modo egerit Sallustius, propter paucitatem Fragmentorum affirmari nequit; sed iam ex iis, quae attulimus, abunde patet in Historiis eum rerum quidem ordinem accurate secutum esse, sed minime secundum singulos annos per varia argumenta aequabili modo processisse. Qua re non perspecta Gerlachius, quum non ratione, sed caeco quodam rerum obsoletarum studio sibi persuasisset Sallustium veterum annalium scriptorum morem secutum esse, tanquam primum Frag-

mentorum editori observandum hoc inculcat (v. Vol. III. p. 105 et 151 sqq.), unicam auctorem rerum disponendarum normam habuisse singulorum annorum seriem, neque dubitari posse, quin Sallustius eodem fere modo res populi Romani scripserit, quo ipse eas in ed. sua p. 3 — 46. per annos digesserit. Quae perversa opinio quam nullo argumento nitatur ex ipsis Fragmentis ducto, quamque indigna sit Sallustio, quem, quia primus ieiunam rerum enumerationem in annalibus usitatam reliquerat maiora atque perfectiora in Historiis ausus, Martialis primum dicit in romana historia, vel me non monente, facile, mi Wuestemanne, intelliges. Eadem quot errores et debuerit gignere, et re vera genuerit, suis locis ostendi; quamobrem hoc quidem loco de ea re praeterire possum.

Postquam de Historiarum argumento, ambitu et forma disputavi, ad quae editori vel maxime animum advertendum esse per se patet, iam dicendum est, quomodo viri docti in Fragmentis Sallustii edendis tractandisque versati sint. Quorum quo tenuior opera fuit, eo breviori mihi esse licebit. Nam qui primus post imperfectum Aldi Manutii (1563.) conatum Historiarum Fragmenta satis diligenter pro illorum temporum ratione collecta scholiisque illustrata a. 1574. ac deinde a. 1579. edidit Ludov. Carrio, hoc tantummodo egit, ut, quae ex singulis libris laudata invenisset, nullo ordine deinceps poneret, quorum vero liber a grammaticis non indicatus esset, ea in sextum aliquem librum, qui non exstitit, conferret; nonnulla autem emendasse, alia explicasse contentus neque de Historiarum argumento quaesivit, neque ipsa Fragmenta utcumque ordinavit ac disposuit. Qui proximo tempore studium ad ea contulit Ianus Douza, Notis ad Historiarum libros a. 1580. editis, et Fulv. Ursinus, cuius Notae in Fragm. exstant in Historicorum vett. Fragmentis collectis ab Ant. Augustino et ab Ursino emendatis (1595.), reliquique operum Sallustianorum editores, velut Hel. Putschius (1602.), Auson. Popma (1619.), Fr. Gronovius (1665.), omnes ita Carrionis vestigia secuti sunt, ut, si qua nova Fragmenta invenissent, quorum plurima congessit Putschius, ea in calce collectionis Carrionianae adderent, hic illic aliquid, quod non magni pre-

tii esset, annotarent, in universum autem intactum relinquerent Fragmentorum statum atque ordinem, quo in Carrionis editione prodierunt. Neque unguem transversum ab horum consuetudine discesserunt, qui amplioribus editionibus emendationi operum Sallustianorum consulere studuerunt, Ios. Wassius Britannus (1710.), Theoph. Cortius Germanus (1724.), Sigeb. Havercampius Batavus (1742.). Ex quibus quum Cortius magis specioso infructuosae doctrinae apparatu, quam sana criticae artis exercendae ratione tantam apud viros doctos auctoritatem nactus esset, ut, quae post eum in Germania prodierunt editiones, superstitiose eius recensionem sequerentur, eo factum est, ut Fragmenta, quae per se minus ad novam curam invitarent, per duo secula praeter auctiorem aliquanto numerum intacta iacerent, neque aliam inducrentur formam, quam qua a Carrione evulgata fuerant. Ab ea discedere primus conatus est Car. Debrossius Gallus, recte assecutus unicam rationem confusas obscuratasque Historiarum reliquias ordinandi atque illustrandi esse hanc, ut secundum rerum gestarum ordinem disponerentur, et quantum fieri posset ex accurata illorum temporum notitia lucem acciperent. Sed tantum abfuit, ut id, quod faciendum esse vidisset, via et ratione perficeret, ut per totum opus summa levitate ac libidine grassaretur, ac vanissimis alucinationibus indulgens, novam induceret Fragmentorum confusionem, et a vero plerumque longissime aberraret. Neque mirum est hoc illi accidisse, cui praeter laudabilem de litteris merendi voluntatem ac satis magnam librorum omnis generis lectionem fere omnia deessent, sine quibus Fragmentorum emendandi ordinandique negotium recte procedere nequit; tam parum enim quale esset tum veterum ingenium, tum Sallustii peculiaris indoles et virtus perspexit, ut sibi persuaderet florentissimum rerum Romanarum auctorem Gallica levitate Historias composuisse; ad hoc critica facultate prorsus destitutus ac latine ne mediocriter quidem doctus vagaque imaginandi licentia pro acumine usus in tot tantosque errores incidit, quantos vix credibile est ab homine docto committi potuisse. Vano enim studio agitatus omnia omnino Fragmenta intelligendi ac suo loco collocandi plurima, quae nullam plane explicationem admittunt, tanquam

planissima in ordinem recepit, alia, per se minus obscura, pessime intelligendo in alienum locum detorsit, alia, quae propter verborum ambiguitatem aut late patentem sensum ad multas res trahi possunt, bis, ter, quater, adeoque saepius posuit, quovis loco Sallustii manum se restituisse incredibili stultitia opinatus. Ad quas perversitates quum haud postrema haec accederet, quod neglecta grammaticorum in laudandis libris auctoritate singula Fragmenta non eo libro retulit, quo apud Sallustium legebantur, sed summa libidine ea modo in hunc, modo in illum transposuit, hac una re omnis veritas vel ordinis instituti vel explicationis initae tollitur. Denique ipsa Historiarum verba tam vitiose exhibuit, veteribus corruptelis non modo non amotis, sed plurimis et pessimis novis depravationibus illatis, ut hoc quoque nomine eius opera Fragmentis Sallustianis impertita infelix et prorsus infructuosa putanda sit. Opus eius gallice scriptum ita inscribitur: Histoire de la république romaine, dans le cours du septième siècle, par Salluste: en partie traduite du latin sur l'original; en partie rétablie et composée sur les fragmens, qui sont restés de ses livres perdus, remis en ordre dans leur place véritable ou le plus vraisemblable. III. Tom. 4. à Dijon, 1777. Tribus annis post, Debrossio iam mortuo, ex eius schedis Divione prodierunt ipsa Fragmenta latina, ordine cum maiore opere accuratè congruentia, brevibus scholiis illustrata, et locorum, ubi apud grammaticos leguntur, indice instructa. Quem librum, ex quo universa Debrossii ratio i. e. summa perversitas planissime ac multo facilius quam ex gallico opere cognoscitur, quum in Germania rarissimus esset, ignotus quidam germanicus editor, isque homo doctus quidem, sed tamen admodum fatuus, scilicet *magnum inde in historiae cultores fructum redundaturum esse confisus*, a. 1828. repetendum curavit.

Venio nunc ad postremum omnium, qui Fragmenta ediderunt, Gerlachium Basileensem. Qui quum in maiore operum Sallustianorum editione, cuius Vol. I. anno 1823. prodiit, Praef. p. IX. hoc professus esset, imprimis sibi curae fuisse, ut Fragmenta emendatius ederentur, ad eam rem sufficere ratus est, si Carrionis ordine retento locos grammaticorum, ubi

singula leguntur, ex Debrossii ed. describeret (nam ubi hic silet, Gerlachius quoque locos ignorat), pauca corrigeret, aliquot nova adderet. Vol. III. demum, quod a. 1831. editum commentarios in Fragm. continet, de iis ordinandis meliusque disponendis cogitans, postquam in ipsa explicatione vulgatum ordinem tenuit, p. 151—155. *de ordinis rerumque disponendarum ratione, quam Sallustium in V. Historiarum libris secutum esse verisimile est* disserere suscepit, in qua re ita se obnoxium Debrossio gessit, ut in paucis modo ac levibus ab illo discreparet, in summa rerum prorsus ex eo penderet. Neque dubitans, quin is, quem pro ingeniosissimo habet, ubique rem acu tetigerit, totam Fragmentorum dispositionem, Vol. III. propositam, in minorem Sallustii editionem a. 1832. paratam transtulit, in singulis sane paullo emendatiorem novisque Fragmentis ex Arusiani cod. Gudiano petitis auctam, universa autem indole tam confusam ac dissolutam tantisque erroribus scatentem, ut eum spes sua, Praef. p. XXXIV. declarata, fore ut *nova hac Fragmentorum compositione historiae lucis aliquid affundatur*, oppido fefellisse censenda sit. Viginti annis post, scilicet ut crisin Sallustianam ad umbilicum quasi adduceret et in perpetuum absolveret, tertiam Sallustii operum, quae supersunt, adornavit editionem, cuius altera pars, quae Fragmenta continet, hoc ipso anno brevi ante quam commentarii mei typographo traderentur prodiit. Sperabam, eo tempore, quod inter secundam et hanc tertiam editionem intercessit, Gerlachium erroribus suis cognitis aliquid bonae frugis ad Fragmenta contulisse; sed mox intellexi eam spem frustra esse, illumque immemorem fuisse dicti Ciceroniani (Phil. XII, 2, 5.): „cuiusvis hominis est errare, nullius, nisi insipientis, in errore perseverare.“ Nam non solum librorum argumenta eadem sunt, quae in II. ed., sed idem etiam Fragmentorum ordo, hoc uno discrimine, quod, quum in II. ed. paginarum versus numerati essent, in III. Fragmenta ipsa deinceps numerantur. Quae quum ita sint, huius libri, qui peculiaria bona non habet, rationem habendam non duxi, sed in commentariis tantummodo primam et secundam editionem respexi, quippe quibus omnia, quae Gerlachio propria sunt, contineantur. De quibus quum accuratius iam dicen-

dum sit, sentio quam iniqua condicione utar, cui acciderit, ut in eo, qui ante me Fragmenta edidit, paene nullam probandi ac laudandi copiam, plurimam vero vituperandi et dissentiendi haberem necessitatem. Sed in eadem caussa versatum esse quum scirem virum acumine, doctrina ac latinae linguae scientia longe praestantissimum ac de Cicerone egregie meritum, quae ille in simili negotio dicenda habuit, eo lubentius mea faciam, quum mirifico quodam casu non magis de Ciceronis quam de Sallustii editore dicta videantur. Haec igitur ille:

„Multo plus loci, quam uellem, in commentariis meis occupat aliorum refutatio atque etiam reprehensio. Sed scribimus neque peritis solis neque iis, qui lubenter et simpliciter ueritatem admittant, potiusque multi ecfugia quaerunt ueteresque errores quasi noua inuenta referunt. Adcessit singularis quaedam caussa ac necessitas. Dedit enim mihi fortuna, cui, si summa res spectatur, succederem, G—m, quem ego, ex quo primum Ciceronis de philosophia libros studiis meis adtigi, nescio utrum miratus sim magis an indignatus, aliquo inter philologos loco habitum esse et nunc quoque a nonnullis haberi; *adeo mihi totus ex neglegentia et confusione, ex Latini sermonis summa ignorantia, ex ingeni torpore iudicique peruersitate cum incredibili quadam obliuione* (quam Graeci *μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν* appellant), *denique ex arrogantia mixtus uidebatur.* Huius etiamsi opiniones erroresque relicuos omnis silentio praetermittere decreuissem, tamen crebram mentionem et reprehensionem postulabant codicum ab eo prolatae scripturae infinitique in iis errores conmissi. Itaque constitui ab initio opprobrium hoc ex litteris nostris tollere et ecficere, ut, quibus hae nugae et quisquiliae inanissumae aut placuissent aut mediocriter displicuissent, illos iudici sui poeniteret et aliquid de sua scientia cogitarent, postremo posthac eas conmemorare puderet. *Et quamquam paene incredibilia sunt, quae in commentario plurumis locis notaui ab eo peccata*, tamen, ut in quauis minuma et facilluma re et ab omni parte similis sui uideretur, decreueram hic copiam quandam exemplorum generatim exponere. Uidebatur enim res admonitionem non inutilem habitura. Sed quoniam plus iam ille in meo libro obtinet loci, quam debebat,

contentus ero iis, quae supra de uno genere posui, dicamque breuiter et uniuerse, qualis omnis illa opera sit; testimonia fortasse dabo, si quis extiterit defensor, quoniam uideo non defuisse, qui summum uirum et inmortaliter de Cicerone meritum uindicaret. *Sed hic summus uir saepissume in notissumo uerborum usu et iunctura pueriliter errat; si qua st mota dubitatio, fere numquam scit, quid agatur, neque rem ad quaerendum propositam mente concipit; quom de oratione quaeritur, si in interrogatiuae sententiae modo haeretur, ille de relatiua dicit, si in praepositionis ui, ille de et aliaue particula; aliorum de notis rebus obseruata mire peruertendo corrumpit; quom exempla desiderantur, ipse magis inaudita fingit, siue Graeca placuit siue Latina; sententiam Ciceronis ita persequitur, ut saepe eum, quae probet, inprobare, quae neget, adfirmare, narret omniumque disciplinarum decreta misceat, non raro autem enarrando ita omnia confundit, notionem nullam tenens et intra eundem uerborum ambitum in fine initi obliuiscens, ut uix ei mentem constitisse credas. Atque haec omnia exornat ubique turpissuma uerborum barbaria et soloecismorum foeditate.*“ Dudum intellexisti, mi Wuestemanne, qui haec scriberet, Nicolaum esse Madvigium, qui ab eo notaretur, Goerenzium; substitue iam in huius locum Gerlachium, ac pro Cicerone pone Sallustium, et habebis omnia, quae planum faciant, qualis editoris Basileensis fuerit opera in Fragmentis Sallustianis emendandis posita. Quamquam Goerenzius prae Gerlachio eximius est philologus; nam licet magna inter eos intercedat similitudo, tamen tanta est in nostro inscitia et notissimarum rerum ignorantia, tanta in iudicando levitas et imperitia, tanta in afferendis testimoniis mentitio, tanta denique vanitas et arrogantia, ut, quae vitia huius generis in illo vel aliqua essent, vel adeo magna, in hoc sint longe maxima et prorsus importuna. Neque hoc mirum est in homine, qui, quum artem profiteatur, quae iustum et acrem rationis usum postulat, ubique eius summum se ostendat contemptorem, neque alia re in tractandis litteris quam superstitiosa fide, aliorum opinionibus habita, nitatur. Quod ne eum insimulasse videar, praeter multa exempla in commentariis notata, testimonio sint, quae Vol. III. p. 330. scripsit: *Hoc differunt antiqui grammatici a iuniorum, qui illos contemptui habent,*

arrogantia, quod non philosophicis, quae nostri iactant, argumentis, sed usu loquendi difficiliora illustrabant. Antiquorum scriptorum auctoritas quam ipsorum inventa plus apud eos valebant. Philosophica igitur argumenta, i. e. omnino argumenta recta ratione confecta quum tantopere aspernaretur et exhorresceret, non solum veri cognoscendi viam sibi obstruxit, sed etiam veritatis sensum, si quem habuit, ita perdidit, ut vel planissimas res et liquido demonstratas non modo non intelligeret, sed etiam pro falsis haberi vellet. Ita quum ego in *Commentatione de Sallustii Frugm. a Car. Debrossio in ordinem digestis rerumque gestarum contexta narratione illustratis*, quae a. 1829. prodiit, accurate, ut opinor, ostendissem ac plurimis certissimisque exemplis probassem, quum propter alios errores tum propter insanam Fragmentorum in alienos libros traiectionem prorsus damnandam esse Debrossii rationem neque ullo pacto a novo editore imitandam, Gerlachius ad hanc rem intelligendam tam inhabilis fuit, ut ei pudor non esset Vol. III. p. 101. non minore fastu quam insipientia haec proferre: *Qui nuper hac de re disputavit, V. D. Kritzius, virumque de Sallustianis Fragmentis optime meritum acerbissima laceravit vituperatione, eum monitum velim, ne, dum Debrossium inconsiderantiae et temeritatis insimulet, ipse inconsideranter agat, grammaticorumque auctoritati nimium tribuat, quippe qui non modo in ipsis verbis laudandis parum diligentes se praebeant, sed etiam librorum numeros saepissime confundant.* Igitur, qui ingenio tam parum valeret, ut non intelligeret aliud esse certissimis rationibus aliquem gravissimorum errorum convincere, aliud acerbissima vituperatione lacerare, superstitiosa credulitate potius quam ratione commotus ita se Debrossio addixit, ut, quo ille absurdiora praeivisset, eo se paratiorem ad sequendum ostenderet, turpique exemplo confirmaret, quod Cicero (p. Cluent. 31, 84.) scite dixit, *minus stultum eum esse, cui nihil in mentem veniat, quam illum, qui, quod stulte alteri venerit in mentem, comprobet.* Vix enim credas, quo progressus sit hàc stultitiae obsequela in iis maxime Fragmentis, quae vel inanitate vel obscuritate sua intelligi et probabili loco collocari nequeunt. Non assecutus enim esse etiam quandam nesciendi artem, et in iis, quorum intellectum fortuna nobis

praeclusit, interpretis munus eo contineri, ut non tam quid verum sit, quam quid verum esse non possit, exploret et constituat, omnia ea Fragmenta, quae in hac editione propter inexplicabilem eorum naturam in appendicem cuiusque libri reieci, ceteris ita immiscuit, quasi omnia, quo pertinerent, perspexisset, et vel maxime obscura et recondita ipsi expedita et in clarissima luce posita essent. Quae vana levitas cui non in memoriam revocet lepidissimum locum Plautinum (Trin. I, 2, 162 sqq.)? quem ad animum exhilarandum Tuum, mi Wuestemanne, hic apponam:

Nihil est profecto stultius neque stolidius,
Mendaciloquius nil neque adeo argutius,
Neque confidentiloquius neque periurius,
Quam urbani adsidui cives, quos scurras vocant.
Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho:
Qui illorum verbis falsis acceptor fui,
Qui omnia se simulant scire neque quicquam sciunt.
Quod quisque in animo habet aut habiturust, sciunt;
Sciunt, quid in aurem rex reginae dixerit;
Sciunt, quod Iuno fabulatast cum Iove.
Quae neque sunt neque futura sunt, illi sciunt.
Falson' an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, sciant.

Sed quo planius etiam cognoscas, quemadmodum in tenuibus et prorsus obscuris Fragmentis tractandis scurram Plautinum potius, quam sobrium et circumspectum interpretem agat, nonnulla exempla afferam, ex quibus universa eius levitas luculenter patebit. Quod in hac ed. legitur Fragm. III, 88. „Et forte in navigando cohors una, grandi phaselo vecta, a ceteris deerravit, marique placido a duobus praedonum myoparonibus circumventa," vix aliud cognoscere sinit, quam in praedonum insolentia narranda haec verba lecta fuisse; tempus, locus, persona, occasio, eventus, haec omnia ignorantur. Sed hoc non obstitit, quominus Gerlachius Vol. III. p. 91. consueta fiducia scriberet: „de re ipsa cf. Plut. Lucull. 13. ubi Mithridates in fuga a piratis exceptus, salvus evasisse narratur." Plutarchus autem haec habet: *Μιθριδάτην δὲ ἀνα-*

χθέντα μετὰ τοῦ στόλου σπεύδοντα πρὶν ἐπιστρέφειν Λούκουλλον εἰς τὸν Πόντον εἰσπλεῦσαι καταλαμβάνει χειμὼν πολὺς, ὑφ' οὗ τὰ μὲν ἀφηρπάγη, τὰ δ' ἐβυθίσθη τῶν σκαφῶν. Αὐτὸς δὲ, τῆς ὁλκάδος, ἐφ' ἧς ἔπλει, μήτε πρὸς τὴν γῆν εὐπαρακομίστου διὰ μέγεθος ἐν σάλῳ μεγάλῳ καὶ κύματι τυφλῷ παρισταμένης τοῖς κυβερνήταις πρός τε τὴν θάλασσαν ἤδη βαρείας καὶ ὑπεράντλου γενομένης, μετεμβὰς εἰς ληστρικὸν μυοπάρωνα καὶ τὸ σῶμα πειραταῖς ἐγχειρίσας ἀνελπίστως καὶ παραβόλως εἰς τὴν Ποντικὴν Ἡράκλειαν ἐξεσώθη. Iam vide, mi Wuestemanne, quanta inter Sallustium et Plutarchum intercedat similitudo, quantamque lucem ille ab hoc accipiat; ille de *cohorte* romana loquitur, hic de *Mithridate;* ille cohortem *forte deerrasse* tradit a ceteris, hic Mithridatem *in fuga fuisse;* ille *mare placidum* fuisse ait, hic *ingenti tempestate commotum;* ille cohortem narrat *a praedonibus esse circumventam*, hic Mithridatem *piratis se tuendum permisisse.* Quaeras fortasse, quid Gerlachium impulerit, ut Sallustii locum ex Plutarcho illustrandum putaret. Nimirum vidit apud utrumque esse vocabula *praedonum* et *myoparonum*, idque sufficit ei, ut utroque loco de eadem re agi statueret. Postulare vero ab lectoribus, ut talia pro veris habeant, non solum stupidi sed etiam impudentis est, neque ullo modo ferendum. Aliud eiusdem generis exemplum praebet Fragm. Inc. 5. „Ut res magis quam verba gererentur, liberos parentesque in muris locaverant." Quae verba quum nihil aliud prodant, quam cives alicuius obsessae urbis, quo suos ad virtutem accenderent, illis liberos parentesque in muris conspiciendos praebuisse, Gerlachius, quasi nihil hic obscuri esset, Vol. III. p. 137. haec pronuntiavit: „Recte Debrossius Cyzicenos intelligit, qui, cum Mithridates captivos illorum cives in machinis et turribus alligandos curasset, ut animi oppidanorum suorum misericordia frangerentur, patriae amori suorum caritatem posthabuerunt; cf. Appian. de B. Mithrid. c. 73." At quid Appianus? Scilicet haec: Ὡς δ' ἕτοιμα αὐτῷ πάντα γεγένητο, πρῶτα μὲν τρισχιλίους αἰχμαλώτους Κυζικηνοὺς ἐπὶ νεῶν τῇ πόλει προσῆγεν, οἳ χεῖρας ἐς τὸ τεῖχος ὀρέγοντες ἐδέοντο σφῶν κινδυνευόντων φείσασθαι τοὺς πολίτας, μέχρι Πεισίστρατος αὐτοῖς, ὁ στρατηγὸς ὁ τῶν Κυζικηνῶν, ἀπὸ τοῦ τείχους ἐκήρυξε

φέρειν τὸ συμβαῖνον ἐγκρατῶς, αἰχμαλώτους γεγονότας. Quae quomodo cum Sallustianis congruant aut ea explicent, nemo sanus intelliget, quum personae, locus, consilium sint diversissima; nam apud Sallustium oppidani *liberos parentesque in muris locant*, apud Appianum Mithridates *captivos in navibus ad urbem admovet;* ille caussam facti affert hanc, ut res magis quam verba gererentur, i. e. ut *cives ante moenia pugnantes gravissimum ad virtutem incitamentum haberent*, hic, ut *cives urbem defendentes ad miserationem captorum commoverentur* et urbem Mithridati traderent. Possem plura huius generis afferre, nisi haec iam satis documento essent, nihil posse de eo exspectari, qui tam insane peccaret, et tamen in epistola ad Heerenium Volumine III. data magno promissor hiatu proclamaret: „ipsa Fragmenta examinavi, et *reliquos rerum scriptores, tam Graecos quam Latinos in auxilium vocando*, quantum fieri potuit, illustravi.“ Sed quantopere iudicio vacillet et in rebus planissimis sibi repugnet, uno adhuc exemplo demonstrandum est ex Praefat. ed. II. desumpto, ubi p. XXXIV. haec leguntur: „Multa admodum incerta esse ipse fateor. In aliis *iam nunc mutavi sententiam.* Pompeii enim Epistola ad senatum nescio an rectius ad librum secundum referatur. Charisius enim p. 262. ed. Putsch. verba: *utrum vicem me aerari praestare creditis*, ex libro secundo laudat. Quod si verum esse invenitur, ea confirmantur, quae in Comment. Vol. III. p. 153. de huius libri ambitu conieceram. Sed ex innumeris locis nemini dubium esse potest, quin grammatici parum diligentes in verbis scriptorum laudandis se praebeant. *Quare*, nisi alia accedunt argumenta, *unius grammatici testimonio non tantum tribuendum.*“ Non confusa haec, sed prorsus absurda esse planius patebit, si ad simpliciorem formulam ea redegeris; re enim hoc dicit: iam nunc mutavi sententiam, sed tamen non muto; Pompeii epistolam rectius ad secundum librum referendum putaverim, sed tamen referendum non puto; grammatici auctoritas facit, ut ita statuam, sed tamen eius testimonio nihil tribuendum. Ferenda talia fortasse sint aut certe silentio praetermittenda, ubi modestus est, qui tam misere titubat, neque se cum fastu et arrogantia effert. Sed quod haud raro fieri solet, ut quo quis est maiore stupiditate et

ignorantia, eo insolentius se iactet aliosque, ab ipso discrepantes, insultet, id vel maxime cadit in Gerlachium, hominem immodestissimum. Qui quum in emendandis explicandisque Fragmentis Vaticanis perquam leviter et inscienter versatus esset, Vol. III. p. 140. ingenii acumen ita testatus est, ut scriberet: „Reliqua restituere eo difficilius, quod et incertum est, num ad eundem Spartaci dolum sint referenda, et multi literarum ductus vetustate paene exstincti, a librariis male exarati esse videntur. Itaque haec integra restitui non possunt, nisi folia ista accuratius examinata fuerint. Itaque in talibus facilius est hariolari, quam probabiles proponere coniecturas. *Omnia haec Kritziis eiusdemque farinae hominibus restituenda relinquo.*“ Id num cum Sallustii detrimento factum sit, eorum esto iudicium, qui nostra cum Gerlachianis comparare voluerint; ipse vero viderit, quos hac impudentia fructus sit consecutus. Ceterum Kritzii eiusdemque farinae homines non ii sunt, qui cum nihil plane recte egisse dicant, sed libenter concedunt inter summos et continuos paene errores tamen hic illic nonnulla inveniri, quae a vero non abhorreant, et utique probanda sint. Nam sicut ii, qui mente parum valent, interdum tamen per lucida intervalla, quemadmodum medici loquuntur, aliquid vel dicunt vel agunt, quod turbatam mentem non arguat, ita Gerlachius, quum decrevisset novo atque inaudito modo in edendis Sallustii Fragmentis versari, interdum a se ipso deficiens sobrietatem quandam iudicii sequitur, a cetera eius levitate et inconsiderantia distantem. Scilicet tantam esse rationis vim et praestantiam, ut etiam ii, qui nihil ratione, omnia auctoritate agenda esse clamant, tamen eius imperium non ubique exuant, sed sui immemores et quasi inviti eo deferantur, ut in nonnullis certe rationi obsecundent.

Veniamus nunc ad lactiora. Quantum enim taedii mihi attulit, quod necessitas mihi fuit imposita, ut perpetuo cum imperiti hominis perversitate pugnarem eamque nunc in unum quasi conspectum darem, tantum cepi laetitiae ex eo, quod in nonnullis certe Fragmentorum partibus mihi contigit, ut duorum virorum, doctrina, acumine et recto iudicio praestantium, accurata opera non solum recrearer, sed etiam multis modis in emendandis explicandisque Sallustii verbis adiuvarer.

Eorum unus est Kreyssigius, de cuius summis in Fragmenta Vaticana et Toletana meritis quum supra satis dixerim, hic in honorifica eius nominis commemoratione acquiescere possum. Alter est Gustavus Linkerus, nunc in universitate Vindobonensi antiquas litteras docens, qui in libello de *Sallustii Historiarum prooemio*, Marburgi a. 1850. edito, non solum veterum grammaticorum locos, ubi Fragm. laudantur, summa diligentia collegit et excussit, sed etiam prooemii Fragmenta tanta rei criticae et linguae latinae peritia emendavit, explicandis vero atque ordinandis tantam rerum scientiam, tantum acumen subactumque iudicium adhibuit, ut iure mihi dicere posse videar, primum eum fuisse, qui rectam viam ad universa Historiarum Fragmenta melius componenda iniret. Quod propter has virtutes a Gerlachio in ed. III. convicio „male seduli hominis" afficitur, facile feret vir optimus; quis enim credat aliud Gerlachio, caeco Debrossii admiratori omnisque perversitatis patrono, placere posse, quam ineptias? Praeterea Linkeri commemoranda est *Commentatio de Praefecto urbis feriarum latinarum*, inserta Actis academiae scient. Vindobonensis a. 1853. Vol. X. p. 7 sqq., qua multa continentur ad Fragmentorum explicationem utilissima.

Postquam Tibi, mi Wuestemanne, omnem rationem, quam in disponendis illustrandisque Fragmentis secutus sum, exposui, restat, ut paucis dicam de iis, quae, quamquam in prioribus editionibus leguntur, in hac nostra non comparent. Haud pauca enim, editorum *ἀβλεψία* pro Sallustianis habita, quae Sallustii non sunt, Fragmentorum numero rursus eximenda fuerunt. Quorum ea, quae Debrossius invexit numero quattuor et viginti, quoniam in alias editiones non transierunt, hic praetereunda censeo; cetera, quae vel apud Cortium, vel apud Gerlachium adhuc leguntur, breviter indicabo. Inexcusabili errore apud Cortium p. 1003. ex Senecae Ep. CXIV. tanquam Sallustii Fragmenta afferuntur haec: *Fugam nostris fecere*, et: *Quae audita Panormitanos dedere Romanis fecere.* Nam verba esse Arruntii, in historiis belli Punici Sallustium imitantis, tam plane a Seneca dicitur, ut adeo Gerlachius perspexerit. Idem tamen Debrossio auctore (I, 7.) in ed. mai. Inc. 192. non dubitavit ex Seneca de Beneff. IV, 1. haec pro Sallustii verbis

exhibere: *Nihil tam necessarium aut magis*, ut ait Sallustius, *cum cura dicendum*, ad quem locum Vol. III. p. 144. sic disputat: „Hoc in ipso libri initio Salustium dixisse credibile est, cum se rerum aequalium (?!) historiam scripturum esse professus esset. cf. Fr. I, 34. (nostr. I, 4.). imitatus est Salustium Vellei. II, 18. Seneca de Prov. 5. Sulpic. Sever. II, 3.“ Nihil his ineptius. Seneca enim usus formula *cum cura* in parenthesi addit Sallustio eam placuisse. Exstat autem Iug. c. LIV, 1.; relicua omnia Senecae sunt, neque ad Sallustium pertinent. — Quae apud Gerlachium in ed. II. Inc. 74. p. 239, 18. leguntur: *Nam ex aëris et aquae corruptione frugibus infectis gravior etiam animantibus pestilentia coorta est*, nusquam exstant, sed a Debrossio (II, 70.) ex Servio ad Virg. Georg. III, 481. conficta sunt; v. Fr. III, 27. ed. nostr. Ea quum Gerlachius caeca fide ex Debrossio arripuisset, neque tamen sciret, unde ille haberet, in notis, quibus locos Fragmentorum indicavit, posuit Abra cadabra. — Apud Cortium p. 1008. [Gerl. ed. mai. Inc. 133. ed. min. Inc. 40. p. 238, 8. Debr. III, 32.] reperiuntur tanquam genuina haec: *Quae magalia sunt circumiecta civitati suburbana aedificia*, quae Servii potius, quam Sallustii sunt, et male scripto pariter ac male intellecto interpretis Virgiliani loco nituntur. Ita enim ille ad Aen. 1, 421. *Miratur molem Aeneas*, *magalia quondam*: „Alii *magalia casas* Poenorum *pastorales* dicunt. De his Sallustius: *Quae magalia sunt circumiecta civitati suburbana aedificia magalia.* Et alibi Cassius Hemina docet ita: *Sinuessae magalia addenda murumque circum eam.*“ Seducti testimonio Sallustii editores Servii subiecta verba huic tribuenda putarunt, quae ipsa orationis forma clarissime prodit explicatoris esse, neque viderunt grammaticum respicere ad Iug. c. XVIII, 8. ubi Sallustius haec tradit: *Ceterum adhuc aedificia Numidarum agrestium*, *quae mapalia illi vocant*, *oblonga*, *incurvis lateribus tecta*, *quasi navium carinae sunt.* Ad hunc igitur locum ut aperte spectat, quod magalia *casae pastorales* dicuntur, ita planum est ea verba, quae pro Sallustiano Fragmento habentur, a Servio ad illustrandum Virgilii versum adiecta esse. Cuius rei ne ulla dubitatio relinquatur, totum locum, qui perversa interpunctione turbatus est, emendatum exhibebo: „Alii *magalia casas*

Poenorum *pastorales* dicunt; de his Sallustius. Quae magalia sunt circumiecta 'civitati suburbana aedificia. *Magalia* et alibi; Cassius Hemina docet ita: *Sinuessae* etc.“ — Agmen claudat exemplum lepidissimi erroris vel potius incredibilis stuporis. Quo enim augeret Fragmentorum numerum, Gerlachius in ed. mai. Inc. 223. etiam hoc posuit ex Servio ad Virg. Aen. II, 469. *Pyrrhus a colore comae dictus, qui latine Byrrhus* (scr. burrus) *dicitur, ita et Salustius Crispus.* Admonitus deinde a Frotschero ridiculi lapsus, Vol. III. p. 146. concessit quidem hoc Fragmentum nullum esse, sed tamen, ut quodammodo tueretur Pyrrhum suum, ita pedem retulit, ut intrepide adderet: „Sed *Pyrrhi* mentionem esse factam in lib. Hist. infra videbimus.“ Quasi vero id pertineret ad Sallustium *Crispum!*

Grammatici quum saepe Sallustii verba ita afferrent, ut solo eius nomine laudato opus, unde exempla sua sumpsissent, non indicarent, eo factum est, ut seriores editores, Carrionem incuria praetermisisse rati, quae ille prudenter omiserat, complures locos ex Catilina et Iugurtha haustos pro Historiarum Fragmentis haberent, ac ficta haec veris inferrent. Ita anonymus editionis Debrossianae curator Lunaeburgensis in „Spicilegio Fragmentorum a reliquis editoribus omissorum“ p. 112. n. 41. ex Io. Antiocheno in Excerpt. Peiresc. p. 393. novum Fragmentum attulisse sibi visus est hoc: *Καὶ Σαλλούστιος ὁ Ῥωμαῖος συγγραφεὺς ἔφη καλοῖς αὐτὸν* (sc. *τὸν Σύλλαν*) *ἐγχειρήμασι κάκιστον ἐπενηνοχέναι τὸ τέλος*, quae verba expressa esse ex Catil. c. XI, 4. „Sed postquam Sulla, armis recepta republica, *bonis initiis malos eventus habuit*,“ iam Gerlachius Vol. II. p. 57. perspexit. Idem ibid. p. 110. n. 23. auctore scholiasta ad Lucani Phars. VI, 56. Historiis tribuit haec: „A privatis compluribus subversos montes, maria constructa esse,“ quae leguntur Catil. c. XIII, 1. Magis temere, ut solet, Debrossius quae Servius ad Virg. Aen. II, 157. ex Sallustio affert „Ab his omnes evocatos et centuriones,“ in librum IV, 16. retulit, immemor in Catil. c. LIX, 3. locum, memoriter a Servio laudatum, plenius sic exstare: „Ab his centuriones omnis lectos et evocatos — in primam aciem subducit.“ Quin Linkero quoque, cauto et circumspecto viro, accidit, ut in libello de Sall. Historr. pro-

oem. p. 78 sq. locum Lydi de magistr. p. 119. ed. Bekk. *Τὰ γὰρ ἐπίσημα τῶν ἀρχόντων ἀπὸ Θούσκων λαβὼν ὁ βασιλεὺς Νουμᾶς τῇ πολιτείᾳ εἰσήγαγεν, ὥσπερ καὶ τῶν ὅπλων τὸ δύσμαχον ἀπὸ Γαλατῶν. Καὶ μάρτυρες μὲν τούτων ὅ τε Καπίτων καὶ Φωντήϊος, ἐξ ὧν καὶ ὁ διδασκαλικώτατος Οὐάῤῥων, Ῥωμαῖοι πάντες. μεθ' οὓς Σαλούστιος οὗτος ὁ ἱστορικὸς ἐπὶ τῆς πρώτης ἱστορίας σαφῶς ἀναδιδάσκει*, ex Historiis desumptum iudicaret. Sed dubium non est, quin Lydus Catilinam respexerit, ubi c. LI, 38. in Caesaris oratione haec leguntur: „Maiores nostri arma atque tela militaria a Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt." Quae huic sententiae obstare videntur, facili negotio tolluntur. Nam quod Lydus Numam tradit Tuscorum insignia magistratuum in civitatem intulisse, in eo unum vel plures ceterorum auctorum sequitur, non Sallustium; neque alia ex caussa repetendum est, quod pro Samnitibus, quos Sallustius nominat, Gallos dicit. Facile autem in tam levibus poterat dissensus esse inter scriptores, qui in summa re plane cum Sallustio conspirarent. Aliquanto maiorem offensionem habere videatur, quod Lydus Sallustii testimonium ex *prima* eius *historia* affert. Sed prima illa historia nihil aliud est, quam Catilina, quomodo ostendi ad Fragm. II, 67. p. 181. — Ridicule plane Gerlachius in ed. min. Inc. 86. p. 240, 4. tanquam novum Fragm. refert *novissume* vocabulum, neque locum indicans, unde petiit, neque recordatus bis id legi in Iug. c. X, 2. et XIX, 7. Quae ibidem c. XXXI, 20. habentur verba *iudicia*, *bella atque paces*, in ed. mai. non solum ex grammatico incerto de orthogr. p. 2794. Putsch. tanquam Fragm. posuit in Inc. 189.; sed quum apud Cledonium p. 1898. Putsch. ex Sallustio laudatum invenisset *bella atque paces exercebant*, haec rursus Vol. III. p. 148. in Supplem. Fragm. n. 249. pro novo exhibuit; quin Vol. I. Inc. 50. solam *paces* vocem ex Serg. ad Donat. ed. sec. p. 1843. P. inter Fragm. retulit. Idem in ed. mai. Inc. 225. ed. min. Inc. 48. p. 238, 15. ex Diomede p. 224. ut Fragmentum novum profert haec: „Vitabundus per loca saltuosa recedebat," Vol. III. p. 146. annotans: „Spartaci vel Sertorii personae haec conveniunt." Iugurthae convenire intellexisset, si c. XXXVIII, 1. inspexisset, ubi locus

sic exstat: *ipse quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare.* Similiter Lunaeburgensis editor in Spicil. p. 110. n. 24. ex schol. ad Lucani Pharsal. VI, 796. attulit: „Et sane Gracchis cupidine victoriae haud satis moderatus fuit animus," quae iisdem verbis leguntur Iug. c. XLII, 2. Eundem fugit ibid. p. 109. n. 18., quae Servius ad Virg. Aen. I, 194. ex Sallustio laudat: „provincias inter se partiverant," in Iug. legi c. XLIII, 1. Debrossius III, 19. in Fragmenta intulit haec: „Ut frequentes circa signa sint milites." Scilicet legerat apud Serv. ad Aen. XI, 870: „Namque hoc ubique dux praecipit, ut frequentes circa signa sint milites, sicut in Sallustio legimus." At Sallustius, cuius verbis Servius, in rem modo intentus, liberius utitur, in Iug. c. XLV, 2. scripserat ita: „Metellus saepe in medio adesse, *uti cum signis frequentes incederent.*" Non minus a vero aberravit Debrossius IV, 48. ubi verba a Diomede p. 372. allata: „Interdum somno experrectus tumultum facere," Historiis attribuit, quae Iugurthae sunt, c. LXXII, 2. sic scripta: *interdum somno excitus arreptis armis tumultum facere.*

Denique Fragmentorum numerus praeter ordinem auctus est eo, quod vel minores particulae ex maioribus Fragmentis laudatae rursus pro novis exhiberentur, vel unum idemque Fragm. a duobus grammaticis paullo variatis verbis relatum propterea pro duobus inter se diversis haberetur. Utroque modo saepius peccavit is, qui sua opinione accuratissimam ac prorsus incomparabilem operam Historiarum Fragmentis impendit. Ex oratione Lepidi (Fr. I, 45, 4.) quum desumpta sint verba a Donato ad Ter. Phorm. II, 1, 13. allata *nam quid a Pyrrho, Hannibale*, nisi quod ibi corrupte *quidem* est pro *quid*, tamen haec, neque corruptelae natura, neque Donati mente perspecta, in ed. mai. Inc. 112. ut novum Fragm. posuit. — Quae Donatus ad Ter. Ad. III, 2, 12. memoriter affert *neque animo neque lingua satis compotem*, aperte petita sunt ex eo Historiarum loco, cuius plenius Fragm. in nostra ed. est I, 88.; Gerlachius tamen pro diversis habens alterum I, 24. alterum Inc. 59. exhibuit. — Verba *ad Corycum*, a Prisc. XV, 2, 9. p. 618. laudata, quae I, 57. habet, cur novum Fragm. esse vellet, non intelligitur, quum in eo, quod illi est I, 55., nobis

I, 80., contenta sint. — Libro III, 26. ex Non. VI, 44. affert, quae pars sunt Fragmenti Vaticani, quod in Inc. 171. habet; v. ed. nostr. III, 77, 15. Similiter quattuor Fragm. ad fretum Siculum spectantia, IV, 35. Inc. 118. 126. 127., rursus comparent in Inc. 220.; quod quamquam ibi consilio se fecisse ostendit, tamen eius consilii ratio non intelligitur. De Sertorio, fugam ad insulas Fortunatas agitante, et Servii exstat testimonium ad Aen. II, 640. et Acronis ad Hor. Epod. 16, 42., utrumque ex eodem Historiarum loco petitum, verbisque modo variatum; neque tamen Gerlachio id obstitit, quominus duo Fragmenta inde faceret, Inc. 135. et 213. Prorsus inepte vero unum Servii locum (ad Aen. II, 325.), ubi de Dardania agit, ipse in duas partes dispescuit et tanquam duo diversa Fragmenta in Inc. 172. et 201. collocavit. Exempla haec vel supinae negligentiae ac levitatis, vel summae artis criticae ignorationis iudiciique infirmitatis, quae in maiore eius editione inveniuntur, quamquam aliqua ex parte sublata sunt in minore, tamen haec quoque aliis eiusdem generis inquinata est. Nam quum I, 116. p. 198, 15. verba haec posuisset, pessime ex Servio ad Aen. II, 564. et ex Arus. p. 247. conflata (v. nostr. ed. I, 115. Inc. 1.): „Quom Sertorius neque (*urbe?*) erumperet, tam levi copia fugam navibus maturabat," in Inc. 84. p. 240, 3. rursus habet Arusiani verba *fugam maturabat*, eo maiore incuria, quod haec ex primo libro laudantur. — *Curubis*, Africae urbs, libro I, 30. p. 184, 22. memorata, mutata nominis forma iterum prodit in Inc. 85. p. 240, 4., ne loco quidem, ubi ita scribitur, indicato; v. nostr. ed. I, 43. p. 36. — Quod habet lib. II, 72. p. 204, 25. (nostr. II, 22.) Fragmentum: „Quibus a Sertorio triplices insidiae per idoneos saltus positae erant; prima, qui forte venientis exciperent," eius particulam, eamque pessime scriptam ex male intellecto loco Charisii I. p. 75. P. rursus protulit in Inc. 18. p. 237, 13. — Libro II, 82. p. 205, 16. haec leguntur: „Octavium mitem et captum pedibus;" eadem in III, 3. p. 215, 24. sic recurrunt: „Conlegam eius Octavium mitem et kaptum pedibus;" quae repetitio simul cum mutato libri numero et variata scriptura facta eo ineptior videri debet, quod utroque loco testatur se verba ex Lindemanniana Arusiani ed. p. 243. sumpsisse. —

De *naphtha* quoque, quo usos esse Tigranocertorum incolas Sallustius narravit (v. Fr. IV, 13. p. 307.), bis posuit Fragmentum idem IV, 83. p. 230, 19. et Inc. 77. p. 239, 21. Probi grammatici p. 1473. P. et Hieronymi ad Daniel. c. 3. discrepantes naphthae explicationes tam parum inter se conciliare valens, ut, quum priore loco oleo comparetur, altero fomes dicatur. — Fragmenti Vaticani extremi (Fr. III, 77, 20.) lacunosum locum quum Kreyssigius optime explesset sic: „et tum mat*ura in agris* erant aut*umni frumen*ta," eamque coniecturam testimonio Porphyrionis, ad Hor. Epp. II, 1, 140. ex Sallustio *autumni frumenta* afferentis, confirmasset, Gerlachius eam emendationem, ut par erat, p. 223, 10. in textu expressit. Sed eius rei oblitus Porphyrionis locum rursus in Inc. 87. p. 240, 4. ita retulit, ut appareat non ipsum apud Horatii scholiastam legisse, sed ex edit. Lunaeburgensis Fragmentorum Spicilegio p. 109. n. 17. eum arripuisse falsis quidem numeris notatum. Unde illi accidit, ut, quum iam Vol. III. p. 146. n. 229. eadem verba inter nova Fragmenta recenseret, lepidissima insania haec annotaret: „*Vide* ap. Porphyr. ad Horat. Ep. I, 10, 40. *Sed ibi haec verba non exstant.*"

Haec habui, Wuestemanne optime, quae Tibi de consilio ac ratione huius editionis narranda censerem. Qua si iudicaveris hoc effectum esse, ut multi errores, a prioribus editoribus commissi, sublati sint, auctoris verba emendatius scripta ac probabilius explicata, denique totius operis, qualis olim fuit, paullo accuratior imago exhibita, operae meae in eo negotio exsequendo positae non me poenitebit. Non possum autem, antequam scribendi finem faciam, quin Tibi significem valde me, dum hic liber typis exscribitur, doctissimi humanissimique viri auxilio esse adiutum. Is est Beatus Casselius, auctor ingeniosi libri de Magyarorum antiquitatibus, nec minus plurimarum ac reconditarum litterarum scientia, quam ingenii acumine conspicuus, qui non solum molestum plagularum a mendis typographicis purgandarum laborem egregia voluntate ac diligentia suscepit, sed etiam de locis aliquot obscurioribus tam sollerter me admonuit, ut et me ipsum sibi obstrinxerit, et lectorum quoque gratiam sibi comparasse putandus sit.

Iam vale, mi Wuestemanne, meque amare perge.

Scribebam Erfurti pridie Nonas Novembres MDCCCLIII.

C. SALLUSTI CRISPI
HISTORIARUM FRAGMENTA.
LIBER I.

ARGUMENTUM.

CAP. I.

Exponitur de Historiarum scribendi consilio, ac simul de prioribus historicis agitur. Fr. 1—6.

CAP. II.

Breviter supra repetitur, quibus contentionibus de libertate et de dominatione respublica romana agitata fuerit. Fr. 7—14.

CAP. III.

Explicantur ea, quae Lepidi turbas tanquam caussae praecesserunt. — Bellum sociale. — Bellum civile inter Marium et Sullam. — Sullae dictatura. — Civitas vi et proscriptionibus lacerata. — Reliquiae Marianarum partium in Sicilia et Africa per Pompeium confectae. — Fr. 15—44. (Anni 91—78 a. Chr. n.)

CAP. IV.

Lepidi turbae et bellum civile in Italia. Fr. 45—55. (Anni 78. 77. a. Chr. n.)

CAP. V.

Bellum Sertorianum. — Sertorii priora tempora. — Sertorius in Mauretania. — Cum Lusitanis coniunctus bellum movet. — Eius pugnae cum variis ducibus Romanis et cum Metello usque ad Pompeii in Hispaniam adventum. Fr. 56—76. (Anni 83—77. a. Chr. n.)

CAP. VI.

Bellum contra piratas a P. Servilio gestum. Fr. 77—80. (Anni 78. 77. a. Chr. n.)

CAP. VII.

Bellum in Macedonia et Thracia App. Claudio Pulchro duce gestum. Fr. 81—82. (Anni 78. 77. a. Chr. n.)

Cap. VIII.

Fragmenta incertioris sententiae. Fr. 83—86.

Cap. IX.

Fragmenta, quorum interpretatio ne coniecturis quidem iniri potest. Fr. 87—106.

Cap. X.

Fragmenta paucissimis tantum aut singulis vocabulis composita. Fr. 107—121.

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIB. I.

Cap. I.

Exponitur de Historiarum scribendi consilio, ac simul de prioribus historicis agitur.

1. Res populi Romani M. Lepido Q. Catulo coss. ac deinde militiae et domi gestas composui.

Fr. 1. [Cort. p. 933. Gerl. ed. mai. I, 1. ed. min. I, 1. p. 182, I. Debr. I, 1.] Sallustium his verbis Historias exorsum esse patet ex Tib. Donato ad Virg. Aen. I, 1., qui illum refert sic opus coepisse, *ut primo rem, deinde populi Romani personam poneret.* Verba ipsa servavit Rufin. de compos. et metris orat. p. 192. Orell. Eadem duobus locis, sed non satis accurate, memoravit Priscianus; nam XV, 2, 6. p. 616. ed. Kr. tantummodo habet *ac deinde militiae et domi gestas composui*, paullo post autem XV, 3, 17. p. 623. haec leguntur: *Res populi Rom. M. Lepido Catuloque coss. ac deinde domi et militiae gestas.* Quae ut opportune mutua ope suppleri possunt, ita patet posteriore loco male scriptum esse *Catuloque*, tum quia, duobus nominibus socialis, praenomen non alteri additur, ad alterum omittitur, sed aut utrique aut neutri adiicitur, tum quia consulum nomina legitime sine copula ponuntur; v. ad Catil. XLIII, 2. p. 199. coll. Beiero ad Cic. de Off.

2. Cato Romani generis disertissumus paucis absolvit.

III, 30, 109. p. 391. Praeterea *domi et militiae* non verum esse verborum ordinem non solum intelligitur priore Prisciani loco cum Rufini testimonio comparato, sed inde quoque elucet, quod longe maior Historiarum pars in rebus bellicis narrandis versatur. Eodem modo locutus est etiam Livius VII, 32, 16., quamquam usitatius est *domi* vocabulum praeponi. Quantum temporis spatium complectantur verba *ac deinde* exposuimus in praefatione. Tanta est autem Gerlachii iudicii perversitas, ut Vol. III. p. 47. non dubitaret haec scribere: „Ex his verbis intelligitur, Sallustium initio libri nondum certum quendam finem, ad quem sibi progrediendum esse putavit (sic!), constituisse." Scilicet hoc idem est, ac si dixisset illum ebrium ad Historias componendas accessisse. cf. quae diximus in Jahni Nov. Ann. Philol. et Paed. a. 1832. Vol. V. p. 271 sqq. et Linker. de Sall. Hist. Prooem. p. 10 sqq.

Fr. 2. [Cort. p. 933. Gerl. ed. mai. I, 2. ed. min. I, 3. p. 182, 4. Debr. I, 4.] Verba servavit Victorinus in Rhetor. Cic. p. 57, 30. Orell. qui „Historia, inquit, et brevis esse debet in expositione et aperta et probabilis, ut Sallustius sibi omnia in Catilina tribuit: *quam verissime potero paucis absolvam;* quum aliis historiographis singula tradidisset in libro I. Historiarum, Catoni brevitatem: *Romani generis disertissimus paucis absolvit*; Fannio vero veritatem." Praeterea Servius ad Virg. Aen. I, 96. tria priora verba laudat, ad eundemque locum respicit Acro ad Horat. Sat. I, 10, 9. his verbis usus: „Sic et Cato laudatur a Sallustio, quod *multa paucis absolverit.*" Ex hoc Acronis loco *multa*, quod in omnibus Sall. edd. legitur, in Victorini verba esse illatum recte iudicat Linkerus de Hist. Prooem. p. 30.; aliud enim quam *multa*, quod scholiastam sapit, fuisse apud Sall. luce clarius est. Fragmenti sensus enim haud dubie hic est, Catonem rerum gravissimarum copiam levioribus omissis breviter ac simplici oratione, remota inani verborum ostentatione, enarrasse. Ab hoc Sallustii iudicio non multum diversum est, quod Cicero proposuit de Orat. II, 12, 53. *Qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilaus fuit, aliique permulti, talis noster Cato et Pictor et Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornatur oratio (modo enim huc ista sunt importata), et dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem.* Disertum fuisse Catonem pariter testatur Cicero in Bruto c. 17, 66. *Iam vero origines eius quem florem, aut quod lumen eloquentiae non habent?* Cetera veterum de Catone iudicia accurate collegit Frider. Ellendtius in Succincta eloquentiae Romanae historia, Bruti editioni praefixa, §. 13. p. 24. ed. II. Sallustium Catonis concinnam brevitatem et priscum dicendi

3. Fannio veritatem *[tradidit Sallustius]*.
4. Recens scripsit.

genus totamque fere orationis conformationem et colorem imitatum esse (quae sunt verba Linkeri l. l. p. 30.), res notissima est saepeque et ab auctoribus veteribus testata, et ab iniquis eius vituperatoribus exagitata; cf. Sueton. de illustr. grammat. c. 15. Id. in Octaviano c. 36., extr. Sed ut laudavit Catonis dicendi genus, ita minus eum probasse videtur a veritate incorruptoque de rebus et personis iudicio, id quod patet ex Fr. seq., et suspicati sumus ad Fr. Inc. 42., ubi v.

Fr. 3. [Cort. p. 933. Gerl. ed. mai. omissum; ed. min. I, 4. p. 182, 5. Debr. I, 5.] Ex brevi hoc fragmento, quod est apud Victorinum in Cic. Rhetor. p. 57, 34 Orell., magis cognoscitur *quid* Sallustius dixerit, quam *quomodo*; constructio verborum enim pendet ex *tradidisset* verbo, quod Victorini est. Male igitur Cortius cum prioribus editoribus scripsit *Fannius vere*; male etiam Debrossius *Fannius vero veritatem*. De Fannio, qui aequalis fuit Scipionis Africani Minoris, Laelii gener, et praetor a. 137. a. Chr. n., cf. Cic. Brut. c. 26, 101. *Eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest, quae neque nimis est infans, neque perfecte diserta.* In magno honore fuisse eius historiam intelligitur etiam ex eo, quod M. Brutus eam in epitomen redegit teste Cicerone in Epp. ad Attic. XII, 5.

Fr. 4. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 34. ed. min. I, 6. p. 182, 7. Debr. I, 8.] Apud Charis. II, 14, 198. p. 120. Lindem. (192. Putsch.) tantummodo exstat *recens scrip.* Quod quum Putschius explesset *scripsi*, Sallustii editores bona fide eum secuti perversissimas explicationes prodiderunt. Debrossius enim auctorem censet in praefatione Historiarum his verbis respicere ad priora sua opera de Catilinae coniuratione et de Iugurthino bello; Gerlachius autem Vol. III. p. 73. Sallustium ait, in praefatione veritatis studium professum, addidisse, „veritatem minus a se inflecti potuisse, *quod rerum, quas descripserit, aequalis fuerit*;“ quae sententiae quot verba, tot fere habent ineptias. Quicunque enim nexus sententiarum fuit, simplex observatio temporum ostendit *recens scripsi* non esse Sallustii, quippe qui, quum 86. a. Ch. n. anno natus esset et ante annum 40 a. Chr. n. probabiliter non ad Historias componendas accederet, se res ab anno 78 usque ad 67 gestas *recentem* scripsisse nullo pacto dicere poterat. Nihilominus haec verba in praefatione fuisse videntur, sed de alio homine alioque opere dicta; quam ob rem non *scripsi*, sed *scripsit* legendum est. Quo loco enim auctor de prioribus egit rerum scriptoribus, et quid cuique peculiare esset exposuit, de aliquo etiam hoc pronunciavit, *recentem* eum

5. Nos in tanta doctissumorum hominum copia.

6. Neque me divorsa pars in civilibus armis movit a vero.

scripsisse, id vel ad laudem vel ad vituperium referens; utrumque enim fieri potest. Eum coniicio fuisse Sisennam, qui, quum anno 67. a. Chr. n. mortuus (v. Dion. Cass. XXXVI, 2. p. 87. Reim.) aliquot annis ante historiam belli Marsici et civilis Sullani edidisset (v. Cic. de Legg. I, 2, 7. Brut. c. 64, 228. Ellendt. in Eloq. rom. hist. §. 44. p. 110. ed. II. ed. Linker. de Sall. Hist. Prooem. p. 12. et 19.), sane dici poterat illas res *recens scripsisse*. Quodsi reputaveris Sallustium in Iug. c. XCV, 2. sic de eo iudicasse: „L. Sisenna optume et diligentissume omnium, qui eas (i. e. Sullae) res dixere, persecutus, *parum mihi libero ore locutus videtur*," eius rei caussam fortasse hanc reperisse sibi visus est, quod ille res *recens scripserit*.

Fr. 5. [Cort. p. 933. Gerl. ed. mai. I, 3. ed. min. I, 5. p. 182, 6. Debr. I, 6.] Verba sine libri nota bis exstant apud Servium, ad Virg. Aen. II, 89. ubi omissum est *hominum*, et ad IV, 213.; satis probabiliter tamen Carrio libri primi esse iudicavit, quem ceteri editores secuti sunt omnes. Nam quum Sallustius priores rerum scriptores recensuisset, et quod cuiusque esset ingenium, exposuisset (v. Fr. I, 2—4), quas ipse rationes operis sui ineundas putaverit explicasse videtur.

Fr. 6. [Cort. p. 933. Gerl. ed. mai. I, 4. ed. min. I, 7. p. 182, 7. Debr. I, 3.] Arusian. p. 248. ed. Lindem. *Divorsam partem* significare *adversam* vel *contrariam* iam a Wassio et Cortio observatum est; contulerunt illi Sueton. de illustr. gramm. c. „*Interrogatus a Varrone diversae partis advocato*" id. vit. Caes. c. 20, extr. „*In universos diversae factionis induxit Vettium praemiis.*" cf. ad Catil. c. V, 8. et Böttticheri Lex. Tacit. p. 161. Ceterum *divorsa pars in civilibus armis* non significat Pompeianos, quibus Sallustius, quum ad rempublicam accessisset, adversabatur, Caesaris partes secutus (illa enim tempora in Historiis non attigit), sed intelligendae sunt priorum temporum contentiones civiles, non iis consiliis atque studiis gestae, quae Sallustio probabantur. Qui quum nobilitatis potentiae infestissimus ab eorum partibus staret, qui plebis libertati studerent, *divorsa parte in civilibus armis* significat eos, quicunque et ipsius aetate et priore tempore, plebis libertate armis oppressa, immodicam optimatium potentiam malis artibus augere conati sunt. Verborum sensus igitur hic est: Etiam ubi de iis mihi agendum est, qui in bellis civilibus *factionis nobilium* fuerunt mihi

CAP. II.

Breviter supra repetitur, quibus contentionibus de libertate et de dominatione respublica romana agitata fuerit.

7. Nam a primordio urbis ad bellum Persi Macedonicum.

8. Nobis primae dissensiones vitio humani ingeni

invisissimae, tamen ea res neque a vero perspiciendo me avocavit, neque obstabit, quominus, quid ubique verum sit, aperiam.

Fr. 7. [Cort. p. 934. Gerl. ed. mai. I, 6. ed. min. I, 10. p. 182, 12. Debr. I, 11.] Verba attulit Priscian. XVII, 21, 161. p. 85. ed. Kr. Cum eo congruit Servius ad Virg. Aen. I, 30., nisi quod *principio* habet pro *primordio*. Praeterea Priscianus quattuor postrema verba laudavit XIV, 2, 11. p. 589., quae pariter afferuntur a Probo Instit. gramm. II, 1, 46. in Corp. gramm. Latt. Vol. I. p. 126. (p. 1468. Putsch.), Servio ad Virg. Aen. VIII, 383., M. Claud. Sacerd. in arte gramm. II, 46. pag. 56. ed. Endlicher. et Charis. I, 17, 28. p. 37. Lindem. (p. 52. Putsch.) Hi omnes loco toties usi sunt, ut genitivum nominis proprii in — *es* exeuntis (*Persi* enim ad *Perses* nominativum pertinet) non in *is*, sed in *i* terminatum Sallustii auctoritate tuerentur; cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. II, 1. p. 163 — 7. Zumpt. Gramm. Lat. §. 15, 1. pag. 50. ed. IV. Ellendt. ad Cic. Brut. c. 8, 29. Otto ad Cic. de Finn. II, 35, 116. Ceterum non assentior Linkero, qui de Sall. Hist. Prooem. p. 87. hoc Fr. ad eum praefationis locum refert, ubi Sall. de prioribus Romanorum *historicis* disputavit, ratus eum hoc dixisse „a primordio urbis ad bellum Persi Macedonicum historicam artem incultam prorsus iacuisse, nec nisi inde ab hoc tempore prima fere incrementa cepisse." A primordio urbis enim quis exspectaret historicos? Mihi Sallustius videtur, quum ipsam rerum romanarum expositionem ordiretur, his verbis iudicium aliquod de universo civitatis statu, qualis per illud tempus fuit, protulisse; sed quid dixerit, definiri nequit.

Fr. 8. [Cort. pag. 934. Gerl. ed. mai. I, 5. ed. min. I, 9. p. 182, 9. Debr. I, 9.] Priscian. V, 4, 25. p. 183. et Kr. sine ulla librorum varietate, nisi quod Carrio refert in cod. S. Martini Lovaniensis legi *nobis nuper primae* etc., quod ineptum esse ipsa sententiae ratio evincit. Praeterea in eodem cod. et in Thosano ex librarii correctione pro *agil* est *agitur*, unde Douza immerito coniecit *agitat*, ignorans Servium ad Virg. Aen. IV, 245., ut illustraret *agit* verbum, Sallustiano exemplo uti: *inter certamina dominationis aut libertatis agit;* quod quamquam, utpote memoriter allatum, in non-

evenere, quod inquies atque indomitum semper in certamine libertatis aut gloriae aut dominationis agit.

9. Res Romana plurumum imperio valuit Ser. Sul-

nullis a vulgata scriptura discrepat, tamen *agere* certum praestat. De eo verbo, quod significat *versari, esse, vivere*, cf. Iug. LXXXV, 9. *In optumis artibus egi.* Fragm. Histor. I, 9. *Optumis moribus — egit populus Rom.* I, 63. *Mauri contendebant Antipodas iustos agere.* III, 1, 4. *Hostes in cervicibus iam Italiae agentes.* v. annotata ad Cat. XXIII, 3. p. 114. ad Iug. XVIII, 9. et Boetticheri Lex. Tacit. p. 51. — *Inquies*, antiquior forma pro *inquietus*, saepius a Sallustio usurpatur; cf. Fr. I, 45, 11. et §. 16. II, 45., IV, 60. *L. Hostius Dasianus, inquies animi.* Praeterea v. Ruhnken. ad Vell. II, 68, 3. et Boetticheri Lex. Tacit. p. 277. — *Indomitum* non habet vim participii, sed adiectivi in — *bilis*, idemque valet atque *indomabile;* cf. quae de hoc usu uberius exposuimus ad Iug. c. LXXVI, 1. p. 401. Fragmentum hoc Linkerus de Sall. Historr. Prooem. p. 36. bene iudicat eo loco fuisse, ubi Sallustius, quum indicasset suam rerum Romanarum descriptionem in iis temporibus versaturam, quibus respublica armis civilibus lacerabatur, discordiarum originem supra repeteret. Idem V. D. scite observavit auctorem verbis *in certamine libertatis aut gloriae aut dominationis* iusta serie caussas complecti, quibus Romae deinceps turbae civiles moverentur. Primae enim dissensiones domesticae inde ortae, quod de *libertate* toti populo erat contra reges, deinde plebi contra patres nitendum (v. Catil. VI, 7. VII, 1—4.). Post Carthaginis excidium gravius motum certamen *gloriae atque imperii* (v. Catil. X, Iug. XLI.), quum avaritia et mala ambitio animos exerceret (v. Catil. XI.), ut pro sua quisque potentia certarent (v. Catil. XXXVIII, 3.). Denique moribus magis magisque corruptis res eo processit, ut pauci potentes *domini* fieri quaererent totius reipublicae, h. e. legibus eversis omnia ex suo arbitrio cum vi agerent, velut Marius, Cinna, Carbo, Sulla.

Fr. 9. [Cort. p. 935. Gerl. ed. mai. I, 7. ed. min. I, 11. p. 182. 13. Debr. I, 15 et 13.] Verba universa exstant apud Victorin. in Cic. Rhetor. p. 5. Orell.; sed singulas partes etiam alii servarunt. Nonius enim II, 180. p. 92, 8. Mercer. haec habet: *Cis Rhenum atque inter mare nostrum et Oceanum, nisi qua paludibus invia fuit, perdomita*, ad quae verba haec scripturae varietas e codd. Pariss. a Dübnero enotata est: *nisi quia* codd. α, δ; *invia fuit* cod. *A*; *invia fuerit* codd. α, δ. Tum apud Servium ad Virg. Aen. VI, 539. legitur: *Inter secundum atque ultimum bellum Carthaginiense.* Denique huc spectat locus Augustini de Civ. Dei II, 18. quem, quia multum facit ad Sallustium illustrandum, totum apponemus. „Sallu-

picio et M. Marcello consulibus, omni Gallia cis Rhenum atque inter mare nostrum atque Oceanum, nisi qua a paludibus invia fuit, perdomita. Optumis autem moribus

stius, inquit, in primo Historiae suae libro atque in ipso eius exordio fatetur, etiam tunc, quum ad consules a regibus esset translata respublica, post parvum intervallum iniurias validiorum et ob eas discessionem plebis a patribus aliasque in urbe dissensiones fuisse. Nam quum *optimis moribus et maxima concordia populum Romanum inter secundum et postremum bellum Carthaginiense* commemorasset *egisse*, caussamque huius boni non amorem iustitiae, sed stante Carthagine metum pacis infidae fuisse dixisset, — continuo subiecit idem Sallustius *At discordia*" etc. cf. eund. ib. III, 21, in. His testimoniis inter se collatis non est dubium, quin Gerlachius perperam scripserit *nisi quae a paludibus fuit invia;* primum enim sensus efficitur valde incommodus, quum relativum *totam* Galliam complectatur, cuius tantummodo *pars* intelligi debet; tum ipsa scripturae diversitas ostendit, *qua* a Sallustio profectum esse. Nam quod plures Nonii codd. tenent *qua pal. fuit* aut *qua fuit palud.*, quivis videt *qua* non ex *quae a*, sed *ex qua a* ortum esse, *a* praepositione vel casu absorpta, vel de industria ab iis omissa, qui eius vim non caperent. Alio modo peccatum est a scribis in Victorini codd., qui in *qua* particula offensi eius loco *quae* posuerunt, *a* facilius ferentes. Significatur autem hac praepositione *origo*, *unde fluxerit id*, quod effectum dicitur, sententiâ paullum diversâ, si solus ablativus ponitur, quo declaratur id, *per quod* aliquid efficitur; cf. annotata ad Iug. c. XXXI, 3. et Hand. de Partice. Latt. Vol. I. p. 29. — De *qua* particula v. ad Iug. c. XVIII, 2. p. 108. Fr. III, 55. III, 78, 15. — *Fuit*, quod apud Victorinum ante *invia*, in vulgatis autem Nonii exemplaribus ante *paludibus* legitur, auctoritate codicis antiquissimi A. post *invia* collocavimus, quem ordinem etiam codd. α. δ. confirmant, licet *fuerit* exhibeant. Receptus autem a Gerlachio verborum ordo non solum idonea codicum fide destitutus est, sed etiam numerum aeque ac sonum ingratum habet. — *Respublica*, quod Victorinus tenet, praeeunte Linkero de Sall. Hist. Prooem. p. 40., edidimus pro *populus Romanus*, quemadmodum omnes editores ex Augustino II, 18. (nam III, 21. habet *Romanos*) scripserunt. Corruptela orta ex confusis scribendi compendiis R. P. et P. R., quod saepius factum esse ostendimus ad Iug. XXX, 3. p. 171. — *Res Romana* i. q. *civitas;* v. ad Catil. VI, 3. p. 32. — *Servius Sulpicius* et *M. Marcellus* consules fuerunt anno a. Chr. n. 51., quum Caesar bello iam in octavum annum tracto totam fere Galliam Romanorum imperio subiecit. — *Mare nostrum* i. e. mediterraneum; v. ad Iug.

et maxuma concordia egit respublica inter secundum et postremum bellum Carthaginiense.

10. At discordia et avaritia atque ambitio et cetera

c. XVIII, 4. — *Gallia a paludibus invia* intelligenda est ea Belgicae pars, ubi habitabant Bellovaci, Ambiani, Aulerci, Caleti, Veliocasses et Atrebates, quos Hirtius de B. G. VIII, 7. tradit octavo belli anno rursus rebellantes in silvas ac paludes se contulisse. — *Egit* i. q. vixit; v. ad Fragm. I, 8. — Quod Servius habet *ultimum bellum*, memoriae lapsu factum videtur; certe Victorini et Augustini consensus duplex *postremum* satis tuetur. Sed in copula ante hanc vocem valde variant; apud Augustinum enim utroque loco habetur *et*, apud Victorinum *ac*, apud Servium *atque;* quae postrema particula quum iungendis vocibus externo nexu comprehensis minime conveniat, v. Hand. de Partice. Lat. Vol. I. p. 458., non dubitavimus *et* recipere, quod etiam ab externa auctoritate magis commendatur. Ita huius fragmenti verbis ac sensu constitutis non praetereundum est, quanta temeritate Debrossius id corruperit. Nam quum Ammianus quoque Marcellinus Sallustii verbis, sed paullo liberius, usus sit, quippe apud quem libro XV, 12 extr. p. 107. ed. Vales. haec legantur: „*Omnes Gallias, nisi qua paludibus inviae fuere*, ut Sallustio docetur auctore, post decennalis belli mutuas clades subegit Caesar, societatique nostrae foederibus iunxit aeternis;“ Debrossius verba a Victorino et Nonio servata exegit ad Ammiani exemplum. Maiore igitur interpunctione post *valuit* posita, sequentia novam enunciationem fecit, scribens: „Servio Sulpicio — omnes Galliae — quae a paludibus inviae fuere, perdomitae;“ sc. sunt. Quod quamquam ineptissimum est, tamen ineptius etiam verba *optumis autem moribus* etc. a praecedentibus avulsit et tanquam novum fragmentum duobus sequentibus ed. nostrae interposuit. Scilicet neque curavit ille externam testimoniorum auctoritatem, neque vidit oppositione *maximi imperii* et *optimorum morum* internum nexum effici artissimum.

Fr. 10. [Cort. p. 934. Gerl. ed. mai. I, 8. ed. min. I, 12. p. 183, 1. Debr. I, 12.] Integrum hoc fragmentum servatum est ab Augustino de Civ. Dei II, 18. Longe maximam partem idem etiam libro V, c. 12. retulit, sed in obliquam orationem mutatam, verbis multis transpositis, aliis omissis, aliis denique salva sententia variatis, ita ut hic locus, non ex codice Sallustii descriptus, sed memoriter adhibitus, nullum usum habeat ad verba auctoris accuratius constituenda. Aliquanto plus ad hanc rem proficias ex tertio Augustini loco, de Civ. Dei III, 16., ubi altera fragmenti pars inde a verbis *dein servili imperio* usque ad finem exhibetur, cum hac scri-

secundis rebus oriri sueta mala post Carthaginis excidium maxume aucta sunt. Nam iniuriae validiorum et ob eas discessio plebis a patribus aliaeque dissensiones domi

pturae discrepantia: II, 18. *dein;* III, 16. *deinde*, quod, quamquam Sallustio usitatius est (v. Indic. h. v.), tamen non recepimus, quia Donatus quoque ad Ter. Andr. I, 1, 9. *dein* tuetur; v. infra. — II, 18. *quibus saevitiis;* III, 16. *quibus agitata saevitiis.* Illud in Sallustii editionibus legitur omnibus; sed haud dubie vera est, quam expressimus in textu, lectio, verbo *agitata* aucta. Nam ut iusta caussa cogitari nequit, cur scribae id altero loco adiecerint, ita facile potuit ab iis negligi propter congruam sequentis verbi structuram. Ad hoc egregii prorsus sensus est vocabulum, valdeque accommodatum ad anxietates vexatae plebis declarandas; cf. Drakenborch. ad Liv. XXXIV, 12, 1. Forcellini Lex. h. v. T. I. p. 116. ed. Germ. et quae de *exagitare* diximus ad Cat. XXIX, 1. p. 133. Tum apud Augustinum II, 18. est *et maxime fenoris onere oppressa;* III, 16. *et maxime fenore oppressa.* Illud verum; hoc scribis, non Sallustio debetur. Nam quamvis fere par sit utriusque scripturae sententia, tamen *fenoris onere* non solum vividius est atque elegantius dictum, sed clarum est etiam, *fenore* negligentia scribae esse ortum, qui similitudine syllabarum deceptus non absoluto *fenoris* vocabulo in sequentem vocem transiliret, neque errorem animadverteret sensu non impedito. — Porro Augustinus II, 18. habet *quum tributum simul et militiam toleraret;* III, 16. vero *quum tributum et militiam simul toleraret*, quae particularum collocatio usui scriptoris repugnat; v. annotata ad Iug. c. XLVII, 2. p. 268. — Paullo infra II, 18. est *tumque tribunos;* III, 16. *tuncque trib.* Utrum verum sit vix assequaris; nam si tribuni ipso secessus tempore creati dicuntur, quod sane dici potest, *tunc* scribendum erit; sin ea Sallustii mens est, secessu *effectum esse*, ut tribuni crearentur, *tum* requiritur (v. ad Iug. c. V, 1., p. 28.), quod nobis magis placet, quum Sallustius, quae cursu temporum in republ. Rom. mutata sint, exponat. — Postremo verba libri II, 18. *certaminis utrimque finis fuit*, in libro III, 16. sic leguntur: *certaminis utriusque finis fuit*, perversâ sententiâ; non de duobus enim certaminibus sermo fuit, sed de certamine ab utraque parte exercito. — Praeter haec Augustini testimonia alia exstant Grammaticorum, singula verba afferentium; nam Serv. ad Virg. Georg IV, 238. habet *iniuriae validiorum;* Donat. ad Terent. Andr. I, 1, 9. *Dein servili imperio patres plebem;* Arus. p. 236., Diomed. p. 439. ed. Putsch., Serv. ad Virg. Aen. VIII, 479. *armata montem sacrum atque Aventinum insedit.* — Iam singula illustrabimus. *Secundis rebus* non sunt ablativi, qui vocantur instrumenti, ad *oriri*

fuere iam inde a principio, neque amplius, quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, aequo et modesto iure agitatum. Dein

verbum pertinentes, sed absoluti, de quibus v. annotata ad Catil. c. XI, 4. cf. Kühner. ad Cic. Tusc. III, 16, 34. Sententia ipsa desumpta est ex Catonis Originum libro V., quem locum Gellius N.N. A.A. VII, 3. servavit (Vett. historicc. Fragm. p. 378. ed. Frotscher.): *Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis — superbiam atque ferociam augescere atque crescere; — adversae res se domant, et docent quid opus sit facto; secundae res laetitia transversum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo.* Ceterum Sallustius eandem sententiam iam in Iug. c. XLI. tractavit. — *Amplius* de continuatione et longitudine dictum (v. Hand. Tursellin. Vol. I. p. 288.) valet *diutius, ultra;* cf. Iug. c. XXV, 10. *Ne amplius morando Scaurum incenderet, in provinciam venit.* — *Quam* non ad ablativos orationi interpositos pertinet, sed simul cum *dum* particula ad *positum est* referendum. *Dum* autem, quo terminus significatur, ad quem aliquid producitur, valet *usque ad illud tempus, quo;* cf. Handii Tursell. Vol. II. p. 319. Caes. B. C. I, 87, 1. *Caesar ex eo tempore, dum ad flumen Varum veniatur, se frumentum daturum pollicetur.* — *Metus a Tarquinio* quomodo dictum sit optime declarant Handii verba in Tursell. Vol. I. p. 52. qui: Verba, inquit, *exspectare, sperare, metuere, timere* secum habent praepositionem *ab* propterea, quia id, quod exspectatur, vel timetur, *ab alicuius parte exstiturum* putatur, quo quidem simul comprehenditur et originis et exitus notio. cf. Liv. XXXIII, 20, 10. *Rhodiis, dempto metu a Philippo omni, erat consilium obviam eundi classe Antiocho.* — *Positum est* i. e. *finitum;* v. ad Iug. CXII, 1. — *Servile imperium* passivo sensu est tale, quod *in servos* exercetur, sive quo servi habentur. — *Exercere* i. e. vexare, fatigare; v. ad Catil. c. XI, 1. — *Regio more* quid sit explicavimus ad Iug. c. LXIV, 5. p. 350. — *Consulere* quum valeat etiam *constituere* ac *decernere* (verfügen), h. l. praegnanti sensu de constituenda poena mortis aut verberum dictum est, eadem ratione, qua *consulere in aliquem* significat aliquem vel *punire*, vel *male tractare;* cf. Liv. XXX, 43, 13. *De perfugis gravius quam de fugitivis consultum.* Ius cives Romanos verberibus afficiendi patriciis ereptum lege Porcia, de qua vide ad Catil. c. LI, 22. et Heineccii Antiquitt. Rom. Append. Lib. I, 27. p. 246. ed. Haubold. Ad eandem rem spectant etiam ironica verba Licinii tribuni pl. in Hist. Fragm. III, 82, 26. *Abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur.* De misera plebis a patribus oppressae condicione cf. etiam Catil. XXXIII, 1 sqq. et imprimis Liv. II. 23. qui

servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere, et, ceteris expertibus, soli in imperio agere. Quibus agitata saevitiis et maxume fenoris onere oppressa plebes quum assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret, armata montem sacrum atque Aventinum insedit, tumque tribunos plebis et alia

totus locus pro uberrimo verborum Sallustianorum commentario haberi potest. — *Fenoris* vocabuli, quod in Augustini edd. et apud Cortium scribitur *foenoris*, in utraque Gerlachii autem editione *foeneris*, cur primam syllabam per *e* scripserimus, patet ex annotatione ad Cat. XXXIII, 1. p. 153. De media syllaba per *o* scribenda v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. II, 1. p. 177. — De *tolerare* verbo v. ad Cat. c. XXIV, 3. Verba *montem sacrum atque Aventinum insedit* non de duabus aut adeo pluribus secessionibus capienda esse, ut Cortio placuit, sed de prima tantum secessione anno 494. a. Chr. n. facta, Linkerus de Sall. Historr. Prooem. p. 48. recte vidit. Plebs enim tum montem trans Anienem, qui postea sacer dictus est (v. Cic. p. Corn. Fr. 23. p. 451. Orell. Fest. p. 318, 20. ed. Muell.) et paucis diebus post Aventinum occupavit, unde alii scriptores brevitatis caussa modo sacrum montem, velut Liv. II, 32, 3., alii modo Aventinum, velut Piso apud Liv. l. l. et Sall. Iug. c. XXXI, 17., obsessum dicunt, quae confundens Diomedes p. 439. Putsch. Aventinum ipsum montem sacrum appellatum esse contendit. Cum Sallustio congruit Cic. de rep. II, 33, 58. *Nam quum esset ex aere alieno commota civitas, plebs montem sacrum prius, deinde Aventinum occupavit. Altera* secessio in Aventinum facta est anno a. Chr. n. 449. ad decemvirorum intolerabilem dominationem frangendam; v. Liv. III, 51, 10. sqq. — In verbis *tribunos plebis et alia sibi iura paravit* vox *alia* non continuo refertur ad *tribunos*, nam tribuni ipsi ius non sunt, sed *creandorum tribunorum iuri* alia iura opponuntur. Interdum enim *alius* vocabulis diversae notionis distinguendis ita adhibetur, ut utrumque vocabulum latius patenti notioni, dicentis animo obscure obversanti, tanquam partes eiusdem generis subiiciantur. cf. Liv. IV, 41, 8. *Eo missa plaustra iumentaque alia ab urbe exercitum affectum proelio ac via nocturna excepere.* Hic quamquam *iumenta* non sunt *plaustrorum* genus, tamen utrumque pertinet ad *fessorum adminicula;* quare quum voces *alia* pronomine distinguantur, plenior sensus hic est *plaustra aliaque fessorum adminicula*, sc. *iumenta*. Id. VII, 19, 2. *Ex ingenti captivorum numero trecenti quinquaginta octo delecti, nobilissimus quisque, qui Romam mitterentur: vulgus aliud trucidatum;* i. e. *alii captivorum, qui vulgus fuere.* Hunc usum, Grae-

sibi iura paravit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum.

11. Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit, plurumae turbae, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum

cis pariter in voce ἄλλος tritum, luculenter illustravit Walchius in Emendd. Livv. p. 58 sqq. cf. Pape in Lex. Gr. v. ἄλλος n. 3. — De loco *sibi* pronominis, verbis *alia iura* interpositi, v. ad Cat. I, 1. p. 4.

Fr. 11. [Cort. p. 935. Gerl. ed. mai. I, 9. ed. min. I, 13. p. 183, 18. Debr. I, 14.] Hoc fragmentum cum sequente Douza ex tribus partibus in unum conflavit. Ac de duabus prioribus vix dubitari potest, quin apud Sallustium eodem tenore lectae fuerint, artissimo sententiarum nexu intercedente; quare nos quoque coniunximus. Sed tertia pars, quam omnes Sallustii editores, Douzam secuti, adiunxerunt, aperte non cohaeret cum praecedentibus. Seiunctam igitur ut novum fragmentum exibuimus. — Prima verba usque ad *vacuum fuit* exstant apud Gellium NN. AA. IX, 12.; quae sequuntur usque ad *pro bono ducebatur* servavit Augustinus de Civ. Dei III, 17. — *Vacuum fuit* i. e. per negotia licuit; nam *vacuum* significat tempus gravioribus occupationibus liberum, eoque paratam agendi potestatem liberam. Sallustium imitatus est Dictys II, 7. *Interim in eo otio Agamemnoni cum Menelao fratre exercere discordias vacuum fuit.* Universus locus obversatus est Tacito in Historr. II, 38, 1. *Ubi subacto orbe et aemulis urbibus regibusve excisis securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere.* cf. Boetticheri Lex. Tacit. p. 480. — *Ad postremum* vi adverbii est i. q. *postremo, denique*; cf. Fragm. I, 51, 5. Hand. de Partice. Latt. Vol. I. p. 131 sq. — *Pauci potentes* quo sensu dicantur explicavimus ad Cat. c. XX, 7. — Pro *in gratiam plerique concesserant* in omnibus editionibus est *in gratia pl. conc.*, quae barbara structura a Carrione inducta non solum Cortio vehementer placuit, sed etiam a Gerlachio Vol. III. p. 51. miserandae apparatu doctrinae defensa est. Quod autem ad Iug. V, 4. p. 32. dicebamus ex coniectura scribendum esse *in gratiam*, secunda fortuna factum est, ut ea re nunc non sit opus. Nam ex quo Arusianus ex egregio cod. Gud. a Lindemanno emendatus prodiit, huius testimonio v. *concedo* p. 220. satis comprobatum est Sallustium scripsisse *in gratiam*, cui auctoritati etiam Gerlachius in ed. minore obsecutus est. De verbi *concedere* cum *in* coniuncti structura v. ad Iug. XVIII, 12. Cat. XX,

aut plebis nomine dominationes affectabant; bonique et mali cives appellati non ob merita in rempublicam, omnibus pariter corruptis; sed uti quisque locupletissumus et iniuria validior, quia praesentia defendebat, pro bono ducebatur.

7. Fragm. Histor. III, 82, 6. — *Sub honesto patrum aut plebis nomine*, i. e. honestam patrum aut plebis caussam atque commodum praetexentes. *Nomen* enim, *rei* ipsi oppositum, eam quoque vim habet, ut praetextum sive falsam caussam designet; cf. Cat. XXXVIII, 3. *Honestis nominibus pro sua quisque potentia certabant.* Virg. Aen. IV, 172. *Nec iam furtivum Dido meditatur amorem; Coniugium vocat, hoc praetexit nomine culpam.* Cui sensui quamquam ablativus sufficit, tamen *sub* additum rem significantius declarat. Quoniam enim praetextu vera alicuius rei caussa *tegitur* atque *occultatur*, haec tegendi notio *sub* praepositione maxime perspicua redditur; cf. Liv. XLIV, 24, 4. *Proximam Asiam esse, quam Romani iam ex parte sub specie liberandarum civitatium suam fecerint.* Id. II, 56, 3. *Haud parva res sub titulo minime atroci ferebatur.* — *Dum* cum *affectabant* coniunctum cave insolenter dictum putes, quia vulgo praecipiunt etiam in re praeterita cum praesente construi, v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 78, 10. not. p. 419. ed. IV. Heindorf. ad Hor. Sat. 1, 5, 72. Sed imperfectum recte se habet, si eius rei, quae eodem tempore cum altera agi dicitur, *perpetuitas* designatur; vere enim Handius de Particc. Latt. Vol. II. p. 306. „In re praeterita, inquit, narranda, ubi *non totus eius cursus*, sed aliqua eius pars intelligitur, ponitur praesens.“ Imperfecto igitur h. l. significatur per totum et continuum affectatae dominationis tempus turbas ac seditiones fuisse; cf. Walch. Emendd. Livv. p. 185. et ad Tacit. Agric. c. 41. p. 401 sq. — De vi pluralis *dominationes* v. ad Cat. c. XIV, 5. p. 73. Fragm. I, 12. *Qui neque ipsi habere possent res familiares.* II, 44, 1. — *Iniuria validior* Cortius perperam explicat *validior quam iniuria, sive validior illis, qui iniuste praesentia invadebant;* non vidit enim ita significari vere bonos, contra Sallustii mentem, qui bonos cives *non ob merita in rem publicam* vocatos dicit. Boni cives igitur quum non intelligendi sint ex honestatis ratione, sed ex partium contentionibus, verba *iniuria validior* significant eum, qui *iniuria aliis inferenda plus valet.* — *Praesentia* autem *defendere* neque est *praesentia mala arcere et propulsare*, ut Cortio videtur, neque *civitatis formam et rerum statum, qui nunc est, defendere*, ut Gerlachius explicat, sed pugnare pro iis, quae in praesentia valent, sive *potentiam, quae in manibus est, quavis ratione*

12. Ex quo tempore maiorum mores non paullatim, ut antea, sed torrentis modo praecipitati; adeo iuventus luxu atque avaritia corrupta est, uti merito dicatur, genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares, neque alios pati.

retinere ac tueri studere. Isto modo, ut hoc utar, bonus civis ducebatur Opimius, qui C. Gracchum oppressit, bonus civis Marius, dum nobilium factionem vexavit, bonus civis etiam Sulla, Marianarum partium victor crudelissimus. — De *pro* praepositione v. ad Iug. XCVIII, 6. p. 525. — Praeterea totius fragmenti interpunctionem in omnibus fere edd. valde incommodam mutavimus, primum colo post *orta sunt* in comma mutato, tum commate post *affectabant* in semicolon converso, deinde semicolo post *corruptis* posito, denique semicolo, quod post *validior* fuit, in comma mutato. Patet enim clarissime verba *dum — affectabant* ad praegressa illustranda pertinere; quae sequuntur *bonique et mali cives* etc. quoniam non pendent ex *dum* particula, sed novam sententiam inferunt, necessario maiore interpunctione distinguenda sunt; *que* autem non simpliciter copulat sententias, sed indicat, id, quod additur, ex praecedentibus consectarium esse (germanice *und dem zu Folge*), quem usum teligimus ad Cat. III, 5. p. 22. Iug. XCV, 4. Postremo oppositio spectans ad verba *non ob merita in rempubl.* non conficitur solis verbis *sed uti quisque — validior*; sed variatâ structurâ amplificatâque sententiâ omnia, quae sequuntur, pro oppositione superioris sententiae sunt; unde intelligitur, neque haec disiungi posse, et praecedentia (*omnibus pariter corruptis*) separari debere.

Fr. 12. [Cort. p. 935. Gerl. ed. mai. I, 9. ed. min. I, 13. p. 183, 28. Debr. I, 14.] Haec verba ab Augustino de Civ. Dei II, 18 et aliqua ex parte etiam II, 19. et II, 22. servata omnes editores Douza auctore praecedenti fragmento adiunxere. Sed quamquam certum videtur in confinio illius loci apud Sallustium lecta fuisse, tamen non cohaesisse cum eo ex sententiae ratione perspicitur. Nam verba *ex quo tempore* nullo pacto possunt ad antecedentia referri, quibus et *paucorum dominanti cupiditas et quam perverso more boni cives appellati fuerint* explicatur, tempus vero certum non designatur. Contra huius fragmenti sensus ita comparatus est, ut necesse sit in antecendentibus *de caussis luxuriae et perditorum morum* dictum fuisse, occasione ac tempore huius corruptelae simul memorato; neque multum a vero aberraverit, qui coniiciat, talia fere proxime antecessisse, qualia Sallustius de eadem re in Catil. c. XI. XII. et XIII. disseruit. Quare quum ne minima quidem externa

13. Omnium partium decus in mercedem corruptum erat.

14. A Ti. Graccho seditiones graves coepere.

auctoritate probetur hoc fragmentum cum priore coniunctum fuisse, internae autem caussae ostendant cohaerere non potuisse, merito nobis videmur ab inveterata editorum opinione discessisse. — De morum depravatione simillimus exstat locus Velleii II, 1, 1. *Remoto Carthaginis metu sublataque imperii aemula non gradu, sed praecipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum.* — Animi caussa memoramus in Gerlachii ed. Vol. III. p. 51. hoc legi: „*torrentis modo* i. e. *χειμάῤῥος*." Cuius doctae annotationis quod consilium sit, vix quisquam dixerit, nisi summa vanitas ostenditur, quae ne accentus quidem graecos recte ponere didicerit. — Verba *uti merito dicatur genitos esse* etc. haud dubie imitatione expressa sunt ex Thucydide I, 70. *Ὥστε, εἴ τις αὐτοὺς ξυνελὼν φαίη πεφυκέναι ἐπὶ τῷ μήτε αὐτοὺς ἔχειν ἡσυχίαν, μήτε τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἐᾶν, ὀρθῶς ἂν εἴπεν.*

Fr. 13. [Deest apud Cort. et Debr. — Gerl. ed. mai. Vol. III. p. 146. n. 226. ed. min. I, 33, p. 185, 2.] Fragmentum emendatius exstat in cod. Gud. Arusiani, v. *in illam rem*, p. 240. Lindem. Ex cod. Leid. illud iam protulerat Burmannus in Anthol. lat. Vol. I. p. 173., ubi nullo sensu *nimiumque* legitur pro *omnium*. Verbis hoc significatur: *omnes partes ita corruptae ac depravatae erant, ut decoris atque honesti cura plane abiecta tantummodo mercede vilisque utilitatis ratione ducerentur.* Idem saepius queritur Sallustius, velut Catil. c. X, 3. *Avaritia fidem, probitatem ceterasque artis bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit.* Iug. c. XXXI, 12. *Homines sceleratissumi, immani avaritia, quibus fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt.* ib. c. LXXX, 5. *Caeci avaritia, quis omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat.* Fr. Hist. III, 82, 5. *Melius habent mercede delinquere, quam gratis recte facere.* In loco huic fragmento assignando secuti sumus Linkerum de Sall. Historr. Prooem. p. 54., qui bene vidit verba ibi lecta fuisse, ubi Sall., quum in universum de summa morum corruptione avaritia et luxu effecta dixisset, quae inde mala in rempublicam redundavissent, exposuit. Gerlachius contra: „Haec, inquit, de Sulla dictum puto, qui initio nobilium caussam defendisse videbatur, postea autem avaritiae et crudelitati sociorum servire coactus est."

Fr. 14. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 43. ed. min. I, 14. p. 184, 4. Debr. 1, 16.] Fragmentum exstat apud Augustinum de

CAP. III.

Explicantur ea, quae Lepidi turbas tanquam caussae praecesserunt. — Bellum sociale. — Bellum civile inter Marium et Sullam. — Sullae dictatura. — Civitas vi et proscriptionibus lacerata. — Reliquiae Marianarum partium in Sicilia et Africa per Pompeium confectae.

---

15. Tantum antiquitatis curaeque maioribus pro Italica gente fuit.

Civ. Dei II, 21. cuius verba, quoniam oratione obliqua utitur, apponemus. „Eo quippe tempore, inquit, disputabatur, quo iam unus Gracchorum occisus fuit, *a quo* scribit *seditiones graves coepisse* Sallustius. Nam mortis eius fit in eisdem libris commemoratio.“ Ex his ut luce clarius est de Tib. Graccho sermonem esse, ita simul satis probabiliter coniici potest, Sallustium de utriusque Gracchi miserando casu eo Historiarum loco exposuisse, ubi seditionum initium tetigit. Ceterum pro *coepere* apud Cortium, Debrossium et Gerlachium ed. mai. non satis accurate scriptum est *ortae*, quod neque cum Augustini verbis congruit, neque ad sententiam aptum est, siquidem Sallustius non tam caussam et originem, quam *primum tempus* seditionum significavit. Levius est, quod apud Debrossium et in Gerlachii ed. min. inverso ordine legitur *graves seditiones*; sed cur ab Augustini auctoritate discedatur; caussa nulla est.

Fr. 15. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 32. ed. min. I, 17. p. 184, 7. Debr. I, 23.] Verba sine libri indicio exstant apud Serv. ad Virg. Georg. II, 209., qui etiam ad Aen. II, 635. affert *antiquitatis curaeque pro Italica gente*. Leguntur eadem, sed valde depravata, apud Cor. Frontonem de Oratt. II, 6. p. 271. ed. Mai. Mediol. a. 1815. Qui quum M. Antonium vituperet, quod nonnullas voces inusitata ac minime probanda significatione adhibuerit: „Verbum aliquod adquiras, inquit, non fictum a te, nam id quidem absurdum est, sed usurpatum concinnius, aut congruentius, aut accommodatius. Tantum antiquitatis cura e(sto). Pro ITALICA GENTE, MAIORIBUS Sallustius ait. Antiquitatis verbum usitatum, sed nusquam (eo) sensu usurpatum (neque) probe adscitum. Nam volgo dicitur, quod potius sit, antiquius esse. Inde ipsa Sallustio derivata.“ Haec ita scripta sensu prorsus carere quivis facile videbit; nam Angelus Maius quum tantummodo litteris maiusculis expressa pro Sallustianis habet, verbis autem *tantum antiquitatis cura e[sto]* praeceptum Frontonis grammaticum vel rhetoricum contineri vult, omnia pervertit et conturbat incredibiliter. Sed Servio collato in aprico est *cura e(sto)* depravatum esse ex *curaeque*, puncto autem

16. Atque omnis Italia animis discedit.
17. Post defectionem sociorum et Lati.

sublato eadem verba haberi, quae Servius attulit, hac sola discrepantia, quod *maioribus* post *gente* legitur, *fuit* autem deest, haud rara res, ubi grammatici scriptorum verba memoriter laudant. Ceterum Fronto de insolenter usurpata *antiquitatis* voce recte iudicat; nam contra loquendi consuetudinem Sallustius substantivo eam vim tribuit, quae tantummodo in adiectivi formis *antiquus* et *antiquissimum* inest, quaeque eo constat, quod non *temporis* remoti ac dudum praeterlapsi, sed *loci atque ordinis prioris* et propter id ipsum gravioris ac melioris notio, ex *ante* voce repetenda, usu obtinuit; cf. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. IV. p. 82 et Gronov. ac Drakenborch. ad Liv. I, 32, 2. qui multa exempla collegerunt. Sensus fragmenti est: Tantopere maiores *respexerunt* atque curarunt gentem Italicam. Quod non assecutus Douza pro *antiquitatis* coniecit *anxietatis*, Debrossius vero *aequitatis*, utrumque pingui Minerva. Neque commendatur Gronovii l. l. explicatio, qui figuram ἓν διὰ δυοῖν in verbis agnoscens interpretatur *tantum antiquae et primae curae.* Sententia aperte declarat Sallustium haec dixisse, quum de caussis atque ortu belli Italici sive socialis ageret. Quae quum summa Romanorum iniquitate constarent, Italicis superbe negantium, quod illi suo iure postularent (v. Vellei. II, 15 2, Flor. III, 18, 3.), auctor, quo magis haec iniquitas pateret, cum maiorum aequitate eam comparavit. Putandus est igitur in iis, quae hoc fragmentum praecesserunt, cuncta Romanorum instituta atque leges de sociis Italici nominis tetigisse, quibus sanctum fuit, ut alii revera plena civitate cum suffragio donarentur, aliis certe aditus ad civitatem facilius pateret; quae maximam partem verba sunt Linkeri acutissimi de Salf. Historr. Prooem p. 57. Gerlachius, cui etiam obscurissima fragmenta plerumque luce sunt clariora, Vol. III. p. 126. „Quem, inquit, huic fragmento locum assignem nescio. potuit commemorari in caussis belli civilis enarrandis, ubi eius temporis perversitatem cum *priscae aetatis innocentia* comparabat."

Fr. 16. [Deest apud Cort. et Debr. — Gerl. ed. mai. Vol. III. p. 146. n. 232. ed. min. I, 25. p. 184, 18.] Verba sine libri nota exstant apud Schol. ad Lucan. Phars. III, 632. Idem ea ad VI, 348. sic affert: *atque omnis Italia discessit animis*, quae levis discrepantia memoriae lapsu deberi videtur. *Discedere* quum Schol. ll. ll. explicet *dividi, separari*, sensus verborum est: omnes Italiae populi summa animorum commotione in diversas partes abierunt, seu diversas in armis civilibus partes secuti sunt. Quod quum bello sociali factum sit, omnibus fere Italicis a Romanorum imperio desciscentibus, vix dubitari potest, quin haec verba ibi lecta fuerint,

18. Tum vero Etrusci cum ceteris eiusdem caussae ducem se nactos rati, maxumo gaudio bellum irritare.

ubi Sallustius initia eius belli exposuit; cf. Linker de Sall. Historr. Prooem. p. 58. *Animis discedit* Gerlachius „vix latinum" iudicans soloecismo *armis discessit* auctorem commaculavit; *latine* enim dicitur *ab armis discedere*, ut recte monuit Linkerus l. l. coll. Dietschio ad Iug. XX, 1. p. 172. Leviter Gerl. etiam *discessit* ex altero Scholiastae loco edidit, ex altero verborum ordinem retinuit. Quam infeliciter autem fragmentum ad finem tumultus Lepidani referat, non opus est pluribus ostendere.

Fr. 17. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 107. ed. min. I, 74. p. 196, 6. Debr. III, 72.] Verba sine libri indicio a Donato ad Terent. Adelph. III, 4, 11. servata hic collocanda putavimus, quoniam certum est, de bello sociali Sallustium primo libro dixisse. Latinos simul cum ceteris civitatibus defecisse, nemo scriptorum tradidit praeter Florum III, 18, 5 et 6., cuius auctoritati, si solus aliquam rem narret, non multum tribuendum censet Dukerus ad h. l. Sed quum Florus non solum Latium inter eas gentes memoret, quae contra Romanos surrexerunt, sed etiam Latinorum *ducem* Afranium diserte nominet, Sallustii testimonio accedente non videtur de rei veritate dubitari posse. Quodsi reputaveris scriptores non accurate civitatium, quae illud bellum concitarunt, nomina referre, facile poterit de Latio difficultas tolli, si statuas neque omnes Latinos populos defectionem molitos esse, neque per totum bellum in armis fuisse, eoque a ceteris scriptoribus Latinorum nullam esse mentionem factam. — Debrossius verba ad tertium librum retulit, ubi de servorum bello agitur, hunc nexum fingens: *post defectionem sociorum et Lati* non maius imperio Romano imminuisse periculum, quam a Spartaco. Quod si cui certius videatur, facile patiar eum suo iudicio frui.

Fr. 18. [Cort. p. 944. Gerl. ed. mai. I, 16. ed. min. I, 52. p. 190, 8. Debr. I, 73.] Verba habet Nonius I, 132. p. 31, 26. Mercer., ubi admodum corrupte sic leguntur: „Tunc vero *et posci*, cum *ceteri* eiusdem *causa et* ducem *senatus* rati maximo gaudio bellum irritare." Haec Lindemannus ad Arusian. v. *inrito*, p. 241., verba *maxumo gaudio bellum irritare* laudantem, maximam partem ex suis codd. recte emendavit; *causae ducem* enim facile eruitur ex scriptura cod. A. γ. φ. *causa educem*, unde in aliis factum *causa et ducem*. Aeque in promptu est *se nactos*, quod iam coniecit Mercerus, depravatum fuisse in *se nactus*, ut est in cod. σ. z., pro quo in cod. A. *senactus*, in γ. et φ. autem *senatus* exstat. *Et posci*, aperte ex populi alicuius nomine corruptum, Lindemannus, secutus Vossii coniecturam Leidensi exemplo ed. Mercer. ascriptam, infe-

19. Quippe vasta Italia rapinis, fuga, caedibus.

liciter mutavit in *Volsci*; neque enim in eo ratio habita est *et* vocu-lae, et, quod gravissimum, Volsci illo tempore iam dudum desierant populus esse. Verum haud dubie assecutus est Mercerus, cuius praestantissimam emendationem *Etrusci cum celeris* recipere non dubitavimus. Quam facile enim sensu destitutae voces *et posci* litteris *po* in *ru* mutatis in iustam nominis proprii formam coëant, in oculos incurrit; cum externa autem probabilitate etiam sententiae ratio interna congruit. Etrusci enim, qui primo belli socialis anno a Romanis non defecissent, anno proximo, dubia fide fortunam armorum speculati, et ipsi ad defectionem spectabant; cf. Appian. B. C. I, 49, in. *Καὶ τάδε μὲν ἀμφὶ τὴν Ἰταλίαν ἦν τὴν περὶ τὸν Ἰόνιον. Αἰσθόμενοι δ' αὐτῶν οἱ ἐπὶ θάτερα τῆς Ῥώμης Τυῤῥηνοὶ καὶ Ὀμβρικοὶ καὶ ἄλλα τινὰ αὐτοῖς ἔθνη γειτονεύοντα πάντες ἐς ἀπόστασιν ἠρεθίζοντο. Δείσασα οὖν ἡ βουλὴ μὴ ἐν κύκλῳ γενόμενος αὐτοῖς ὁ πόλεμος ἀφύλακτος ᾖ, — Ἰταλιωτῶν τοὺς ἔτι ἐν τῇ συμμαχίᾳ παραμένοντας ἐψηφίσαντο εἶναι πολίτας· — καὶ τάδε ἐς Τυῤῥηνοὺς περιέπεμπον. οἱ δὲ ἄσμενοι τῆς πολιτείας μετελάμβανον.* Id. ib. c. 50, in. *Οἱ δὲ περὶ τὸν Ἰόνιον οὔπω τὴν Τυῤῥηνῶν μετάνοιαν ἐγνωκότες μυρίους καὶ πεντακισχιλίους — ἐς τὴν Τυῤῥηνίαν ἐπὶ συμμαχίᾳ περιέπεμπον.* Quo Appiani loco ut in universum clarum fit Fragmentum ex narratione esse de bello marsico, ita singula eius verba plenam lucem accipiunt. *Tum* enim, quod respondet graecis *αἰσθόμενοι δ' αὐτῶν*, refertur ad praecedentia, quibus auctor docuit, cur Etrusci, usque ad hoc tempus quieti, iam deficere cogitarint; *celeri* sunt *τὰ ἔθνη γειτονεύοντα*; *eiusdem caussae ducem se nactos rati* capiendum de viro aliquo audaci, qui apud Etruscos prodiret, eosque, ut rebus secundis uterentur, impelleret; denique *bellum irritare*, quod Appianus dicit *ἀπόστασιν ἠρεθίζοντο*, est *ad bellum sumendum se stimulabant*, sive *belli ardorem incitabant.* — Debrossius et Gerlachius Fr. ad Lepidi turbas referunt; atque ille quidem corruptam Nonii scripturam secutus in verbis sensu cassis iudicia diversarum partium de Lepido sibi deprehendisse visus est; hic in ed. min. Lindemanni coniecturam amplexus ad Lepidi tumultum respici putat, quem *Volsci* rebellando adiuverint.

Fr. 19. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 139. ed. min. I, 80. p. 196, 11. Debr. II, 2.] Serv. ad Virg. Aen. VIII, 8. sine libri indicio. Ex Incertis Fr. huc transtulimus, quia vix dubium est, quin Sallustius his verbis miserandum belli socialis eventum descripserit; quam rem haud parum confirmant verba Augustini, multum in historia ex Sallustio pendentis, de Civ. Dei III, 26. *Deinde socialia bella*

20. Quis rebus Sulla suspectis maxumeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.

exarserunt, quibus Italia vehementer afflicta et ad vastitatem miserabilem desertionemque perducta est. cf. Flor. III, 18, 11. *Nec Hannibalis, nec Pyrrhi fuit tanta vastitas:* et Vell. II, 17, 1. — Gerlachius Vol. III. p. 135. de Sullanis proscriptionibus haec dicta putat; sed *quippe* particula pariter atque totius sententiae ratio huic explicationi obest. Debrossius somniavit de cura patrum reparandi Italiam bellis civilibus vastatam.

Fr. 20. [Cort. p. 936. Gerl. ed. mai. I, 12. ed. min. I, 20. p. 184. 10. Debr. II, 4.] Huius Fragmenti olim tantummodo verba *maximeque — bellaturi* cognita erant ex Donato ad Ter. Phorm. II, 4, 24. Plenius exstat in cod. Gud. Arusiani, v. *in tempore*, p. 241. Lindem., unde patet Sallustium finita belli marsici narratione ad insecutum civile se contulisse exponendum, cuius initia cum Mithridatico primo coniuncta sunt. Perbene igitur Linkerus de Sall. Historr. Prooem. p. 60. „Fragmentum, inquit, videtur ad a. 88. referendum, quo Sulla, quum Marium et Sulpicium Romae rerum potitos videret, unde ipsius condicio contra Mithridatem bellaturi non poterat non iniqua effici, antequam ad bellum proficisceretur, illos pellere atque ipse omnia denuo constituere decrevit.“ — Verborum structurâ non intellectâ Gerlachius in ed. min. pro *Sulla* coniecit scribendum esse *Sullae*, qua mutatione non opus est, quum *suspicere* verbum a Sallustio cum accusativo construatur; cf. Iug. c. LXX, 1. *Bomilcar suspectus regi, et ipse eum suspiciens.* Verbis igitur ita comparatis, ut *Sulla* subiectum sit, cuius praedicatum intercideril, fragmenti sensus est: *quas res quum Sulla suspiceret* sive *suspectas haberet maximeque ferocia m regis Mithridatis.* Obiecta regi *ferocia* quum de contemptu imperii Romani et immoderata fines proferendi cupiditate intelligi potest, tum imprimis spectare videtur ad immanem crudelitatem, qua M'. Aquillium necavit; cf. Vell. II, 18. 2. Cic. p. l. Manil. c. 5, 11. *Vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum populi Romani consularem vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit?* Appian. B. Mithr. c. 21. p. 671. ed. Schweigh. *Μετ' οὐ πολὺ καὶ Μάνιον Ἀκύλιον, τὸν τῆσδε τῆς πρεσβείας καὶ τοῦδε τοῦ πολέμου μάλιστα αἴτιον, ἑλὼν δεδεμένον ἐπὶ ὄνου περιήγετο, κηρύσσοντα τοῖς ὁρῶσιν ὅτι Μάνιος εἴη, μέχρι ἐν Περγάμῳ τοῦ στόματος αὐτοῦ κατεχώνευσε χρυσίον, δωροδοκίαν ἅμα Ῥωμαίοις ὀνειδίζων.* Sed multo maxime ad ferociam pertinet caedes civium Romanorum per totam Asiam uno die facta, de quo nefando Mithridatis facinore cf. Flor. III, 5, 7. *Saevitia quasi virtute utebatur. Nam quid atrocius uno eius edicto, quum omnes, qui in Asia forent, Romanae civitatis homines interfici*

21. Postremo ipsos colonos per miserias et incerta humani generis orare.

22. Nihil esse de re publica neque libertate populi Romani pactum.

iussit? Vell. II, 18, 2. Cic. p. l. Manil. c. 3, 7. Appian. B. Mithr. c. 22, p. 672. *Ὁ Μιθριδάτης σατράπαις ἅπασι καὶ πόλεων ἄρχουσι δι' ἀπορρήτων ἔγραψε, τριακοστὴν ἡμέραν φυλάξαντας ὁμοῦ πάντας ἐπιθέσθαι τοῖς παρὰ σφισὶ Ῥωμαίοις καὶ Ἰταλοῖς, αὐτοῖς τε καὶ γυναιξὶν αὐτῶν καὶ παισὶ καὶ ἀπελευθέροις.* Plut. in Sulla c. 24, extr. *Τὸν δεκαπέντε μυριάδας ἡμέρᾳ μιᾷ τῶν ἐν Ἀσίᾳ Ῥωμαίων κατασφαγῆναι παρασκευάσαντα δεινὸν ἡγοῦντο* (sc. *οἱ τοῦ Σύλλα στρατιῶται*) *μετὰ πλούτου καὶ λαφύρων ὁρᾶν ἐκπλέοντα τῆς Ἀσίας.* — *In tempore*, quod Donatus explicat *εὐκαίρως*, est *mature*, sive *tempore ipsi opportuno*; cf. ad Iug. c. LVI, 2. — Debrossius, cui astipulari videtur Gerlachius Vol. III. p. 52., hoc fragmentum ad finem tumultus a Lepido commoti spectare censet, ubi variis curis patrum mentes exercerentur.

Fr. 21. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 72. ed. min. I, 58. p. 190, 15. Debr. II, 48.] Serv. ad Virg. Aen. X, 45. De quo haec dicta sint, aptiorem non reperio, quam C. Marium, qui anno a. Chr. n. 88. a Sulla urbe eiectus ac fuga periculosissima in Minturnarum vicinitatem delatus, ibi in paludibus aliquamdiu latitavit. In summo igitur discrimine versatus, equitibus Sullanis per totam illam oram eum investigantibus, colonos, ut se servarent, orasse videtur per miserias, quibus ipsum conflictantem viderent, et exemplo suo eos commonefaciens, quam incerta esset condicio mortalium. cf. Plutarch. in Mar. c. 36 et 37, ubi illa Marii fuga et mirabilis conservatio fusius narratur. Oros. V, 19. — Debrossii explicatio huius fragmenti haec est: „*Lepidi servi Tharranos colonos pro Lepido aegrotante deprecantur, ut eum dignentur excipere in urbe, ubi paullo post mortuus Lepidus.*“ Quae quamquam ineptissima sunt, tamen Gerlachii assensum tulere. Quin is his non contentus pro *humani generis* ex coniectura scripsit *Romani generis!*

Fr. 22. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. I, 31. p. 184, 24.] Fragmentum, quod recens accessit ex cod. Gud. Arusiani v. *paciscor*, p. 251. Lindem., non sine magna quadam verisimilitudinis specie mihi referre videor ad L. Corn. Cinnam, qui in annum 87. a. Chr. n. consul creatus, quum Sullae iureiurando se obstrinxisset, illius instituta se servaturum, statim post eius profectionem in Graeciam res novas moliri coepit, dictitans *nihil esse de republica neque libertate populi Romani pactum*, i. e. nihil se promisisse, quod contra rempublicam aut libertatem populi Rom. esset.

23. Nexuit catenae modo.

24. Et Metello procul agente longa spes auxiliorum.

cf. Plutarch. in Sull. c. 10, med. *Νώνιον μέν γε τὸν ἀδελφιδοῦν αὐτοῦ καὶ Σερουήϊον ἀρχὰς μετιόντας ἀποψηφισάμενοι καὶ καθυβρίσαντες ἑτέρους κατέστησαν ἄρχοντας, οὓς μάλιστα τιμῶντες ᾤοντο λυπεῖν ἐκεῖνον. Ὁ δὲ τούτοις τε προσεποιεῖτο χαίρειν, ὡς τοῦ δήμου τῷ ποιεῖν ἃ βούλοιτο δι' αὐτὸν ἀπολαύοντος τῆς ἐλευθερίας, καὶ θεραπεύων τὸ τῶν πολλῶν μῖσος ὕπατον κατέστησεν ἀπὸ τῆς ἐναντίας στάσεως Λεύκιον Κίνναν, ἀραῖς καὶ ὅρκοις καταλαβὼν εὐνοήσειν τοῖς ἑαυτοῦ πράγμασιν. Ὁ δὲ ἀναβὰς εἰς τὸ Καπιτώλιον ἔχων ἐν τῇ χειρὶ λίθον ὤμνυεν, εἶτα ἐπαρασάμενος ἑαυτῷ τῆς πόλεως μὴ φυλάττοντι τὴν πρὸς ἐκεῖνον εὔνοιαν ἐκπεσεῖν τῆς πόλεως, ὥσπερ ὁ λίθος διὰ τῆς χειρὸς, κατέβαλε χαμᾶζε τὸν λίθον οὐκ ὀλίγων παρόντων. Παραλαβὼν δὲ τὴν ἀρχὴν εὐθὺς ἐπεχείρει τὰ καθεστῶτα κινεῖν, καὶ δίκην ἐπὶ τὸν Σύλλαν παρεσκεύασε καὶ κατηγορεῖν ἐπέστησεν Οὐεργίνιον.* — Pro *libertate* cod. Gud. habet *libertati*; ablativum ex Lindemanni coniectura reposuimus sententia sextum casum flagitante. — Gerlachius verba vel de Pompeio, vel de Sulla intellexisse videtur; sed in neutro idonea caussa reperiri potest.

Fr. **23.** [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 39. ed. min. I, 105. p. 198, 2. Debr. III, 24. III, 73. III, 140. IV, 50.] Verba, quae sunt apud Priscian. X, 8, 47. p. 505. Kr., Gerlachius in ed. min., quantum ex collocatione Fragmenti coniici potest, ad *Metellum* videtur retulisse nescio quid, dum cum Sertorio pugnat, nexentem; Debrossius autem supra modum fatuus, qui quater ea in alieno libro posuerit. Nobis probabilius est haec de Mario dicta esse, qui, quum anno 87. a. Chr. n. ex Africa reversus cum Cinna, Carbone et Sertorio Romam obsideret, navigiis catenae modo nexis Tiberim clauderet ad urbem commeatu intercludendam; cf. Appian. B. C. I, 67, extr. p. 95. ed. Schweigh. *Σερτώριος δὲ ὑπὲρ τὴν πόλιν ἄνω, καὶ Μάριος πρὸς τῇ θαλάσσῃ, ζευγνῦντες οἵδε τὸν ποταμὸν καὶ γεφυροῦντες, ἵνα τὴν πόλιν ἀφέλοιντο τὴν σιταγωγίαν.* Id. ibid. c. 69, in. *Μάριος δ' ἐπεὶ τῆς ἀγορᾶς τῆς ἔκ τε θαλάσσης καὶ ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ φερομένης κατέσχεν, κ. τ. λ.*

Fr. **24.** [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 84. ed. min. I, 50. p. 190, 6. Debr. I, 27.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 544. sine libri indicio. Sed ex *primo* desumptum esse Fragm., ubi de urbe a Cinna et Mario obsessa egit auctor (v. Fr. praecedens), probatur loco Appiani de B. C. I, 68. p. 95. ed. Schweigh. *Οἱ δὲ ὕπατοι, δεδιότες, καὶ στρατιᾶς ἄλλης δεόμενοι, Σύλλαν μὲν οὐκ εἶχον καλεῖν ἐς τὴν Ἀσίαν ἤδη πεπερακότα· Καικίλιον δὲ Μέτελλον, τὰ λείψανα τοῦ συμμαχικοῦ πολέμου πρὸς Σαυνίτας διατι-*

25. Bellum, quibus posset condicionibus, desineret.

θέμενον, ἐκέλευον ὅπη δύναιτο εὐπρεπῶς διαλυσάμενον ἐπικουρεῖν τῇ πατρίδι πολιορκουμένῃ. — *Procul* igitur de Campania intelligendum, ubi Metellus cum exercitu erat; v. ad Fr. seq. — *Longa spes* est *sera*, *longinqua*, *quae in longum extenditur*, ut recte explicat Bentleius ad Horat. A. P. 172. ubere de hoc usu disputans; cf. Senec. Ep. 22. *Quid ergo? tam longas spes relinquam? ab ipsa messe recedam?*

Fr. 25. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 147. ed. min. I, 19. p. 184, 9. Debr. I, 28. III, 5.] Verba haec, a Servio ad Virg. Ecl. V, 19. sine libri indicio allata, in confinio fuisse praecedentis Fragmenti clare perspicitur ex eodem Appiani loco, quem ad illud illustrandum adhibuimus. Nam quae ibi leguntur *Καικίλιον Μέτελλον — ἐκέλευον ὅπη δύναιτο εὐπρεπῶς διαλυσάμενον ἐπικουρεῖν τῇ πατρίδι πολιορκουμένῃ* ostendunt Sallustium dixisse de mandatis a. 87. a. Chr. n. ab Octavio consule senatuque Romano ad Metellum missis, ut Samnitico bello quam posset celerrime finito Romam cum exercitu contenderet, quae verba sunt Linkeri de Sall. Historr. Prooem. p. 61. cf. Dio. Cass. Fragm. Ursin. 166. p. 70. Reimar. *Οἱ Ῥωμαῖοι στασιάσαντες πρὸς ἀλλήλους τὸν Μέτελλον μετεπέμψαντο κελεύσαντες αὐτῷ πρὸς τοὺς Σαυνίτας ὅπως ποτ' ἂν δύνηται συμβῆναι· οὗτοι γὰρ ἔτι τότε μόνοι τὴν Καμπανίαν καὶ τὴν ἐπέκεινα αὐτῆς ἐκακούργουν.* Id. ib. Fr. 172. p. 72. *Οἱ Ῥωμαῖοι τοῦ ἐμφυλίου πολέμου ἐνεστηκότος τὸν Μέτελλον μετεπέμψαντο κελεύσαντες βοηθεῖν.* Quod ad verborum structuram attinet, *bellum* obiectum est *desineret* verbi, cuius subiectum *Metellus* cogitandus est. *Desinere* enim transitivo sensu valet *efficere ut aliquid desinat*, sive *alicui rei finem imponere*; cf. Gell. NN. AA. II, 12, med. *Solon non ad augendam, sed ad desinendam seditionem legem hanc esse dicebat.* Haec verbi potestas cognata est cum altera, qua significat aliquam *rem omittere*, sive *cessare ab aliqua re*; cf. Cic. Epp. ad Famm. VII, 1, 14. *Libenter mehercule artem desinerem.* Sueton. Tiber. c. XXXVI. *Mathematicis artem desituros promittentibus veniam dedit.* Gell. NN. AA. XV, 16. *Quum Milo artem athleticam desisset.* — Debrossius verbis Appiani de B. Mithr. c. 54. p. 718. ed. Schweigh. *Ἀπέστελλεν Ἀρχελάῳ διαλύσεις ὡς δύναιτο εὐπρεπῶς ἐργάσασθαι* seductus fragmentum iterum libro III, 5. posuit, ubi fingit bellum Mithridaticum primum narratum fuisse. Sed eius belli neque alio loco, quam in libro primo potuit mentio fieri (cf. Fr. I, 20.), neque omnino probabile est Sallustium accuratius de eo egisse. Quare censemus, eum obiter tantum de eo bello dixisse, non quantum *Mithridatis* magnum ausum rerumque gestarum copia et magnitudo posceret, sed quan-

26. Quum arae et alia dis sacrata supplicum sanguine foedarentur.

27. Inde ortus sermo, percontantibus utrinque: sa-

tum sufficeret ad *Sullae* consilia *dissensionibus civilibus impliciti* illustranda. Non est igitur probabile in tanta brevitate de belli componendi condicionibus per Archelaum oblatis a Sallustio fuisse dictum.

Fr. 26. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 71. ed. min. I, 16. p. 184, 6. Debr. I, 29. III, 150.] Serv. ad Virg. Aen. II, 502. *Sacrata*, quod Gerlachius vulgatas Servii edd. secutus mutavit in *sacra*, iam Putschius edidit, et confirmatur Servii codice Cassel.; cf. Fr. Hist. II, 66. Inc. 55. Pertinet Fragmentum ad eum Historiarum locum, ubi narratum est, quanta crudelitate a Cinna et Mario a. 87. in urbem, dum Sulla contra Mithridatem bellum gerit, reversis, contra omnes, qui non suarum partium essent, saevitum sit. cf. Vell. II, 22, 1. *Mox C. Marius pestifero civibus suis reditu intravit moenia. Nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta. Neque licentia gladiorum in mediocris saevitum, sed excellentissimi quique et eminentissimi civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti. Merula incisis venis superfusoque altaribus sanguine spiritum reddidit.* Flor. III, 21, 16. *Merula flamen Dialis in Capitolio Iovis ipsius oculos venarum cruore respersit.* Augustin. de Civ. Dei III, 27. *Bello Mariano atque Sullano — in ipsa quoque urbe cadaveribus vici, plateae, fora, theatra, templa completa sunt.* cf. Plutarch. in Mario c. 43 sq. Appian. B. Civ. I, 71. 74. p. 99. sqq. ed. Schweigh., qui quanta illius temporis foeditas fuerit fusius narrant. — Debrossius, fragmenti sensum primo recte assecutus, postea incredibili perversitate Orestis ac Pyladis fata significari putat, quae Sallustium fingit in Chersonesi Tauricae descriptione commemorasse.

Fr. 27. [Cort. p. 1002. Gerl. ed. mai. Inc. 24. ed. min. V, 9. p. 235, 14. Debr. II, 128.] Locus, non nominato libro, exstat apud Donatum ad Ter. Eun. V, 5, 8. — *Percontantibus*, quod Donatus habet, Cortius cum prioribus editoribus male mutavit in *percunctantibus*, de quo v. ad Catil. c. XL, 2. — Pro *salve* ante Cortium edebatur *salvae*, secundum multorum opinionem, qui in hac salutandi formula adverbium falsum putant, velut Gronov. ad Plaut. Stich. I, 1, 10. Duker. ad Liv. I, 58, 7. Ruhnken. ad Ter. Andr. IV, 5, 9. Quamquam autem concedi debet, veteres dixisse *satin' salvae?* sc. *sunt res* (Liv. I, 58. 7. VI, 34, 8. X, 18, 11.), et *satin' salva sunt omnia?* (Liv. III, 26, 9.), tamen etiam *satin' salve?* optime se habet. Vocem ipsam tuetur Donatus l. l. *salve* explicans *integre, recte, com-*

tin' salve? quam grati ducibus suis? quantis familiaribus copiis agerent?

28. Cuius advorsa voluntate colloquio militibus per-

mode, ac diserte addens adverbium esse, collato Plaut. Trinum. V, 2, 53 (1177. ed. Herm.) *Benevolens tuus atque amicus. LESB. Satine salve? dic mihi.* Structurae rationem ita comparatam esse censet Cortius, ut *agere* verbum, ad personam eius, qui salutatur, accommodatum, suppleatur. Quod quamquam fortasse ferri potest, tamen, quum formula ex consuetudine vulgaris vitae repetita sit, simplicius videtur tantummodo *est* suppleri, quod subiecti indefiniti vim habens idem valet atque *res est.* Praedicatum autem haud illegitime verbo *esse* et *adverbio* ita conficitur, ut *esse*, abiecta copulae vi, significet *aliquo statu esse*, qui status qualis sit adverbio declaratur; v. annotata ad Iug. c. XIV, 11. p. 82. et Gramm. lat. nostr. §. III, 1. not. 1. p. 227. cf. Dolabell. in Cic. Epp. ad Famm. IX, 9, 1. *Praeterea rectissime sunt apud te omnia.* Ita intelligenda est interrogandi formula *rectene omnia?* apud Quintil. VI, 3, 84. et apud Plin. Epp. III, 17. ad quae verba *sunt* supplendum, non *se habent*, ut censet Ruhnkenius ad Ter. Andr. IV, 5, 9. quo ipso loco ad *satin' recte?*, quod paene idem est ac *satin' salve?* non *agitis*, sed *est* subintelligi debet. Extra interrogationem *est* cum subiecti indefiniti significatione habes apud Cic. Epp. ad Attic. I, 7. *Apud matrem recte est*, et in formula sexcenties in epistolis lecta *si vales, bene est.* — Pro *agerent*, quae coniectura Douzae est, apud Donatum legitur *agerentur*, impeditissimo vel potius nullo sensu. Quod alii coniecerunt *augerentur*, ab omnibus quidem editoribus receptum est, sed et ipsum insolenter dictum videtur. Contra *agerent*, frequenti corruptela mutatum in passivum (v. ad Iug. c. LXXIV, 1. p. 390.), valde commodum est; nam generali *vivendi* potestate positum (v. ad Cat. c. XXIII, 3. p, 114. et supra ad Fr. I, 8.) hunc sensum habet: *quantis familiaribus copiis instructi vitam agerent*, i. e. *quantis familiaribus copiis uterentur.* — *Copiae familiares* autem non tantum commeatum et annonam significant, ut Douza interpretatur, sed omnino quicquid milites possident, sive donis et largitionibus ducis acceptum, sive praeda paratum. — Fragmentum ex Incertis huc transtulimus, quia summam habet veritatis speciem, his verbis contineri ea, quibus L. Scipionis cos. exercitus anno 83. a. Chr. n. apud Teanum Sullae exadverso collocatus, ad ducem suum deserendum illectus est et ad Sullam defecit; cf. Plut. in Sulla c. 28, in. ὁ *Σύλλας διέφθειρε τοὺς περὶ Σκιπίωνα τοῖς ἑαυτοῦ στρατιώταις, ἠσκημένοις πρὸς ἀπάτην καὶ γοητείαν ἅπασαν, ὥσπερ αὐτὸς ὁ ἡγεμών. εἰσιόντες γὰρ εἰς τὸν χάρακα τῶν πολεμίων καὶ ἀνα-*

misso, corruptio facta paucorum, et exercitus Sullae datus est.

μιγνύμενοι τοὺς μὲν εὐθὺς ἀργυρίῳ, τοὺς δὲ ὑποσχέσεσι, τοὺς δὲ κολακεύοντες καὶ ἀναπείθοντες προσήγοντο. τέλος δὲ τοῦ Σύλλα μετὰ σπειρῶν εἴκοσι προσελθόντος ἐγγύς, οἱ μὲν ἠσπάσαντο τοὺς τοῦ Σκιπίωνος, οἱ δ' ἀντασπασάμενοι προσεχώρησαν, ὁ δὲ Σκιπίων, ἔρημος ἐν τῇ σκηνῇ ληφθεὶς ἠφείθη. Eandem rem tradit etiam Appianus B. Civ. I, 85. p. 117. sq. ed. Schweigh. Vell. II, 25, 2. et Epit. Livii LXXXV. De Sullae et Scipionis colloquio cf. etiam Cic. Philipp. XII, 11, 27. — Gerlachius Vol. III. p. 124. incredibili perversitate de Luculli et Pompeii conventu hic agi putat, provocans ad Plutarch. in Pomp. c. 31. et in Lucull. c. 36., ubi ne verbum quidem legitur, quod huic alucinationi fidem faciat. Non minus insipide Debrossius ex Plutarcho in Pomp. c. 19. coniicit Metelli et Pompeii congressum post pugnam Sucronensem a Sall. commemorari. — Nostram fragmenti explicationem praeivit Freinshem. in Supplem. Livii LXXXV, 10.

Fr. 28. [Cort. p. 1003. Gerl. ed mai. Inc. 42. ed. min. I, 21, p. 184, 12. Debr. I, 30.] Fragmentum sine libri indicio exstat apud Donatum ad Ter. Eun. III, 2, 13. ubi mendose legitur *ad verba* pro *adversa*, et *promisso* pro *permisso*. Quae quamquam iam dudum correcta sunt ab editoribus, qui etiam viderunt verba ad defectionem spectare exercitus Scipionis, de qua antecedente Fragmento diximus, tamen in explicandis primis verbis Douza et Debrossius multum a vero aberrarunt. *Cuius* enim ad Scipionem referentes *advorsa voluntate* significare putant *animadvorsa vol.*, *permisso* autem de Sulla intelligunt, quo omnia perverluntur; nam Sulla non *permisit* suis colloquium, sed eos ad id impulit, neque Scipio *voluit* suos colloqui, sed ipsis cupientibus permisit. Verus Fragmenti sensus planissime cognoscitur ex Plutarchi loco in Sertor. c. 6. *Σύλλας Σκιπίωνι παρασατραπεδεύσας καὶ φιλοφρονούμενος, ὡς εἰρήνης ἐσομένης, διέφθειρε τὸ στράτευμα, καὶ ταῦτα προλέγων Σκιπίωνι καὶ διδάσκων Σερτώριος οὐκ ἔπειθε.* Iam vides *cuius* pertinere ad Sertorium, *permisso* ad Scipionem, hoc sensu: quum *contra Sertorii voluntatem* colloquium militibus *a Scipione permissum esset.* — Quod autem dicitur corruptionem *paucorum* factam esse, id, ne Sallustius a Plutarcho dissentire videatur, sic accipe, corruptionem a paucis incepisse, mox ab his ad omnes esse progressam.

Fr. 29. [Deest apud Cort. Gerl. ed. mai. et min., et Debr.] Fragm., quod recens accedit ex Schol. ad Lucan. II, 134., non tam verba auctoris accurate refert, quam rem, ab illo narratam, osten-

29. Marius invita matre Iulia adeptus est consulatum, *[de quo Sallustius meminit]*.

30. Apud Praeneste locatus.

31. Et Marius victus duplicaverat bellum.

dit. Marius intelligitur C. Marii septies cos. filius, a. 82. ad Sacriportum a Sulla victus et Praeneste compulsus. Eam rem quum Sall. exposuit, plura simul de C. Mario iuniore attulit, et inter alia etiam hoc, matrem eius vehementer obstitisse ne consul fieret. Eius rei solus adhuc meminit Aur. Victor de vir. ill. c. 68, 1. *C. Marius filius XXVII annorum consulatum invasit, quem honorem tam immaturum mater flevit.* cf. Linker. de Sall. Historr. Prooem. p. 63.

Fr. 30. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 61. ed. min. I, 23. p. 184, 17. Debr. I, 34.] Verba, quae exstant apud Priscian. XV, 2, 9. p. 618. ed. Kr., sunt ex eo Historiarum loco, quo auctor narravit Marium, clade ad Sacriportum accepta, Praeneste compulsum esse, cf. Vell. II, 26, 1. Plutarch. in Sulla c. 28. Neque tamen *locatus* ad ipsum Marium referendum puto, sed ad *Sullae exercitum*, qui Lucretio Offella duce ad obsidendum oppugnandumque Marium ante Praeneste relictus erat; cf. Vell. II, 27, 6. Appian. de B. Civ. I, 88. p. 122. ed. Schweigh.: *ὁ δὲ Σύλλας τὸν Μάριον ἐς Πραινεστὸν καταχλείσας τὴν πόλιν ἀπετάφρευε καὶ ἀπετείχιζεν ἐκ μακροῦ διαστήματος, καὶ Λουκρήτιον Ὀφέλλαν ἐπέστησε τῷ ἔργῳ, ὡς οὐκέτι μάχῃ παραστησόμενος Μάριον, ἀλλὰ λιμῷ.* Quicunque est autem Fragmenti sensus, non nisi cognito verborum nexu accurate constituendus, de loco certe, quo Fragmentum exhibuimus, dubitari non potest.

Fr. 31. [Cort. p. 1002. Gerl. ed. mai. Inc. 21. ed. min. I, 24. p. 184, 17. Debr. I, 35.] Verba sine libri nota laudat Servius ad Virg. Ecl. II, 67, ut probet in versu Virgiliano „Et sol crescentis decedens *duplicat* umbras“ verbum *duplicare* idem esse atque *augere* sive *intendere*. Sallustium aperte imitatur Tacitus Hist. IV, 54, 1. *Audita interim per Gallias Germaniasque mors Vitellii duplicaverat bellum.* Verborum autem sensus hic est: *clades* Mario illata *caussa fuit*, ut bellum augeretur et compluribus locis exardesceret, ac multis exercitibus ducibusque gereretur. Id bene explicuit Linkerus de Sall. Historr. Prooem. p. 65. Sulla enim quum post victoriam ad Sacriportum captos Samnites omnes occidi iussisset (v. Appian. B. C. I, 87. extr.), hac atrocitate iram fortissimae gentis ita concitavit, ut ab hoc tempore ei non iam esset cum Marianae tantum factionis reliquiis a Carbone collectis (v. Appian. l. l. c. 89—93.), sed cum Pontio quoque Telesino, Lamponio

32. Carbo turpi formidine Italiam atque exercitum deseruit.

33. Ut Sullani fugam in noctem componerent.

Guttaque Samnitum ducibus pugnandum; cf. Vellei. II, 26. Flor. III, 21, 22.

Fr. 32. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 52. ed. min. I, 27. p. 184, 20. Debr. I, 40.] Servius ad Virg. Aen. II, 400. libro non indicato. Sed ad primi libri initium pertinere hoc Fr. res ipsa probat, quum Carbonis haud exiguae essent partes in Sullae bello civili, ad quod antecedentia Fragmenta spectant omnia. Quum igitur anno 82. a. Chr. n. vario eventu et in dies magis improspero diu in Etruria et Italia superiore contra Sullam eiusque duces Metellum et Lucullum pugnatum esset, neque Carbo Marium Praenesti inclusum obsidioni eripere posset, Norbanus autem Rhodum aufugisset, pluresque exercitus ad Sullam transiissent, de rebus suis desperans, quamquam ad quinquaginta adhuc millia militum habuit, unde turpis formidinis a Sall. incusatur, Italia relicta in Africam se contulit. cf. Appian. de B. Civ. I, 92. p. 128. ed. Schweigh. *Ὁ Κάρβων τρισμυρίους ὅμως ἔτι ἔχων περὶ τὸ Κλούσιον καὶ δύο τέλη τὰ Δαμασίππου καὶ ἕτερα περὶ Κάρρινάν καὶ Μάρκιον, Σαυνιτῶν τε αὐτῷ χειρὶ πολλῇ προθύμως περὶ τὰ στενὰ κακοπαθούντων ἀπογνοὺς ἁπάντων ἀσθενῶς ἔφευγε σὺν τοῖς φίλοις ἐς Λιβύην ἐξ Ἰταλίας ὕπατος ἔτι ὤν, ὡς Λιβύην παραστησόμενος ἀντὶ τῆς Ἰταλίας. τῶν δὲ ὑπολειφθέντων οἱ μὲν ἀμφὶ τὸ Κλούσιον Πομπηΐῳ συνενεχθέντες ἐς μάχην ἀπέβαλον ἐς δισμυρίους.* Plutarch. Sulla c. 28, extr. *Οὗτοι* (sc. *Πομπήϊος, Κράσσος, Μέτελλος, Σερουΐλιος*) *μεγάλας συνέτριψαν δυνάμεις τῶν πολεμίων, ὥστε τὸν μάλιστα τὴν ἐναντίαν στάσιν συνέχοντα Κάρβωνα νύκτωρ ἀποδράντα τὴν ἑαυτοῦ στρατιὰν, εἰς Λιβύην ἐκπλεῦσαι.* Eutrop. V, 8. Liv. Epit. 88.

Fr. 33. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. I, 125. p. 199, 5.] Fragm. recens accessit e cod. Gud. Arusiani v. *in noctem*, p. 239. Lindem., ubi corrupte sic legitur: *ut si illam fugam innocentem in noctem componerent.* Haec primus recte constituit Linkerus de Sall. Historr. Prooem. p. 66 sq., secutus van der Hoeven in Specim. liter. de nonnull. loc. vett. scriptt. c. append. de Arus. Messii exempl. elocutionum, p. 45., qui feliciter ex codd. Leidd. *Sullani* protulit, divulsis syllabis in *si illam* corruptum, de quo depravatae scripturae genere cf. Fr. III, 23. III, 82, 19. IV, 58. et quae plurima collegimus in Prolegg. ad Vell. p. C. sq. Ineptam vocem *innocentem* Linkerus recte vidit ex dittographia verborum *in noctem* ortam esse, quo modo etiam peccatum est Fr. I, 45, 2. Idem V. D. fragmentum verissime retulit ad atrocem

34. Mox tanta flagitia in tali viro pudet dicere.

pugnam, qua Sulla Kalendis Novembribus anni 82. a. Chr. n. sub ipsis urbis muris cum Pontio Telesino Samnitium duce ita conflixit, ut, quum per totum diem pugnatum esset, sub vesperam sinistrum eius cornu plane funderetur, (v. Plutarch. in Sull. c. 29, extr. *τέλος δὲ τοῦ εὐωνύμου συντριβέντος ἀναμιχθέντα* (sc. *φασὶ τὸν Σύλλαν*) *τοῖς φεύγουσιν εἰς τὸ στρατόπεδον καταφυγεῖν πολλοὺς ἀποβαλόντα τῶν ἑταίρων καὶ γνωρίμων.*), donec rebus ex inopinato mutatis victoria plena potitus est. cf. Appian. B. C. I, 93. p. 130. Schweigh. *Μάχης δ' εὐθὺς αὐτοῖς περὶ δείλην ἑσπέραν γενομένης τῷ μὲν δεξιῷ Σύλλας ἐκράτει, τὸ δὲ λαιὸν ἐπὶ τὰς πύλας κατέφυγεν*; et paucis interiectis: *καὶ νυκτὸς ὅλης ἀγωνισάμενοι πολὺ πλῆθος ἔκτειναν.* Plut. l. l. c. 30, in. *Ἤδη δὲ νυκτὸς οὔσης βαθείας ἦκον εἰς τὸ τοῦ Σύλλα στρατόπεδον παρὰ τοῦ Κράσσου δεῖπνον αὐτῷ καὶ τοῖς στρατιώταις μετίοντες.* Vell. II, 27, 1. *Pontius Telesinus — ita ad portam Collinam cum Sulla dimicavit, ut ad summum periculum et eum et rempublicam perduceret — Post primam demum horam noctis et Romana acies respiravit, et hostium cessit.*

Fr. 34. [Deest apud Cort. et Debr. — Gerl. ed. mai. Inc. 178. ed. min. I, 44. p. 190, 1.] Schol. Gronov. ad Cic. p. Rosc. Am. 32, 90. p. 434. Orell. haec nude ut Sallustii verba laudat, unde Wassius ad Iug. XCV, 4. putavit hunc locum a scholiasta respici; sed nimia est utriusque loci diversitas, quam ut haec opinio ullam probabilitatis speciem habeat. Quare quum scholiasta doceat de *Sulla* haec dicta esse, certum videtur in *primo* Historiarum libro id factum esse, ubi auctor de immani eius crudelitate post devictos adversarios exposuit; cf. Augustin. de Civ. D. II, 18. „Dicit deinde (sc. post ea, quae supra Fr. 1, 10. 11. 12. leguntur) plura Sallustius *de Sullae vitiis* ceteraque foeditate reipublicae." Quantum ex voce *mox* coniici potest, hunc locum praecessit fortasse laus lenitatis et clementiae, antea inimicis praebitae, quam deinde dira inhumanitas secuta est, de qua morum conversione Sullae alii quoque scriptores memorarunt. cf. Vell. II, 25, 3. *Adeo Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut, dum dimicat, iustissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior.* Id. II, 28, 2. *Videbantur finita belli civilis mala, quum Sullae crudelitate aucta sunt. Quippe dictator creatus — imperio in immodicae crudelitatis licentiam usus est.* Plutarch. in Sull. c. 30, extr. *Σύλλας μετρίως τὰ πρῶτα καὶ πολιτικῶς ὁμιλήσας τῇ τύχῃ καὶ δόξαν ἀριστοκρατικοῦ καὶ δημωφελοῦς ἡγεμόνος παρασχὼν — εἰκότως προσετρίψατο ταῖς μεγάλαις ἐξουσίαις διαβολήν, ὡς τὰ ἤθη μένειν οὐκ ἐώσαις ἐπὶ τῶν ἐξ ἀρχῆς τρόπων, ἀλλ' ἔμπληκτα καὶ χαῦνα καὶ ἀπάνθρωπα ποιούσαις.*

35. Ut in M. Mario, cui fracta prius crura, brachia, et oculi effossi, scilicet ut per singulos artus expiraret.

Quae sequuntur fragmenta 35—39 haud dubie spectant omnia ad eum locum, quo Sullae flagitia continuo post victoriam commissa a Sallustio narrata sunt.

Fr. 35. [Cort. p. 1012. Gerl. ed. mai. Inc. 174. ed. min. I, 26. p. 184, 19. Debr. I, 39.] Rufinian. de schem. dianoeas, c. 11. p. 273 sq. ed. Ruhnk. haec ut exemplum sarcasmi sic laudat: „ut in M. Mario cui fracta prius crura artus expiraret.“ Eadem plenius affert Schol. ad Lucan. II, 173. (Vol. III. p. 129. ed. Weber.): „Marius, cui fracta prius crura, brachia, et oculi effossi, scilicet ut per singula membra expiraret.“ Quibus locis inter se collatis patet apud Rufinianum, qui integram verborum Sallustianorum formam servavit, casu totum versum (*brachia et oculi effossi, scilicet ut per singulos*) excidisse, Lucani autem scholiastam, unde omissa feliciter restitui potuerunt, et initium Fragmenti immutasse, et in fine *membra* pro *artus* dedisse, utrumque ex eo, quod memoriter locum attulit, cuius rei certissimum documentum hoc est, quod verba ex *Iugurthino* laudat. Gerlachius, in turpi ignoratione editionis Ruhnkenianae versatus, Vol. III. p. 142. *cui*, quod in codd. est, pro „nonnullorum emendatione“ habet, *cum*, quae est R. Stephani coniectura, genuinam scripturam dicit, ac praeterea *fracta* in *fractus* mutavit, quae quam vana sint, in oculos incurrit. Verborum structura facile expeditur, si statueris fere tale quid praecessisse: Tum in plurimis Sulla nefandae crudelitatis exempla edidit, ut in M. Mario etc. Cum Sallustii verbis maxime congruunt, quae de eadem re habet Flor. III, 21, 26. *Piget referre Marium, ducis ipsius* [i. e. Marii iunioris] *fratrem, oculis, manibus, cruribusque defossis servatum aliquamdiu, ut per singula membra moreretur.* cf. Senec. de Ira III, 18. *M. Mario L. Sulla perfringi crura, erui oculos, amputari manus iussit: et quasi totiens occideret, quotiens vulnerabat, per singulos artus laceravit. Quis erat huius imperii minister? Quis, nisi Catilina.* Q. Cic. de petit. cons. c. 3, 10. *Quid ego nunc dicam petere eum consulatum, qui M. Marium inspectante populo Rom. vitibus per totam urbem ceciderit, ad bustum egerit, ibi omni cruciatu vivum laceraverit, stanti collum gladio sua dextera secuerit?* Praeterea cf. Livii Epit. LXXXVIII. Valer. Max. IX, 2, 1. Oros. V, 21. Augustin. de Civ. D. III, 28. Plut. in Sull. c. 32, extr. Ceterum sarcasmus, quem Rufinianus hoc exemplo illustrare voluit, inest in verbis *ut per singulos artus expiraret*; quae exacerbatio quo magis pateret, *scilicet* particula orationi adiecta est.

36. Igitur venditis proscriptorum bonis aut dilargitis.

37. Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros.

Fr. 36. [Cort. p. 935. Gerl. ed. mai. I, 10. ed. min. I, 35. p. 185, 5. Debr. I, 48.] Priscian. VIII, 5, 25. p. 377. ed. Kr. Ex eodem Sallustii loco Gellius NN. AA. XV, 13. memoriter laudat *dilargitis proscriptorum bonis*, uterque Sallustii auctoritate probaturus, complura verba deponentia etiam passivo sensu usurpari, de quo v. Kruegeri Gramm. lat. §. 137. p. 155. Ad proscriptiones Sullanas anno 82. continuo victoriam ante portam Collinam insecutas hunc locum spectare in aprico est; de quibus quum notissima res sit, vix opus fuerit scriptorum testimonia afferre; cf. tamen Vell. II, 27, sq. Flor. III, 21, 24 sqq. Augustin. de Civ. Dei III, 28. Plutarch. in Sulla c. 31. Appian. de B. Civ. I, 95 sqq. Sall. Cat. c. LI, 34. Histor. Fr. I, 45, 18. Cic. de lege agr. II, 21, 56; in Verr. III, 35, 81; pro domo c. 17, 43; p. Quint. c. 24, 76.

Fr. 37. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 36. ed. min. I, 78. p. 196, 9. Debr. II, 43.] Arus. v. *abnuo*, p. 210. Lind. Verba refero ad Sullam divisis proscriptorum bonis multorumque oppidorum agris decem millia servorum ac veteranas legiones ad obsequium promptissimum sibi parantem; cf. Appian. B. Civ. I, 96. p. 135. Schweigh. *Ταῖς δὲ πλείοσι* (sc. *πόλεσι*) *τοὺς ἑαυτῷ στρατευσαμένους ἐπῴκιζεν, ὡς ἔξων φρούρα κατὰ τῆς Ἰταλίας· τήν τε γῆν αὐτῶν καὶ τὰ οἰκήματα ἐς τούσδε μεταφέρων διεμέριζεν. ὃ καὶ μάλιστ' αὐτοὺς εὔνους αὐτῷ καὶ τελευτήσαντι ἐποίησεν.* Id. ibid. I, 100. p. 142 sq. *Τῷ δὲ δήμῳ τοὺς δούλους τῶν ἀνῃρημένων τοὺς νεωτάτους τε καὶ εὐρώστους, μυρίων πλείους, ἐλευθερώσας ἐγκατέλεξε, καὶ πολίτας ἀπέφηνε Ῥωμαίων· καὶ Κορνηλίους ἀφ' ἑαυτοῦ προσεῖπεν, ὅπως ἑτοίμοις ἐκ τῶν δημοτῶν πρὸς τὰ παραγγαλλόμενα μυρίοις χρῷτο. Τὸ δ' αὐτὸ καὶ περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐπινοῶν τέλεσι τοῖς ὑπὲρ ἑαυτοῦ στρατευσαμένοις τρισὶ καὶ εἴκοσιν ἐπένειμεν πολλὴν ἐν ταῖς πόλεσι γῆν, τὴν μὲν ἔτι οὖσαν ἀνώμητον, τὴν δὲ τὰς πόλεις ἀφαιρούμενος ἐπὶ ζημίᾳ.* Id. ib. I, 104, extr. p. 149. cf. ad Catil. c. XXXVII, 6. Fragm. I, 51, 21. Gerlachius quo referat verba neque indicavit in Commentario, neque id ex mutato loco in ed. min. colligi potest. Debrossius vero, pro *sibi abnuituros* corrupte scribens *abnuiturum*, prorsus inepte haec comminiscitur lecta fuisse in epistola quadam Apuleiae, Lepidi uxoris, ad moechum suum data, quam Lepidus intercepisse traditur a Plutarcho Pompei. c. 16 extr.

Fr. 38. [Deest apud Cort. et Debr. — Gerl. ed. mai. Vol. III. p. 146. n. 231. ed. min. I, 34. p. 185, 3.] Vacca ad Lucan. I, 175. Ad eundem Lucani locum alius scholiasta ex Sallustio haec laudat:

38. Et relatus inconditae olim vitae mos, ut omne ius in viribus esset.

39. Quo patefactum est rempublicam praedae, non libertati repetitam.

qui poterat, plus iuris habere videbatur: quae verba memoriter ac liberius ex posteriore huius Fragmenti parte expressa Cortius parum acute ad Catil. XXXIX, 4. pertinere censuit. Praeterea Corn. Fronto de oratt. II, 5. (Vol. II. p. 266. ed. Mediol. a. 1815.) et ipse memoriter memorat Sallustium dixisse *omne ius in validioribus esse*, unde Gerlachius in ed. min. in ceteris Vaccam secutus perverso iudicio *viribus* commutavit cum *validioribus*. Sallustius quum hoc dicat, ius per se fuisse nullum, ac *vires pro iure valuisse*, dubium non est, quin hoc Fragmentum, cuius librum nullus auctorum indicavit, de eo tempore capiendum sit, quo Sulla adversariis fractis ac protritis nisus veteranorum et Corneliorum suorum ferocia atque armis omnia ex lubidine egit et ut dominum reipublicae se gessit. *Relatus mos* significat *repetitus*, *rursus illatus mos*; cf. Cic. Divinat. in Q. Caec. c. 21, 67. *Haec maiorum consuetudo longo intervallo repetita ac relata.* ibid. §. 68. *Hoc institui atque adeo institutum referri ac renovari moleste ferunt.* Sueton. Caes. c. 20, in. *Antiquum retulit morem, ut — lictores pone sequerentur.* Similem fere sententiam Velleius, ubi de Gracchorum turbis loquitur, protulit II, 3, 3. *Hoc initium in urbe civilis sanguinis gladiorumque impunitatis fuit. Inde ius vi obrutum, potentiorque habitus prior, discordiaeque civium, antea condicionibus sanari solitae, ferro diiudicatae, bellaque non caussis inita, sed prout eorum merces fuit.*

Fr. 39. [Deest apud Cort., Debr. et Gerl. ed. mai. — Ed. min. I, 32. p. 185, 1.] Fragmentum recens additum servavit Arus. v. *repetere*, p. 259. Lindem. Continetur eo Sallustii iudicium de Sullae imperio armis civilibus cum pernicie reipublicae parato; quippe proscriptionibus cognitum esse, illum non reipublicae constituendae caussa, ut mentiebatur, sed ut infinitam potentiam consequeretur, tantopere in adversarios saeviisse. cf. Appian. de B. Civ. I, 89. p. 123. Schweigh. *Τὸν δῆμον ἐς ἐκκλησίαν συναγαγὼν τήν τε ἀνάγκην τῶν παρόντων ὠλοφύρετο, καὶ θαρρεῖν προσέταξεν, ὡς αὐτίκα τῶνδε παυσομένων, καὶ τῆς πολιτείας ἐς τὸ δέον ἐλευσομένης.* Quae Sullae verba, quietam civitatem et securam promittentia, quam vana fuerint, tum immanes ostendunt strages insecutae, tum declaratur Plutarchi verbis, fortasse ex Sallustio expressis, in Sulla c. 30. *Ἀλλαγὴ τὸ χρῆμα τυραννίδος, οὐκ ἀπαλλαγὴ γέγονε.* cf. Valer. Max. VII, 6, 4. *C. Mario et Cn. Car-*

40. Insanum aliter sua sententia atque aliarum mulierum.

bone coss. bello civili cum L. Sulla dissidentibus, quo tempore non reipublicae victoria quaerebatur, sed praemium victoriae res erat publica etc., quae pariter ex Sallustio ducta videri possunt. — *Respublica repetita* dici videtur, quae, quum caedibus, fuga, proscriptionibus plane dissoluta esset, neque leges ac comitia et libera suffragia haberet, a Sulla dictatore ex suo arbitrio rursus *constituta est*; cf. Appian. B. C. I, 98, 99. p. 183 sqq. Schweigh.

Fr. 40. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 37. ed. min. I, 57. p. 190, 14. Debr. II, 44.] Charis. II, 14, 25. p. 114. Lindem. (p. 175. Putsch.). His verbis, quae non satis expeditam habent explicationem, coniicio Sallustium afferre gravis alicuius viri iudicium de Sullae institutis quibusdam per se bonis, sed quibus ipse moribus et exemplo repugnaret; cf. Plutarch. comparat. Lysand. et Sullae c. 3, extr. *Σύλλας ἀκόλαστος ὢν καὶ πολυτελὴς ἐσωφρόνιζε τοὺς πολίτας — ὥστε ἁμαρτάνειν αὐτὸν ὄντα χείρονα τῶν ἰδίων νόμων.* Sulla quantopere libidinibus deditus fuerit, satis notum est; cf. Sall. Iug. XCV, 3. *Cupidus voluptatum — otio luxurioso esse.* Cic. de Finn. III, 22, 75. *Sulla trium pestiferorum vitiorum, luxuriae, avaritiae, crudelitatis, magister fuit.* Valer. Max. VI, 9, 5. Plutarch. in Sull. c. 36, in. *Συνῆν (Σύλλας) μίμοις, γυναιξὶ, καὶ κιθαριστρίαις, καὶ θυμελικοῖς ἀνθρώποις, ἐπὶ στιβάδων ἀφ' ἡμέρας συμπίνων.* Id. comparat. Lysand. et Sullae c. 3, in. *Σύλλας οὔτε νέος ὢν περὶ τὰς ἐπιθυμίας ἐμετρίαζε διὰ τὴν πενίαν, οὔτε γηράσας διὰ τὴν ἡλικίαν, ἀλλὰ τοὺς περὶ γάμων καὶ σωφροσύνης εἰσηγεῖτο νόμους τοῖς πολίταις αὐτὸς ἐρῶν καὶ μοιχεύων, ὥς φησι Σαλούστιος.* Quae postrema verba quum ipso Plutarcho teste ex Sallustio ducta sint, mihi valde probabile est non alio ea quam ad hoc ipsum Fragmentum spectare. *Insanum* enim, quoniam adiunctum est *atque aliarum mulierum*, interpretor *insana lubidine flagrantem*, quemadmodum *insanire* verbum legitur apud Horat. Sat. I, 2, 49. Vir *aliarum mulierum* moechus est, qui suâ spretâ alias corrumpit. De usu genitivi attributivi v. Gramm. lat. nostr. §. 128. II, 5. p. 305. Cic. Epp. ad Famm. IX, 26, 4. *Non multi cibi hospitem accipies, multi ioci.* id. Brut. 83, 286. *Charisius (fuit) multarum orationum, quas scribebat aliis.* id. Epp. ad Attic. XIII, 29, in. *Se scire aiebat ab eo nuper petitam Cornificiam, vetulam sane et multarum nuptiarum.* cf. Walch. ad Tacit. Agric. c. 9, in. p. 168. *Aliter*, quod vulgo significat *alio modo*, Charisius l. l. explicat *alias*, i. e. alio tempore, sive aliis in rebus, alioqui, ceterum. Integra igitur

41. Perperna tam paucis prospectis vera est aestimanda.

sententia, cuius pars fuit hoc Fragmentum, talis fere fuerit: Sullam, lege de connubio bonis moribus consulentem, ipsum in cetera vita insanae libidinis fuisse atque aliarum mulierum. Quodsi vera est interpretatio nostra, ille Plutarchi locus, a Debr. I, 54. Gerl. ed. min. Inc. 93. p. 240, 12. et Linkero de Sall. Historr. Prooem. p. 83. pro singulari Fragmento habitus, merito a nobis interpretando tantum huic Fragmento adhibitus, ipse Fragmentorum numero exemptus est. Ceterum lex Cornelia de connubio, ad quam Plutarcho duce hic respici coniecimus, plane incognita est. — Mirifico acumine Debrossius et Gerlachius Vol. III. p. 73., quum apud Plutarch. in Pomp. c. 16, extr. haec legantur *Λέπιδος — ἀπέδρασεν εἰς Σαρδόνα, κἀκεῖ νοσήσας ἐτελεύτησε δι' ἀθυμίαν — γραμματίῳ περιπεσών, ἐξ οὗ μοιχείαν τινὰ τῆς γυναικὸς κατεφώρασε*, huius Fragmenti statuunt verba esse ex illa ipsa Apuleiae epistola ad adulterum suum scripta et a Lepido intercepta. Sed Sallustius, primus in romana historia, qui Pompeii quidem et Mithridatis de rebus gravissimis epistolas retulit, non putandus est tam futilibus rebus, quales sunt mulierculariarum furtivae litterae amatoriae, locum in opere suo concessisse.

Fr. 41. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 74. ed. min. II, 17. p. 201, 18. Debr. II, 49.] Verba a Servio ad Virg. Aen. XII, 694. laudata, et a scriptura valde dubia sunt, et a sensu obscurissima. Nam quum nexu sublato structurae ratio nullo modo iniri aut expediri possit, tum vehementer ambigitur, num *prospectis* aut *prospectus*, ut in codd. est, an *profectus*, quemadmodum ex Putschii coniectura omnes editores scripserunt, pro vera lectione habendum sit. Sed *profectus* rem, quae qualis sit nescitur, non planiorem reddit; quare codicum scripturam *prospectis* retinuimus, quae, sive *prospicere* valet *providere*, sive *comparare*, grammaticae non repugnat. Sed utut de sensu incerta sunt omnia, nihilominus in tanta rerum obscuritate verba hic collocanda sunt, quia eo tempore, de quo apud Sallustium agitur, Perpernae caussa cum Carbonis artissime fuit coniuncta. cf. Plutarch. in Pompeio c. 10 in. *Ἐκ τούτου* (sc. *ἐπεὶ ἐκράτησε τῆς Ἰταλίας ὁ Σύλλας καὶ δικτάτωρ ἀνηγορεύθη*) *Σικελίαν ἠγγέλλετο Περπέννας αὐτῷ κρατύνεσθαι, καὶ τοῖς περιοῦσιν ἔτι τῆς ἐναντίας στάσεως ὁρμητήριον παρέχειν τὴν νῆσον, αἰωρουμένου καὶ Κάρβωνος αὐτόθι ναυτικῷ καὶ Δομιτίου Λιβύῃ προσπεπτωκότος, ἄλλων τε πολλῶν ἐπ' ἐκεῖνα μεγάλων ὠθουμένων φυγάδων, ὅσοι τὰς προγραφὰς ἔφθησαν ἀποδράντες. Ἐπὶ τούτους Πομπήϊος ἀπεστάλη μετὰ πολλῆς δυνάμεως· Καὶ Περπέννας μὲν εὐθὺς αὐτῷ Σικελίας*

42. Simulans sibi alvum purgari.

43. Curubis.

ἐξέβη. Gerlachius in ed. min. Fragmentum ad librum II. retulit, permotus haud dubie loco Appiani de B. Civ. I, 107, extr. p. 154. Schweigh. *Ἡττώμενος ὁ Λέπιδος ἐς Σαρδὼ διέπλευσεν, ἔνθα νόσῳ τηκεδόνι χρώμενος ἀπέθανε. Καὶ ὁ στρατὸς αὐτοῦ — διελύθη· τὸ δὲ κράτιστον Περπέννας ἐς Ἰβηρίαν ἦγαγε Σερτωρίῳ.* Sed quoniam Servius verba ita affert, ut ex primo libro desumpta esse videri debeant, Plutarchi auctoritatem sequi praestat. Ceterum Schlosserus in Histor. antiq. Vol. II. P. II. p. 395. acute coniicit, Perpernam iam tum, quum Pompeio ex Sicilio cederet, ad Sertorium in Hispaniam se contulisse, indeque post aliquot annos reversum cum Lepido in Sardinia se coniunxisse, eoque mortuo ad Sertorium rediisse.

Fr. 42. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 7. ed. min. I, 28. p. 184, 22. Debr. I, 22. I, 41.] Verba laudantur a Serv. ad Virg. Aen. II, 19., Isidoro XI, 1, 33. p. 362. Lindem., Incert. gloss. Virg. Vol. II. p. 374. ed. Lion. et in Lex. vet. Lat. ap. Mai. class. auct. Vol. VIII. p. 34. Pertinet breve Fragmentum ad Cn. Carbonem, qui, quum a. 82. ex Italia in Africam fugisset (v. supra Fr. 32.), indeque regressus in Siciliam a Pompeio occideretur, in ipso mortis momento brevem vitae moram quaesivit *simulans sibi alvum purgari.* cf. Appian. B. C. I, 96, extr. p. 136. Schweigh. *Κάρβωνα δ' ἐκ Λιβύης ἐς Σικελίαν — καὶ ἀπ' αὐτῆς ἐς Κοσσύραν νῆσον ὑποφεύγοντα πέμψας τινὰς ὁ Πομπήϊος συνέλαβε — καὶ κατέκτανε.* Plutarch. in Pomp. c. 10, med. (*Πομπήϊος*) *δέσμιον προαγαγὼν ἄνδρα Ῥωμαίων τρὶς ὑπατεύσαντα* (sc. *Κάρβωνα*) *— αὐτὸς ἀνέκρινεν. εἶτα ἐκέλευσεν ἀπαγαγόντας ἀνελεῖν. Ἀπαχθέντα μέντοι φασὶν αὐτὸν, ὡς εἶδεν ἑλκόμενον ἤδη τὸ ξίφος, δεῖσθαι τόπον αὐτῷ καὶ χρόνον βραχύν, ὡς ὑπὸ κοιλίας ἐνοχλουμένῳ, παρασχεῖν.* Valer. Max. IX, 13, 2. *Cn. quoque Carbo iussu Pompeii ad mortem ductus petiit a militibus demisse et flebiliter, ut sibi alvum exonerare, priusquam expiraret, liceret, eo usque moram trahens, donec caput eius sordido in loco sedentis abscinderetur.* Liv. Epit. LXXXIX.

Fr. 43. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 47. ed. min. I, 29. p. 184, 22. Debr. I, 42.] Probus. II, 1, 40. p. 120. Lindem. (p. 1462. Putsch.). Nomen urbis non satis certum est, quum in ed. Ascens. quidem et Putschii ita legatur, ut edidimus, novissima Lindemanni autem ex cod. Vindob. *Ucurbis* praebeat, quam is eandem putat cum *Ucubi* Hispaniae urbe, apud Caes. B. Hisp. c. 7, 1. commemorata. Quod si verum esset, ad Sertorianum bellum urbs pertineret. Sed quoniam valde incertum est, *Ucurbis* vel aliam

44. Id bellum excitabat metus Pompei victoris Hiempsalem in regnum restituentis.

modo formam esse *Ucubis* urbis, vel incuriae librarii illatam *r* litteram deberi, satius duximus vulgatam tueri. *Curubis* enim, Zeugitanae urbs (v. Plin. Hist. Nat. V, 3.), facile potuit in Pompeii expeditione Africana contra Domitium (de qua v. ad Fr. 41. et 42.) commemorari, quamquam falsa est Debrossii sententia Pompeium ad hanc urbem classem appulisse, ut patet ex Plut. in Pomp. c. 11, med. *Κατασχόντι δὲ αὐτῷ ταῖς μὲν εἰς Ἰτύκην ναυσὶ, ταῖς δὲ εἰς Καρχηδόνα, κ. τ. λ.* Gerlachius in primo libro *Curubis* exhibens incredibili negligentia rursus in Incertis p. 240, 4. *Ucurbis* posuit, quod apud Eutych. II, 14. p. 192. se reperisse simulat.

Fr. 44. [Cort. p. 936. Gerl. ed. mai. I, 11. ed. min. I, 30. p. 184, 23. Debr. I, 43.] Verba exstant apud Gell. NN. AA. IX, 12; eadem habet Nonius II, 554. p. 140, 28. Mercer., sed quattuor postremis vocibus destituta; uterque autem laudavit ea, ut probaret *metum Pompei* passivo sensu dictum significare *metum a Pompeio aliis iniectum*, de quo dicendi modo v. ad Iug. XXXV, 2. p. 205. Ad rem ipsam pertinent haec Appiani de B. C. I, 80. p. 112. ed. Schweigh. *Λήγοντος δὲ τοῦ πολέμου καὶ ἐς Λιβύην ἔπεμψεν* (sc. *ὁ Σύλλας τὸν Πομπήϊον*) *ἐξελάσαι τε τοὺς Κάρβωνος φίλους, καὶ Ἰεμψάλαν, ἐκπεσόντα ὑπὸ Νομάδων, ἐς τὴν βασιλείαν καταγαγεῖν.* Plutarch. in Pomp. c. 12. ubi Domitii clade ac morte narrata ita pergitur: *Εἶλε δὲ καὶ τῶν βασιλέων Ἰάρβαν, τὸν συμμαχήσαντα Δομιτίῳ, τὴν δὲ βασιλείαν Ἰάμψᾳ παρέδωκε. Χρώμενος δὲ τῇ τύχῃ καὶ τῇ ῥύμῃ τοῦ στρατεύματος εἰς τὴν Νομαδικὴν ἐνέβαλλε· καὶ πολλῶν ὁδὸν ἡμερῶν ἐλάσας, καὶ πάντων κρατήσας, οἷς ἐνέτυχε, καὶ τὸ πρὸς Ῥωμαίους δέος, ἤδη τῶν βαρβάρων ἐξερρύηκὸς, αὖθις ἰσχυρὸν καὶ φοβερὸν καταστήσας οὐδὲ τὰ θηρία δεῖν ἔφη τῆς τῶν Ῥωμαίων ἄπειρα ῥώμης ἀπολιπεῖν.* *Id bellum* igitur, quod quale fuerit incertum esse dicit Linkerus de Sall. Historr. Prooem. p. 70., intelligendum de rebellione Numidarum, post victum Domitium orta; arma enim sumpserant, quia metuebant, ne Pompeius Domitio superato Hiempsalem, quem regno expulerant, reduceret. *Restituentis* enim significat *restituere parantis*, de quo usu conatum actionis simplici verbo exprimendi v. Grammat. lat. nostr. §. 116, 7. not. 12. p. 250 sq. Praeter Appianum et Plutarchum l. l. belli Africani, a Pompeio a. 81. a. Chr. n. gesti, obiter mentionem faciunt Hirt. de B. Afr. 22, 2. *Pompeius Siciliam, Africam, Numidiam, Mauretaniam mirabili celeritate armis recepit.* Cic. p. l. Man. 10, 28. 11, 30. 21, 61. Dio Cass. XXXVI, 8. p. 91. Reim. Zonaras X, 2, in. Vol. II. p. 301. ed. Pinder.

CAP. IV.

Lepidi turbae et bellum civile in Italia.

---

45. *M. Aemili Lepidi consulis ad populum Romanum oratio contra Sullam.*

Clementia et probitas vostra, Quirites, quibus per ceteras gentis maxumi et clari estis, plurumum timoris mihi

Ante Fr. 45. collocandum esse, quod infra n. 90. legitur, sero intellexi, omnibus Fragmentis iam dispositis atque numero insignitis.

Fr. 45. [Cort. p. 936.—944. Gerl. ed. mai. I, 15. ed. min. I, 43. p. 185, 14. Debr. I, 47.] Haec oratio servata est in tribus codd. Vatt., duobus Ursini et Ciacconii, et Balliolensi Wassii, de quibus v. Praefat. Quod ad tempus attinet, quo habita est, facile potest demonstrari falsam esse Debrossii sententiam, qui Sulla adhuc dictatore Lepidum hanc concionem ad populum habuisse censet. Nam ut omittam prorsus incredibile videri praesente Sulla ac summam potestatem tenente quemquam ausum esse populum convocare ac tantopere in illum invehi, tantisque insectationibus eius crudelitatem persequi, ac multitudinem ad renitendum et ad recipiundam libertatem cohortari, ex eo, quod Lepidus §. 27. *se ipsum consulem dicit*, clarissime patet, Sullam tum non amplius dictatorem fuisse. cf. Appian. de B. Civ. I, 103. p. 146. *Τοῦ δ' ἐπίοντος ἔτους* (qui fuit 80. a. Chr. n.) *Σύλλας, καίπερ ὢν δικτάτωρ, ὑπέστη καὶ ὕπατος αὖθις γενέσθαι σὺν Μετέλλῳ τῷ Εὐσεβεῖ. — Τῷ δ' ἑξῆς ἔτει* (i. e. anno 79. a. Chr. n.) *ὁ μὲν δῆμος καὶ τότε τὸν Σύλλαν θεραπεύων ᾑρεῖτο ὑπατεύειν· ὁ δὲ, οὐκ ἀνασχόμενος, ὑπάτους μὲν αὐτοῖς ἀπέφηνε Σερουΐλιον Ἰσαυρικὸν καὶ Κλαύδιον Ποῦλχρον, αὐτὸς δὲ τὴν μεγάλην ἀρχὴν οὐδενὸς ἐνοχλοῦντος ἑκὼν ἀπέθετο.* Plutarch. Sulla c. XXXIV. *Οὕτω δ' ἄρα οὐ ταῖς πράξεσιν, ὡς τοῖς εὐτυχήμασιν ἐπίστευεν, ὥστε ἀποθέσθαι τὴν ἀρχὴν, καὶ τὸν δῆμον ἀρχαιρεσιῶν ὑπατικῶν ποιῆσαι κύριον. — Καί τις παρὰ γνώμην αὐτοῦ θρασὺς ἀνὴρ καὶ πολέμιος ἐπίδοξος ἦν ὕπατος αἱρεθήσεσθαι, Μάρκος Λέπιδος, — Πομπηΐῳ σπουδάζοντι καὶ δεομένῳ τοῦ δήμου χαριζομένου.* Ceterum licet Sulla, quum Lepidus consul factus est, dictatura iam se abdicasset, nihilominus imminuta eius vis fuit in moderanda civitate, summa rerum potestate hominibus suae factionis, quos honoribus praemiisque maximis sibi devinxerat, tradita.

faciunt advorsum tyrannidem L. Sullae, ne; quae ipsi nefanda aestumatis, ea parum credendo de aliis, circumveni-

Qui quum viderent, sua plurimum interesse, ne Sullae leges et instituta tollerentur, ita ex eius voluntate pependerunt, ut ille, in Cumano suo piscando et venando deditus, nihilominus gubernacula reipublicae tenere videretur; ac re vera tenuit, licet nomine esset privatus; cf. Plutarch. in Sulla c. 37. *Οὐ μὴν ἐπαύσατό γε τοῦ πράττειν τὰ δημόσια· δέκα μὲν γὰρ ἡμέρας ἔμπροσθεν τῆς τελευτῆς τοὺς ἐν Δικαιαρχίᾳ στασιάζοντας διαλλάξας νόμον ἔγραψεν αὐτοῖς καθ' ὃν πολιτεύσονται.* Hinc intelligitur cur Lepidus ita de Sulla loquatur, quasi is adhuc *ipse* crudelissimum et iniquissimum in rempublicam imperium exerceret. Primis autem consulatus mensibus [anno 78. a. Chr. n.] orationem, quam Sallustius servavit, a Lepido habitam esse, valde verisimile est, quum ex Appiano pateat, eum statim munere inito Sullae acta rescindere conatum esse; cf. de B. Civ. I, 105. p. 149 sq. *Ἄρτι δ' ἀποστάντος αὐτοῦ (τοῦ Σύλλα), Ῥωμαῖοι φόνων καὶ τυραννίδος ἀπαλλαγέντες, ἡσυχῇ πάλιν ἐπὶ στάσεις ὑπεῤῥιπίζοντο ἑτέρας. Καὶ ὕπατοι αὐτοῖς καθίστανται Κόϊντός τε Κάτλος, ἀπὸ τῶν Συλλείων, καὶ Λέπιδος Αἰμίλιος, ἀπὸ τῶν ἐναντίων, ἐχθίστω τε ἀλλήλοιν, καὶ εὐθὺς ἀρξαμένω διαφέρεσθαι.* Consulatus inibatur Kal. Ianuariis; cf. ad Catil. XVIII, 4. p. 88. et Creuzeri Antiqq. Rom. §. 137. p. 187. ed. II.

§. 1. *Clementia et probitas vostra*) Haec spectare ad benevolentiam captandam recte iudicat Gerlachius coll. Fr. I, 51, 6. *Illi, qui gentis Aemiliae bene facta extollebant, et ignoscendo populi Rom. magnitudinem auxisse.* Cic. p. Rosc. Am. c. 52, 150. *Una spes relicua est, vestra pristina bonitas et misericordia.* — *Maxumi et clari estis*, ita dictum habetur etiam Catil. LIII, 1. et Iug. XIV, 19. — *Advorsum* tenent Vat. 1. 2. 3.; in edd. est *adversus*. Ceterum non coniungi debet *timor advorsum tyrannidem*, quemadmodum dicitur *timor ab alieno;* sed verba *advorsum tyrannidem* pendent ex nominativis *clem. et prob.* hoc sensu: *quum tyrannidem ex adverso habeant; gegenüber der Gewaltherrschaft;* cf. Iug. CV, 4. p. 571. — Verba *ne, quae ipsi nefanda aestumatis* hoc ordine leguntur in Vatic. 1. 2. 3. et cod. Urs., quem Gerlachius et Orellius recte restituerunt. Depravate Cortius scripsit *ne ipsi nefanda quae aestumatis*: vitiosius etiam est, quod Putschio auctore dedit Weissius *ne aut, ipsi nefanda quae aestumatis*, particulâ *aut* ex libidine illatâ, qua non opus est ad opposita sententiae membra distinguenda. — Pro *aestumatis*, quod omnes codd. tenent, in interpolatis edd. est *existumatis*, sine caussa idonea; cf. ad Cat. VIII, 2. LVIII, 18. — *Circumveniamini* i. e. *opprimamini;* cf. ad Cat. XXXIX, 9. — Quae sequuntur verba *praesertim*

amini (praesertim quum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit, neque se aliter tutum putet, quam si peior atque intestabilior metu vostro fuerit, quo captis libertatis curam miseria eximat), aut si provideritis, in vitandis periculis

quum — miseria eximat in parenthesi dicta ad antecedentia illustranda pertinent; quibus quae subiiciuntur per *aut* particulam illata, ita referuntur ad superiora illa, ante parenthesin posita, ut verbis *parum credendo* respondeat *si provideritis*, ad *circumveniamini* autem ex altero membro *teneamini* pertineat. Ad simpliciorem igitur formam redacta sententia, ornatu orationis detracto, haec est: timeo, *ne*, si incauti sitis, *capiamini*, *aut*, si vobis caveatis, in vitandis modo periculis *teneamini*. Quare a vero aberravit Zumptius, qui in Annall. critt. Berol. a. 1834. Vol. II. No. 39. p. 315. totum locum ita censet interpungendum, ut parenthesis signo sublato comma post *eximat* ponatur (Gerl. enim semicolon habet), quia *teneamini* pariter atque *eximat* ex *quo* particula pendeat; quippe opposita esse ac sibi respondere verba *libertatis curam eximat* et *provideritis*. Hac structurae ratione inita locum sic interpretatur: Das Elend soll euch *den Gedanken der Freiheit* (i. e. frei werden zu wollen) benehmen, oder, *wenn ihr doch daran denkt*, sollt ihr genug zu thun bekommen die Angriffe abzuwehren. — De vi particularum *praesertim quum* v. ad Cat. c. LI, 19. p. 248. — *Intestabilior* quid significet abunde diximus ad Iug. c. LXVII, 3. p. 367. — *Metu vostro* ablativi neque vi instrumenti significant *per metum v.*, neque vi caussae *ob metum v.*, sed ex comparativo pendentes hunc sensum habent: si peior fuerit *quam vos timetis*: nimirum ut dicitur *opinione maior*, *spe celerior*, et similia, ita Sallustius dixit *metu peior*; cf. Gramm. lat. nostr. §. 124, 4. b. not. 9. b. p. 327. Hoc autem vult Lepidus, Sullam non tutum se putare, *nisi crudelitas eius omnium cogitationem exsuperet et ad summum nequitiae perveniat*: eâdem sententiâ infra dicit §. 6. *per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit.* cf. Fr. III, 82. 13. *Omnis iniuria gravitate tutior est.* Iug. XXXI, 14. *Quam quisque pessume fecit, tam maxime tutus est.* — *Captis* cum Orellio et Fabro ex Vat. 1. et 3. scripsimus pro *captivis*, quod ceteri quidem codd. omnesque editiones tenent, sed sensu perquam incommodo. *Captivus* enim non nisi proprio sensu is dicitur, qui *belli casu* in victoris potestatem venit et *vinculis inditis* servitutem patitur; translato vero sensu eum, qui *captivi instar* est et *quasi condicione captivi utitur*, nunquam significat, unde fit ut *captivitatis* quoque vocabulum translate non usurpetur. Contra *captus* pariter ut universum *capere* verbum etiam de eo dicitur, qui dolo aut scelere irretitus et oppressus est; cf. infra §. 20. *Vereor, ne ante capiamini.* Iug. c. LXXXV, 6. *Quo mihi acrius*

2 magis quam ulciscendo teneamini. Satellites quidem eius, homines maxumi nominis, optumis maiorum exemplis, nequeo satis mirari, qui dominationis in vos servitium suum mercedem dant, et utrumque per iniuriam malunt, quam

annitendum est, ut neque vos capiamini. Quare quum nostro loco sensus sit: *quo vobis circumventis et iniuria oppressis libertatis curam miseria eximat*, non dubitandum est, quin Vat. 1. et 3. lectio unice vera sit. — *In vitandis periculis* ex Vatic. 1. cum Orellio scripsimus; ceteri codd. et edd. omnes habent *in tutandis per.*, quod sive oculorum errore sive interpolatione ortum multo est deterius et a Sallustii dicendi more abhorret. — Ante *ulciscendo* in edd. Cortii, Weissii nonnullisque aliis additum est *in*, quod quum in nullo cod. exstet, cum Gerlachio et Orellio omisimus. Quamquam autem secundum ea, quae ad Catil. c. XLIX, 1. et in Grammat. lat. nostr. §. 130, 8. p. 416. de reiteranda praepositione diximus, h. l. *in* repetendum fuisse putaveris, tamen in posteriore membro non incuria, neque ob variandam structuram omissum, sed potius in priore propter singularem ac subtiliorem quandam sensus rationem additum videtur. Nam quum *teneri aliqua re* significet *totum aliqua re occupatum in eaque prorsus defixum esse* (cf. Cic. de N. D. 1, 17, 45. Acadd. 1, 2, 4.), Sallustius dixit *in vitandis per.*, ut significaret timere se, ne plebis vis *in singulis periculis vitandis dispergatur* potius, quam coniunctis omnium studiis tota in ultionem intenta sit.

§. 2. *satellites*) Non intelligi stipatores corporis per se patet; sed invidiosissimo nomine significantur nobiles, qui a Sulla opibus honoribusque aucti eius caussae favebant et pro eius institutis ac legibus acriter nitebantur. Post *nominis* in omnibus fere editt. sed in nullo cod. legitur *non minus*; quod quum per se absurdum sit, codicum fide careat, et aperte dittographia ex praegresso vocabulo ortum sit, cum Gerl. et Orellio delevimus. cf. supra ad Fr. 1, 33. — Ablativi qualitatis, *optumis maiorum exemplis*, paullo liberius positi, valent: *quibus optuma maiorum exempla sunt*, vel *quibus maiores optuma honestatis exempla reliquerunt.* — *Qui dominationis in vos* codicum auctoritate cum Gerl. et Orellio scripsimus; nam Cortius, Gruterum secutus, omiserat *qui*, quo oratio valde hiulca facta est. Alio modo peccatum fuit in Gerlachii ed. maiore, ubi pariter contra codd. *suae* insertum legitur post *dominationis*, inepto sensu; nam quum oppositio sententiae non modo cernatur in vocabulis *dominationis* et *servitium*, sed multo magis in vocibus *in vos* et *suum*, haec personarum oppositio prorsus pervertitur, eodem pronomine possessivo, quod in posteriore membro necessarium locum

optumo iure liberi agere, praeclara Brutorum atque Aemi- 3
liorum et Lutatiorum proles, geniti ad ea, quae maiores
virtute peperere, subvortunda! Nam quid a Pyrrho, Han- 4
nibale, Philippoque et Antiocho defensum est aliud quam

obtinet, etiam in prius translato. — *Utrumque* sc. *dominari in vos* ac simul *ipsi servire.* Non opus est igitur coniectura Bothii Praef. p. IX. *utcunque* scribendum esse censentis, quod nollem mihi aliquando magis quam codicum lectionem placuisse. — Pro *liberi* Cortius pessime scripsit *libere*, quod neque in codd. est, et alienam sententiam infert; nam *libere agere* significat aut *aperte et vere loqui*, aut *ita ut libitum est se gerere*; contra *liberi agere* valet *libertate frui*, quod propter praecedentem *servitii* mentionem unice verum est.

§. 3. 4. *Brutorum atque Aemiliorum et Lutatiorum proles*) Non ita hos nominavit, ut universam gentem significaret, sed *Brutos* dixit, ut pungeret D. Iunium Brutum, sequentis anni consulem, de quo v. Cic. Brut. 47, 175; *Aemilios*, ut notaret Mamercum Aemilium Lepidum, Bruti collegam; *Lutatios*, ut morderet Q. Lutatium Catulum, collegam suum, qui omnes a Sullae partibus stabant. Celerum colon, quo haec verba a praecedentibus seiungebantur, in comma mutavimus, quum non dubia sit appositionis ratio. — Quod ad constructionis ambiguitatem attinet, qua *a* praepositio non *actionem* Pyrrhi et ceterorum designat, sed *unde exstiterit periculum*, quod Romani propulsarunt, indicat, Handius de Partice. Lat. Vol. I. p. 31. recte observat, bonos scriptores omnino cavere, ne in tali constructione *personam*, *a qua aliquid factum sit*, nolent, sed rem aut personam, *unde aliquid petatur*. De duplici structura verbi *defensum est*, cui primum subiungitur *nomen*, tum *enunciatio finalis*, v. ad Cat. V, 9. et ad Iug. I, 2. — *Neu* Faber falso censet referri ad negantem sententiam praegressis contentam; sensus potius hic est: quid certaminibus cum Pyrrho — aliud quaesivimus, quam *ut libertatem tueremur?* cf. Iug. CVIII, 2. Tacit. Ann. II, 72, 1.

§. 5. *scaevus*) Hanc lectionem non solum tuentur codd. Vatt. 1. 3., sed etiam Servius ad Virg. Ecl. III, 13., qui Virgilianum illud *perverse Menalca* respectu nobilis cuiusdam Menalcae ita dictum ait, ut apud Sallustium *scaevus iste Romulus*. *Scaevum* enim *dextro* oppositum translate idem est atque *contrarium*, sive *in alteram partem detortum*. Ut igitur Romulus urbis *conditor* fuit, ita Sulla, qui legibus latis rempublicam labefactatam restituisse se et quasi denuo condidisse gloriabatur (v. Cic. p. Rosc. Am. 47, 137.), perquam acerbe a Lepido *scaevus Romulus* i. e. Romulo dissimillimus sive *reipublicae eversor* vocatur. Hanc verissimam loci rationem non assecuti editores ex Vatic. 2. scripserunt *saevus*, quasi

libertas et suae cuique sedes, neu cui nisi legibus pareremus? quae cuncta scaevus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet, non tot exercituum clade neque consulum et aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus,

Romulus ob saevitiam famosus fuerit, quam opinionem Gerlachius Vol. III. p. 55. satis perverse tuetur. Neque Faber in priore ed. rem acu tetigit, qui *scaevus* recepit quidem in contextum, sed *sinistrum* i. e. *infaustum atque calamitosum* interpretatur, in qua sententia quid *Romuli* mentio sibi velit non facile intelligitur. — Verba *quasi ab externis rapta*, quibus valde similia sunt quae infra leguntur §. 17. *Bona civium quasi Cimbricam praedam*, respicere videntur dictum aliquod Sullae, quod conservavit Plutarch. compar. Lysandri c. Sulla, c. III. p. 165. Reisk. *Ἐν φανερῷ ποτε τοῦ δήμου περιεστῶτος οὐσίαν μεγάλην διαπιπράσκων τιμῆς τῆς τυχούσης εἰς ἕνα τῶν φίλων ἐκέλευε κατακηρύσσειν. Ἑτέρου δὲ τὴν τιμὴν ὑπερβαλλομένου, καὶ τοῦ κήρυκος τὸ προστεθὲν ἀγορεύσαντος, διηγανάκτησε, δεινά γε, ὦ φίλοι πολῖται, καὶ τυραννικὰ πάσχω, φάμενος, εἰ τὰ ἐμά μοι λάφυρα διαθέσθαι μὴ ἔξεστιν, ὡς βούλομαι.* cf. Cic. in Verr. III, 35, 81. *Sulla tantum animi habuit ad audaciam, ut dicere in concione non dubitaret, bona civium Romanorum quum venderet, se praedam suam vendere.*— Pro *consulum* in ed. Gruteri et Cortii pessime legitur *consulis*, pariter contra omnium codd. atque historiae fidem; non unus enim consul, sed complures perierunt, ut Cinna, v. Appian. de B. Civ. I, 78.; Marius, C. Marii F., v. Appian. I, 94.; Norbanus, v. Appian. I, 91.; Cn. Papir. Carbo, v. Appian. I, 96. *Principum virorum*, quos fortuna belli consumpsit, numerum inire frustra suscipias. De ingenti multitudine bello civili interemptorum cf. Plutarch. in Sull. c. 31. Appian. B. C. I, 95 sq. ibid. I, 103. Flor. III, 21, 25. Valer. Max. IX, 2, 1. Eutrop. V, 9. Oros. V, 22. Augustin. de C. D. III, 28.

§. 6. *humani generis*) Quantum coniicere licet, in codd. est *hominum*, excepto Vat. 1. qui habet *humani*. Inde recte suspicatus est Orellius veram scripturam esse *humani generis*, substantivo per incuriam aut alio casu omisso. Nam si *hominum* a Sallustio scriptum fuisset, nullo pacto intelligitur, quomodo *humani* inde fieri potuerit. Contra ea lectio, quam Orellio auctore exhibuimus, ita comparata est, ut facile pateat, quomodo et Vatic. primi, et ceterorum codd. scriptura orta sit. Orellio assentitur etiam Zumptius in Annall. crit. Berol. a. 1834. Vol. II. No. 39. p. 315., quorum criticorum iudicio aliquanto plus tribuimus, quam Gerlachio, qui in Praef. ed. min. p. XXXVI. istam coniecturam dicit sibi longe a vero abesse videri. — *Supplicia in post futuros* constabant edicto, ne

sed tum crudelior, quum plerosque secundae res in miserationem ex ira vortunt. Quin solus omnium post memo- 6
riam humani generis supplicia in post futuros composuit,
quis prius iniuria quam vita certa esset; pravissumeque
per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit, dum vos metu
gravioris serviti a repetunda libertate terremini.

proscriptorum liberi iure honorum petendorum fruerentur, de qua re diximus ad Cat. c. XXXVII, 9. p. 175. cf. Quintil. XI, 1, 85. — *Post futuros* per hyphen dictum esse Cortius multis exemplis probare conatus est, cuius doctrinam Gerlachius Vol. III. p. 55. cupidissime suam fecit. Nos eam explosimus ad Iug. c. LXXVI, 5. p. 406. ubi v. — *Tutus fuit* cum Gerlachio et Orellio scripsimus ex Vat. 1. 2. et Ball. pro eo, quod in plerisque edd. est, *tutus furit*, non liquet utrum fide Vat. 3., an ex Aldi coniectura. Doederlinus Synonym. Lat. Vol. I. p. 63. acute monuit, in incredibili Sullae crudelitate describenda, quae res maximam orationis vim postulat, valde languere verba *pravissume furit*. Addere potuisset, non languere tantum, sed paene absurda esse; nam neque tum furebat amplius Sulla, et quoniam *pravitas* in detorquendo vero cernitur, *praviter furere*, si modo sensum habet, nihil potest significare, quam ita furere, ut furor non verus, sed corruptus et a sua natura alienatus sit. Quare *furere* verbo nullus hic locus esse potest. Bonorum codicum scriptura autem ita comparata est, ut *pravissume* non Sullae actionem definiat, sed Lepidi de ea iudicium enunciet, quo *populi perversitatem* notat Sullae immanitatem patienter ferentis. Id recte assecutus Doederlinus l. l. sensum esse dicit: „*pravitate nostra factum est, ut* per sceleris immanitatem Sulla adhuc *tutus fuerit*.“ Planius etiam Faber *pravissumeque* interpretatur *et, quod pravissimum est*. Germanice adverbium reddas: auf die unverantwortlichste Weise. Similem sententiam Macer in oratione ad plebem protulit, Fragm. III, 82, 13.

§. 7. *Agendum atque obviam eundum est*) Haec verba servavit etiam Donat. ad Ter. Andr. I, 5, 20. *Agere* praegnanti sensu positum, quo valet *rebus strenue gerendis intentum esse*, illustravit Cortius coll. Catil. LII, 29. *Vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt*. Liv. XXII, 14, 14. *Audendo atque agendo res Romana crevit*.“ XXII, 53, 7. *Audendum atque agendum esse*. — *Spoliorum* vocabulo significatur quicquid alicui detractum eripitur; bene Cortius comparavit Hist. Fr. III, 82, 6. *Arcem habent ex spoliis vostris*. Cic. de Off. III, 5, 22. *Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus*. Miri-

7 Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne spo-
lia vostra penes illos sint; non prolatandum, neque votis
paranda auxilia; nisi forte speratis taedium iam aut pudorem
tyrannidis Sullae esse, et eum per scelus occupata pericu-
8 losius dimissurum. At ille eo processit, uti nihil glorio- (1)
sum nisi tutum, et omnia retinendae dominationis honesta

fico igitur acumine Gerlachius Sallustium mactat, ad illustrandam *spolia* vocem Vol. III. p. 56. haec annotans: „Plurima insunt huic orationi *militaria dicta*, quasi Lepidus insitam animi ignaviam verborum iactantia dissimulare voluerit.“ *Penes illos*, quod in omnibus codd. est, Cortius praeeunte Grutero et Carrione mutavit in *penes illum*, quia de Sulla tantum sermo sit. Sed quum Lepidus non magis in Sullam ipsum, quam in Sullanos invehatur, quippe quorum caussa cum Sullae coniunctissima esset, nihil plane est, cur pluralis non ferendus sit. Tenendum tamen est, quum in antecedentibus de Sulla solo dictum sit, non eodem tenore haec adiecta esse, sed oratorem, brevi pausa interiecta, verbis *agendum* etc. novam incipere orationis partem. Nam quae antecesserunt, tamquam exordii loco habenda sunt, quo id agit, ut Sullae scelera exagitet et audientes irâ in eum impleat; tum progreditur ad id, quod tamquam summus finis huic orationi propositus erat, ut ad Sullae potentiam et instituta evertenda populum excitaret. Recte igitur Orellius haec, quae in ceteris edd. uno tenore leguntur, seiunxit, ut ipso verborum aspectu intellectus adiuvetur. — *Neque votis paranda auxilia* iisdem verbis dicit Cato in Catil. c. LII, 29. — De *nisi forte* particulis cf. annotata ad Cat. XX, 17. et ad Iug. III, 4. — Verba *speratis taedium iam aut pudorem tyrannidis Sullae esse, et eum* etc. ita exstant in Vat. 1. 2. 3. In vulgatis edd. vero legitur *speratis, per taed. iam aut pud. tyr., esse eum* etc., quam scripturam ab interpolatore profectam Gerlachius et Orellius merito repudiarunt. Ceterum Lepidus verbis *taedium aut pudorem tyr. Sullae esse* alludit ad abdicatam dictaturam. — *Periculosius* spectat ad eiusdem vocis positivum, in praecedente membro suppressum; sententia enim haec est: nisi speratis eum, quae per scelus *non sine magno periculo occupavit*, ea *maiore periculo dimissurum*. (1)

§. 8. *tutum*) Sententiam languere censens Cortius *tutum* satis perverse dicit activo sensu significare id, *quod tueatur* sive *tutam praestet dominationem*; neque Gerlachius, illum somniasse incusans, rem eo expedivit, quod observavit „gloriam qui appetant, iis nullam *securitatis* rationem habendam esse.“ Quasi hoc tale sit, quod, quum in optimum quemque cadat, Sullae vitio dari possit! Sed *securitatis* vocabulo usus V. D. prodidit se nescire quid esset *tutum*.

aestumet. Itaque illa quies et otium cum libertate, quae 9
multi probi potius quam laborem cum honoribus capesse-
baut, nulla sunt. Hac tempestate serviundum, aut impe- 10
ritandum; habendus metus est, aut faciundus, Quirites.

Cuius vocis sensu, quem ad Iug. LXXXVIII, 2. explicavimus, considerato in promptu est sententiam esse hanc: eam summam gloriam putat, si quavis iniuria validior ab omnibus timetur, dum ipsi a nullo periculum est timendum; *tutum* enim dicitur quod periculo caret. Sententia igitur non diversa est ab ea, quae continetur verbis §. 1. *Neque se aliter tutum putet, quam si peior metu vostro fuerit.* — De structura verborum *omnia retinendae dominationis honesta aestumet* v. ad Cat. c. VI, 7. et Gramm. lat. nostr. §. 128. III, 2. c. p. 375. — *Aestumet* praebent Vat. 1. 3; in Vat 2. legitur *extimet*: Cortius et Faber in ed. 1. dederunt *existumet*, sine idonea caussa; v. ad §. 1.

§. 9—10. *quis et otium cum libertate*) De vi et usu *cum* praepositionis v. ad Iug. c. CV, 2. p. 570. cf. infra §. 25. *Otium cum servitio.* — *Capessere* Gerlachius non satis commode explicat *appetere, affectare*; nam ut *capessere rempublicam* non est *appetere rempl.*, sed strenuam operam in ea administranda collocare (v. ad Cat. c. LII, 5.), ita *capessere quietem* valet *quieti se dedere eamque omnibus rebus praeferre.* Totius loci sententia haec est: otiosa illa et tranquilla priorum temporum libertas, quam multis probis sequi licebat, hodie non amplius exstat, neque cuiquam bono eam consectari concessum; nam inter serviundum et imperitandum nihil in medio relictum est. — *Nullum esse* valet deletum, sublatum, perditum esse; cf. Donatum ad Ter. Hecyr. IV, 4, 41. et ad Andr. III, 4, 21. ubi v. etiam Ruhnken. Sall. Catil. c. LII, 21. Iug. LXXXVI, 3. Alieni generis sunt loci a Gerlachio laudati, Terent. Eun. II, 1, 10. *Memini, tametsi nullus moneas*: et Cic. Epp. ad Attic. XV, 22. *Sextus ab armis nullus discedit*: alio enim quam *esse* verbo posito etiam *nullus* vocis ratio mutatur.

§. 11. *quid ultra?*) Haec verba Cortius perperam sic interpretatur: „*ultra* intellige *id*, nempe *ut habeamus metum aut faciamus.*“ Nam ex sequentibus, *ve* particula annexis, patet sensum potius esse hunc: quid ultra *est*, *quo* intoleranda Sullae dominatio ac superbia *adhuc procedere possit?* Profecto finem malorum attigimus. Eodem modo verba intellexit Faber et Gerlachius, qui apposite contulit Cic. in Verr. V, 45, 119. *Estne aliquid ultra, quo progredi crudelitas possit?* — *Humana* intelligenda sunt *iura hominum* sive *ea, quae homo ut sua sibi vindicare potest.* — Vim verbi *superant* explicavimus ad Iug. LXX, 2. p. 374. — *Populus*

11 Nam quid ultra? quaeve humana superant, aut divina impolluta sunt? Populus Romanus, paullo ante gentium moderator, exutus imperio, gloria, iure, agitandi inops de-
12 spectusque ne servilia quidem alimenta relicua habet. So-

Romanus speciose dicitur a Lepido, non compositus ille ex tribus ordinibus nobilium, equitum et plebeiorum, sed numero praepollens *plebs*, antea plurimum valens, tum a Sulla coercita et compressa, de quo dicendi usu cf. ad Iug. c. LXXXV, 10. — Verbis *exutus imperio, gloria, iure* in universum respicitur ad illa Sullae instituta, quibus plebis potentia imminuta summam rerum vim ad nobilitatem et senatum transtulit, tribunorum potestatem paene sustulit, senatorum et magistratuum numerum auxit, iudicia, equitibus erepta, senatui restituit, eaque omnia summa severitate exsecutus est; cf. Appian. de B. Civ. I, 100. — *Agitandi inops*, quod tuentur Vat. 1. 3. et Arus. v. *inops* p. 236. ed. Lindem., iam Douza recte interpretatus est *vivendi*, i. e. *vitam sustentandi inops*: cf. Fragm. III, 1, 9. *Gallia nunc malis fructibus ipsa vix agitat.* v. ad Cat. c. XXIII, 3. In Vat. 2. et Balliol. est *cogitandi inops*, quod multas edd. vett. invasit. — *Servilia alimenta* proprie significant *quinos* aut *quaternos modios frumenti*, qui servis in singulos menses dimetiri solebant; cf. Donat. ad Phorm. I, 1, 9. Seneca Epp. LXXX. *Servus est: quinque modios accipit.* v. infra ad Fr. III, 82, 19. Querela autem spectat ad sublatum a Sulla morem inopi plebi frumentum, publico sumptu emptum, minoris vendendi, quam iustum pretium erat; eum morem induxerat C. Gracchus, teste Plutarcho in C. Graccho c. 5. *Τῶν δὲ νόμων, οὓς εἰσέφερε τῷ δήμῳ χαριζόμενος, ἦν ὁ σιτικὸς ἐπευωνίζων τοῖς πένησι τὴν ἀγοράν.* Appian. de B. Civ. I, 21. p. 31. Schweigh. *Ἐπεβούλευε τῇ βουλῇ σιτηρέσιον ἔμμηνον ὁρίσας ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων, οὐ πρότερον εἰωθὸς διαδίδοσθαι.* cf. Nitschii Antiqq. Rom. Vol. I. p. 237. ed. III. et Schlosseri Histor. Antiq. Vol. I. P. II. p. 477 sq. Sensus est igitur: miseriore quam servi condicione plebs utitur, quippa cui ne tantum quidem ad vitam sustentandam conceditur, quantum vel servi a dominis accipiunt.

§. 12. *Sociorum — prohibentur*) Haec verba lucem accipiunt ex Ciceronis oratione p. domo c. 30, 79. *Populus Romanus L. Sulla dictatore comitiis centuriatis municipiis civitatem ademit: ademit iisdem agros. De agris ratum est (fuit enim populi potestas), de civitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt.* Ad eandem rem spectare videtur locus Appiani de B. Civ. I, 96. p. 134 sq. Schweigh. *Πολλὴ δὲ καὶ τῶν Ἰταλιωτῶν ἀναίρεσίς τε καὶ ἐξέλασις καὶ δήμευσις ἦν, ὅσοι τι Κάρβωνος,*

ciorum et Lati magna vis civitate, pro multis et egregiis factis a vobis data, per unum prohibentur, et plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum. Leges, iudicia, aerarium, provinciae, reges 13
penes unum, denique necis civium et vitae licentia. Si- 14
mul humanas hostias vidistis, et sepulchra infecta sanguine

ἢ Νωρβανοῦ, ἢ Μαρίου, ἢ τῶν ὑπ' ἐκείνοις στρατηγούντων ὑπήκουσαν. — Ὡς δ' ἐξέλιπε τὰ καθ' ἕνα ἄνδρα ἐγκλήματα, ἐπὶ τὰς πόλεις ὁ Σύλλας μετῆει, καὶ ἐκόλαζε καὶ τάσδε, τῶν μὲν ἀκροπόλεις κατασκάπτων, ἢ τείχη καθαιρῶν, ἢ κοινὰς ζημίας ἐπιτιθείς, ἢ εἰσφοραῖς ἐκτρύχων βαρυτάταις· ταῖς δὲ πλείοσι τοὺς ἑαυτῷ στρατευσαμένους ἐπῴκιζεν, ὡς ἔξων φρούρια κατὰ τῆς Ἰταλίας· τήν τε γῆν αὐτῶν καὶ τὰ οἰκήματα ἐς τούσδε μεταφέρων διεμέριζεν. cf. Plutarch. in Sulla c. 33. Flor. III, 21, 27. *Positis singulorum hominum fere poenis municipia Italiae splendidissima sub hasta venierunt, Spoletium, Interamnium, Praeneste, Florentia. Nam Sulmonem — iussit Sulla deleri.* — De appositionis ratione, qua verba *mercedem scelerum* referuntur ad praecedentem enunciationem v. Gramm. lat. nostr. §. 120, 4. not. 11. additam. d. p. 296.

§. 13. *iudicia*) sc. senatui tradita, qui ex Sullae arbitrio pendebat. — Cetera lucem accipiunt ex Appiano de B. Civ. I, 102. p. 145. *Ἔθνη πάντα καὶ βασιλεῖς, ὅσοι σύμμαχοι, καὶ πόλεις οὐχ ὅσαι μόνον ὑποτελεῖς, ἀλλὰ καὶ ὅσαι ἑαυτὰς ἐγχειρίκεσαν ἐπὶ συνθήκαις ἔνορκοι, καὶ ὅσαι διὰ συμμαχίαν ἤ τινα ἀρετὴν ἄλλην αὐτόνομοί τε καὶ φόρων ἦσαν ἀτελεῖς, τότε πᾶσαι συντελεῖν ἐκελεύοντο καὶ ὑπακούειν· χώρας τε ἔνιαι καὶ λιμένων κατὰ συνθήκας σφίσι δεδομένων ἀφῃροῦντο. Σύλλας δὲ καὶ Ἀλέξανδρον, τὸν Ἀλεξάνδρου τοῦ ἐν Αἰγύπτῳ βασιλεύσαντος υἱὸν — ἐψηφίσατο βασιλεύειν Ἀλεξανδρέων.*

§. 14—15. *sepulchra infecta sanguine*) Haec ad Marii Gratidiani caedem ad Catuli bustum perpetratam pertinere interpretes non fugit; cf. locos supra ad Fr. 35. allatos. — *Solvere iniuriam* i. e. finem imponere iniuriae; nam quia soluta non amplius continentur, sed disiecta intereunt atque esse desinunt, *finis* notio per se in *solvendo* inest, variisque modis declaratur. Bene Cortius quum monuit vulgo dici *pontem, bellum, obsidionem, matrimonium solvere*, tum contulit Sallustii imitatores, Dictym. V, 16. *Servitium morte solvere.* Hegesipp. IV, 2. *Facile est iniuriam solvere.* Phaedr. IV, 4, 33. *Solvit errorem omnium.* Liv. I, 49, 7. *Tarquinius Superbus regum primus traditum a prioribus morem solvit.* Apposite etiam Havercampius comparavit Aelian. Var.

15 civili. Estne viris relicui aliud quam solvere iniuriam, aut
mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem
natura vel ferro septis statuit, neque quisquam extremam
necessitatem nihil ausus nisi muliebri ingenio exspectat.
16 Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui praemia turbarum
17 queror, et bellum cupiens, qui iura pacis repeto. Scilicet,

Hist. III, 17. *Διὰ τούτων τυραννίδα τὴν Διονυσίου κατέλυσε.* — *Mori per virtutem* in eadem sententia dixit auctor Catil. c. XX, 9. — *Quoniam* explicavimus ad Iug. III, 1. p. 14. cf. Doederlin. Synonym. Vol. I. praef. p. XXIV. — Ad verba *vel ferro septis* Douza comparavit Propert. III, 16, 25. (IV, 17, 25. ed. Lachm.) *Ille licet ferro cautus se condat et aere, Mors tamen inclusum protrahit inde caput.* — *Extrema necessitas* non est *moriendi necessitas, quam natura ipsa affert*, sed quae ante finem a natura constitutum *per vim imponitur;* cf. Tacit. Annall. XV, 61, 4. *Intromisit ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denunciaret.* id. Hist. I, 3, 1. *Supremae clarorum virorum necessitates.* ib. I, 72, 3. *Tigellinus, accepto supremae necessitatis nuncio, secuit fauces.*

§. 16. *qui praemia — queror*). Ita exstat in Vatice. omnibus. In Ball. est *quaero*, quod Gronovius etiam ex coniectura proposuit; sed ista scriptura, quam Cortius *non malam* dicit, multum a vero abhorret. Nimirum verba ex relativo apta non sunt Sullae, caussam, cur Lepidum seditiosum habeat, afferentis, sed Lepidi ipsius, illud crimen facto redarguentis; sensus est enim: seditiosum me vocat Sulla, *qui potius* de turbis ab eo excitatis *queror;* bellum me cupere insimulat, *qui potius id postulo, ut iura pacis*, nobis per illum erepta, *restituantur*. Hanc explicationem veram esse, tum ipsa sententia declarat, tum ex eo perspicitur, quod, si Sullae verba essent, coniunctivus necessarius foret; cf. Kruegeri Gramm. lat. §. 609. p. 825. Bremi. ad Nep. Milt. c. 7, 5. Ex eadem caussa patet non ferri posse *quia iura*, ut Cortius edd. antiqq. secutus scripsit, cui lectioni etiam codd. auctoribus obstat et necessaria membrorum aequalitas. Ceterum *queri aliquid* eodem modo dictum est, ut *laetari aliquid*, de qua structura v. ad Catil. c. LI, 29. p. 254. — *Bellum cupiens* cur dicendum fuerit, non *belli cupiens*, explicatum ad Cat. c. V, 3. cf. Gramm. lat. nostr. §. 128, III. 2. b. dd. not. 4. p. 375.

§. 17. *Scilicet, quia* etc.) His verbis Lepidus ironice veram caussam declarat, cur a Sulla seditiosus et bellum cupiens dicatur; eam enim esse Sullae mentem, ut omnes velit miserrimum rerum

quia non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens et scriba Cornelius aliena bene parta prodegerint, nisi approbaritis omnes proscriptionem innoxiorum ob divitias, cruciatus virorum illustrium, vastam urbem fuga et caedibus, bona civium miserorum quasi Cim-

statum pro optimo habere, ac reipublicae salutem in perditorum hominum luxuria positam putare; si quis vero aliter sentiat et talia liberis hominibus indigna dicat, continuo eum seditiosum ac turbatorem reipublicae vocari. — *Vettius* homo parum notus est, neque multum id nostra refert; nam hoc certe constat eum fuisse inter nebulones, quos sexcentos Sulla bonis proscriptorum satiavit. Num idem sit cum illo, quem Cicero memorat in Epp. ad Attic. IV, 5, 2. et VI, 1, 15. non liquet; tamen ex eo probabile est, quod posteriore loco *manceps* vocatur. — De *Cornelio* paullo planior res est loco Ciceronis de Off. II, 8, 29. *Hastam P. Sulla quum vibrasset dictatore propinquo suo, idem sexto tricesimo anno post a scelestiore hasta non recessit: alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quaestor urbanus.* Scribae autem auctore Festo p. 333. Muell. (p. 258. Lindem.) scribebant rationes publicas in tabulis; cf. Cicero in Verr. III, 79, 183. *Scribarum fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur.* Plura vide in Creuzeri Antiqq. Rom. §. 173. p. 252 sq. ed. II. Apparet igitur, Cornelium, quum in Sullana hasta tabulas publicas conficeret, magnum ex ea re quaestum fecisse. — *Et* ante *scriba*, quod in ed. Gruteri et Cortii deest, codicum auctoritate reposuimus. — *Parta* pari fere codd. fide stabilitum videtur atque *parata*, quod Gerlachius in utraque ed. habet; quare, quum codicum lectio non prorsus accurate enotata sit, cum Orellio eam recepimus, quae Sallustii usu magis probata videtur; cf. ad Iug. X, 4. et ad XXXI, 17. — *Approbaritis* est in Vat. 1. 3.; vulgo editur *approbaveritis.* — *Proscriptionem*, pro quo apud Cortium, Weissium et antiquiores plurimos legitur *proscriptiones*, veram esse scripturam non solum testantur Vat. 1. 2. 3., verum ipsa probat sententiae ratio. Nam ut *proscriptiones innoxiorum* per se recte habet, ita *omnes proscr. innox.* absurdum est, quasi *nonullae* proscriptiones innoxiorum probari potuerint. Coniungendum autem *omnes approbaritis*, quum Lepido iudice Sulla *nullum* esse vellet, *qui non* approbaret proscriptionem, ac siquis improbaret, seditiosum diceret. — De ratione verborum *ob divitias*, attributi vim habentium, vide ad Iug. c. LIV, 4. et Grammat. lat. nostr. §. 120, 2. not. 6. p. 287. — *Quasi Cimbricam praedam* quo respectu dictum sit, iam indicavimus ad §. 5. *Cim-*

18 bricam praedam venum aut dono datam. At obiectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum; quod quidem scelerum illius vel maxumum est, non me neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. Atque illa, quae tum formidine mercatus sum, pretio, soluto iure, do-

bricam praedam autem ne puta pro qualibet vili praeda dictam esse, sed quia Sullae in illo bello haud exiguae partes fuerunt; cf. Plutarch. in Mario c. 25. 26. — Pro *datam*, quod omnes codd. tenent, Douza scribendum putavit *data*, ignorans praedicatum non ubique cum subiecto congruere, sed saepe eius substantivi, quod in appositione aut in secundaria enunciatione est, grammaticam formam sequi; cf. Nep. Themist. c. VII, 5. *Illorum urbem ut propugnaculum oppositum esse barbaris.* Sall. Fragm. I, 51, 12. *Videmini intenta mala quasi fulmen optare se quisque ne attingat.* cf. ad Iug. XVIII, 11. et ad LXXV, 6. ac vide Kruegerum de Attract. Ling. Lat. §. 23. p. 47 sqq.

§. 18. *At obiectat mihi*) De usu *at* particulae, qua infertur adversarii obiectio, v. Hand. de Partice. Lat. Vol. I. p. 432. — De particulis *non — neque* v. ad Cat. c. LII, 6. — *Faceremus* Douza censet aut pro *fecissemus* dictum esse, aut omnino ex coniectura ita scribi debere, in utroque falsus; imperfectum enim cogitationem refert ad illud tempus, *quo adhuc agendum erat;* cf. ad Iug. c. LIX, 3. et LXXXII, 3. Ceterum verba *si recte faceremus* hoc significant: si ab emendis proscriptorum bonis omnino abstineremus. — Quae sequuntur pro varia interpungendi ratione varie ab editoribus explicantur. Nam Wassius, Cortius, et Faber ed. I. scripserunt: „mercatus sum, *pretio soluto*, iure dominis tamen restituo." Gerlachius in ed. mai. habet quemadmodum edidimus: „mercatus sum, pretio, *soluto iure*, dominis tamen restituo." In Commentt. vero p. 60. improbata hac ratione sic censet interpungendum: „mercatus sum, *pretio soluto*, *iure*, dominis tamen restituo"; eamque verborum distinctionem et ipse in ed. min. et Orellius expressit. Ex quibus lectionibus cur prima et tertia falsa sit paucis dicemus. Nam primum verba *pretio soluto* ad *mercatus sum* relata prorsus otiosa sunt et paene inepta, quum neque perspiciatur quo consilio adiiciantur, et ipsa *mercatus sum* dictio soluti pretii notionem involvat; quod Gerlachius autem dicit, fortasse iis verbis caveri, ne speciosa emptio intelligeretur, non reputavit V. D. Sullam vendendis civium bonis *numeratam pecuniam* quaesivisse. Tum non patet utrum *iure dominis* coniungendum sit, ut Wassio, Cortio et Zumptio in Annall. critt. Berol. a. 1834. T. II. p. 312. placuit, an *iure* ad *restituo* referri debeat, ut Faber censet. Atque illud quidem latine dici

minis tamen restituo, neque pati consilium est ullam ex civibus praedam esse. Satis illa fuerint, quae rabie con- 19
tracta toleravimus, manus conserentis inter se Romanos exercitus, et arma ab externis in nosmet versa. Scelerum

non potest, nisi *iure* ex aliquo *verbo* pendet, neque ullum exemplum a Wassio et Gerlachio allatum demonstrat per se *iure dominus* et sic porro per ceteros casus dici pro *legitimo domino*. Sed etiamsi constructio sana foret, tamen rursus otiosa esset et inepta *iure* vox, quia *domini* per se sunt *legitimi bonorum possessores*. Fabri vero explicatio, quamquam structurae legibus non repugnans, sententiam habet a re alienam; nam si Lepidus empta bona dominis restituit, profecto id non fecit *iure* i. e. secundum leges, sed potius *aequitatem* secutus. Praeterea ex neutra explicatione patet *quomodo* ille empta restituerit, gratisne, an emptionis pretio a dominis recepto. Denique quo referatur *tamen* particula prorsus obscurum est; cui difficultati mederi volens Gerlachius *iure*, commatibus inclusum, ad *mercatus sum* spectare dicit, hoc sensu: „quae formidine mercatus sum, *ita*, *ut* pretio soluto *legitimus ac verus possessor fierem*, dominis *tamen* (sc. iure meo cedens) restituo." Sed huic explicationi non solum obstat verborum ordo et perplexa ratio, sed etiam ablativus *formidine*, alium ablativum, quo idem verbum alio modo definiatur, excludens. Ad hoc, quod gravissimum est, sententia Lepido tribuitur eius consilio prorsus repugnans, quippe qui id agat, ut universam proscriptionem *contra ius* factam esse ostendat. Hae tantae difficultates tolluntur omnes, si locum, eo modo, ut fecimus, distinctum, ita fueris interpretatus: illa, quae tum formidine mercatus sum, pretio *quidem* (quo ea emi) *restituo*, *nam aliter fieri nequit*, *quoniam ius omne turbatum ac solutum fuit*, sed restituo *tamen* dominis. Coniungendum enim *pretio restituo* i. e. *pro pretio*, sive *pretio recepto restituo;* hoc ipsum excusaturus, quia aliena bona, iniuste empta, videri poterant gratis reddenda esse, addit *soluto iure*, quo significet possessorum iura illis hastis non integra mansisse, emptoribus quoque pecuniâ datâ aliquam illorum partem obtinentibus; *quamquam* igitur, ne ipse damnum faciat, *pretium repetere cogatur*, *tamen* se empta *restituere* dominis, eoque declarare, nullum se lucrum ex proscriptionibus, nullam praedam ex civibus petere. *Tamen* igitur ita ad *pretio* refertur, ut appareat hoc nomen ex suppressa concedendi particula pendere, quam sententiam *tamen* restingit; de hoc dicendi usu v. Aug. Matthiam ad Cic. in Catil. III, 5, 10. *Cethegus*, *qui paullo ante aliquid tamen de gladiis et sicis respondisset*, *conticuit;* ubi *tamen* spectat ad omissam sententiam *quamquam sceleris manifestus.* Id.

et contumeliarum omnium finis sit. Quorum adeo Sullam non poenitet, ut et facta in gloria numeret, et, si liceat, avidius fecerit.

20 Neque iam quid existumetis de illo, sed quantum au-

or. p. Rosc. Am. c. 3, 8. *Quodsi aut caussa criminis, aut facti suspicio, aut quaelibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine secuti;* supplendum est *etsi non multum.* cf. Kuehner. ad Cic. Tusc. II, 12, 30. p. 202. — De infinitivo *pati* ex verbis *consilium est* apte v. ad Cat. XXX, 5. Iug. CII, 6. infra §. 26. Fr. I, 51, 2. cf. Grammat. lat. nostr. §. 131, 10. b. additam 3. p. 426. —

§. 19. *fuerint*) Vat. 2. male habet *fuerunt;* nam quoniam malorum finis nondum adest, Lepidus *optat*, ut assit. — *Contracta*, quod tuentur codd. Vatt. omnes, iam Wassius et Cortius recte viderunt non ablativum singularis numeri, sed accusativum pluralis esse; *contrahi* enim dicuntur ea, quae cui molesta et noxia vel sua vel aliena culpa accidunt; cf. Hist. Fragm. II, 30, 8. *Haec si dolo aut socordia nostra contracta sunt.* Cic. Epp. ad Famm. II, 16, 11. *Dolabellam fore ab iis molestiis, quas liberalitate sua contraxerat, liberum.* id. Epp. ad Q. Fr. I, 1, init. *Ea molestissime ferre homines debent, quae ipsorum culpa contracta sunt.* In Balliol. et Urs. legitur *contacta*, unde nonnulli editores coniecerunt scriptum fuisse *contacti*, quod per se quidem dici potest, sed sensu multo est deterius quam vulgata scriptura. — *Rabie* intelligendum de civilium bellorum furore; cf. Flor. IV, 2, 2. *Ac Mariana quidem Cinnanaque rabies intra urbem proluserat.* — *Conserentis* pro *conserentes* est in Vat. 1. 2. — *Adeo Sullam non poenitet, ut*, i. e. *tantum abest ut Sullam poeniteat, ut* etc.; cf. Hand. de Partice. Lat. Vol. I. p. 141 sq. — *Facta* omnes interpretes videntur pro substantivo habuisse, *sua* supplentes; sed quum oppositio constet *fecerit* verbo, consentaneum est *facta* verbum esse, non substantivum, quia sic demum diversae sententiae recte sibi respondent. *Esse* infinitivus eodem modo omissus, ut infra §. 23. Fragm. III, 78, 10. et 26. Liv. XXI, 42, 2. *Se quisque eum optabat*, sc. *esse*.

§. 20. *Neque iam* etc.) His verbis ad aliam transitur orationis partem, qua Lepidus plebis demissum animum erigere studet et ad agendum incendere. — *Quantum audeatis* Faber recte observavit diminuendi sensu significare *quam parum audeatis;* cf. Walch. in Emendd. Liv. p. 267. et ad Tac. Agric. c. XV. p. 222. *Quantum enim transisse militum, si sese Britanni numerent?* Adde Kuehner. ad Cic. Tusc. I, 13, 29. Matthias ad or. p. l. Manil. c. VI, 14. Herzog. ad Caes. B. C. I, 45. et III, 2. Zumpt. Gramm. Lat. c. 84.

deatis vereor, ne alius alium principem exspectantes ante capiamini (non opibus eius, quae futiles et corruptae sunt,

§. 726. p. 596. ed. VIII. — Ante *audeatis* in ed. Cortii, Gerlachii mai. et Weissii additum legitur *vos*, quod auctoritate codicum Vatt. cum Orellio omisimus, loquendi usu etiam ut id fieret postulante; cf. Grammat. lat. nostr. §. 112, 1. p. 229. Grysar. Art. lat. scribendi p. 26 sq. Heinichen Art. lat. scrib. §. 39. p. 99. ed. II. — *Principem* i. e. incipientem, initium facientem, de qua vocis potestate v. ad Cat. c. XXIV, 2. p. 119. Ad sententiam Cortius non male comparavit Liv. II, 10, 9. *Cunctati aliquamdiu sunt, dum alius alium, ut proelium incipiant, circumspectant.* Neque dissimilia sunt quae leguntur Catil. c. LII, 28. — Quae sequuntur verba et scripturae discrepantia, et singulorum vocabulorum incerta ratione tam impedita sunt, ut in toto Sallustio difficiliorem locum noverim nullum; quem licet omnes editores iure pro corrupto habuerint, tamen in eo emendando non ita versati sunt, ut obscura res ad liquidum perducta satisque confirmata videri possit. Gerlachius in utraque ed. scripsit ut in codd. legitur: *quam raptum iri licet, et quam audeat tam videri felicem*, in qua scriptura omnes consentiunt, nisi quod pro *audeat* in Vat. 3. est *audeas*, in Vat. 2. *audias*. Iam si quaeris, quo sensu *rapere* dictum sit, cur *infinitivus futuri passivi* positus sit, ad quodnam *obiectum* hoc verbum referatur, quale subiectum *licet* habeat, cur *licet* indicativo, *audeat*, per *et* illi iunctum, coniunctivo enunciatum sit, cur *felicem*, ex *videri* et nom. aptum, contra usum accusativo positum sit, ad quamnam rem *felicitas* spectet, quo sensu *audere* verbum intelligendum sit, denique qua ratione haec posteriora verba cum prioribus cohaereant, haec igitur si quaeris, profecto ita haerebis, ut te expedire nequeas. Quod animadvertens Cortius *raptum iri* ex coniectura mutavit in *captum ire*, ac totum locum sic explicat: „vereor, ne *ante* capiamini —, *quam* Sullam capere licet, et *quam* ipse Sulla sibi persuadeat vos capi posse"; sed eius emendationis ut prior pars veritati est maxime consentanea, ita posterior paene ineptam habet sententiam. Quare Orellius, relicta Cortii ratione, locum sanare studuit scribendo: *quam raptum ire licet ei, quem haud pudeat tam videri felicem.* Cuius emendationis sententia ut constet, verba *ante capiamini* contraxit in *antecapiamini*, et ita obliterata *temporis* notione, quae particulis *ante — quam* continebatur, *quam* ante *raptum* vult relativum esse ad *socordiam* spectans, *rapere* autem explicat *opprimere*, collato Livio VI, 23, 5. *Qui adveniens castra urbesque primo impetu rapere sit solitus.* Sed hoc exemplo nihil probatur; nam si vera est lectio, *rapere* cum verbis *primo impetu* coniunctum *celeritatem* designat, ut iam Drakenborchius recte indicavit; quae cele-

sed vostra socordia), quam captum ire licet, quem haud
21 **pudeat tam videri felicem. Nam praeter satellites comma-**

ritatis notio neque Sallustiano loco convenit, neque cum *ire* verbo conciliari potest. Sed Livium quoque *capere* scripsisse maxime probabile est, quum aliquot codd. ita habeant, innumerisque exemplis a Drakenborchio probatum sit, *capere* ac *rapere* saepissime a librariis confundi. Cetera ut taceam, *antecapere* (quo vocabulo fingendo Orellius id consequi studuit, ut *quam* non comparandi particula, sed pronomen esset), quia non habet *opprimendi et circumveniendi* vim, quae in *capere* inest, non potest de hominibus dici, sed tantummodo de rebus usurpatum valet *mature occupare*, vel *prius praecipere*, cf. Catil. XIII, 3. XXXII, 1. LV, 1. Iug. XXV, 3. L, 1., unde patet hoc verbo falso etiam ea falsa esse, quae ex eo pendent. Aliam viam iniit Zumptius, qui in Annall. critt. Berol. a. 1834. Vol. II. No. 39. p. 315 sq. priore parte Orellianae emendationis retenta ita scribendum coniecit: *quam raptum iri licet, et qua gaudet se tam videri felicem:* sed quoniam huius quoque sententia et iisdem erroribus, quibus Orellii, et aliis laborat, singula persequi nihil profuerit. In promptu est autem criticis fraudi fuisse, quod magis ad singula verba, quam ad sententiarum nexum attenderunt. Nam si reputaveris Sallustium, verbis *quantum audeatis* in universum vituperatâ plebis ignaviâ, accuratius, in quo ea cernatur, declarare, facile videbis eum, ut doceat quid *a Sulla futurum sit* et quid *a plebe fieri debeat*, oppositione uti, quae verbis *capi* et *capere* conficitur. Hoc igitur dicit: quam parum audeatis vereor, scilicet ne *ante* (a Sulla) *capiamini* i. e. opprimamini socordia vestra, *quam* (vobis eum) *capere* i. e. imperio exuere *licet*. In tam plana et certa oppositionis ratione non dubitari potest, quin Cortius recte emendaverit *captum ire*, quod ad *passivum* relatum idem est atque *capere*, per se autem valet *ad capiendum se parare;* cf. ad Cat. c. XXXVI, 4. p. 168. Ita concidit Orellii sententia, qui p. 38. *captum* dicit puditum esse post superius *capiamini*, scilicet quia sibi persuaserat verborum *captum ire* subiectum esse Sullam. Sed Sulla *obiectum* est, quod sequente enunciatione relativa accuratius describitur; quare *et*, ab Orellio in *ei* mutatum, delevimus, quippe ortum ex ultima *licet* verbi syllaba (cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 539. Drakenborch. ad Liv. XXXIX, 18, 8.), in ceteris ingeniosam Orellii coniecturam, licet alio sensu, adoptavimus. Quam facile enim *HAUD PUDEAT* oculorum lapsu in *AUDEAT* corrumpi potuerit, quivis videt; quo errore semel commisso necesse erat *quem* in *quam* mutari. Iam non solum nihil deest ad grammaticam verborum structuram, sed obiectum etiam ita declaratum est, ut gravem Sullae habeat insecta-

culatos quis eadem volt? aut quis non omnia mutata praeter victorem? Scilicet milites, quorum sanguine Tarulae Scyrtoque, pessumis servorum, divitiae partae sunt! An, quibus praelatus in magistratibus capiundis Fufidius, an-

tionem. Nam clare patet postremis verbis alludi ad assumptum ab eo cognomen *Felicis*, suppressa fere hac sententia: *ut adeo cognomine sibi arrogato declaret omnium se votorum compotem esse factum.* Ceterum totius periodi partes eodem modo parenthesi distinentur, quo §. 1. disiunctivae orationis membra interpositis verbis paullo longius inter se recedunt.

§. 21. *Nam praeter* etc.) Enunciatio per *nam* illata non refertur ad verba proxime praecedentia, sed ad supplendam sententiam, quae in iis latet. Mente enim Lepidus hanc sententiam praecipit: *nihilominus ista eius felicitas non tanta est, quantam ipse putat.* De hoc *nam* particulae usu cf. ad Iug. c. XIX, 2. Gramm. lat. nostr. §. 142, 2. not. 1. b. p. 472. et 159, 6. p. 604. — *Victorem* e coniectura scripsimus pro *victoriam*, quod in omnibus quidem codd. est, sed sensum ab hoc loco alienissimum habet. Nam quum victoria penes Sullam esset, ii, qui omnia mutata velle dicuntur *praeter victoriam*, optant victoriam *non mutari*, sed remanere apud Sullam, quod in ore Lepidi absurdum est. Praeterea praecedentis enunciationis, huic aequalis, ratio docet non *res mutandas* opponi *rebus non mutandis*, sed *homines*, qui res mutari cupiant, opponi *hominibus* illas non mutari cupientibus. Quare ut paullo ante dictum fuit *quis praeter satellites*, ita in altera enunciatione dici debet *quis praeter victorem.* — *Scilicet* cum ironia affirmat, quod re ipsa negatur; nam sensus est *milites certe*, qui sanguine suo paucos ditarunt, ipsi nihil ceperunt, *nolunt praesentia non mutari* cf. §. 17. — *Tarulae Scyrtique*, ignotorum nebulonum, nomina exhibuimus, ut in codd. Vaticanis leguntur; vulgo editur *Tarrulae Scyrroque.* — *Fufidius* memoratur a Floro III, 21, 25. *Admonente Fufidio vivere aliquos debere, ut essent quibus imperarent, proposita est ingens illa tabula* etc. Idem tradit Orosius V, 21. *Tunc Sulla auctore L. Fufidio primipilari primus infamem illam tabulam proscriptionis induxit;* sed utroque loco nomen corrupte scribitur *Furfidius;* cf. etiam Plutarch. in Sulla c. 31. ubi in eiusdem rei narratione pro *Ἀφίδιον* legendum est *Φουφίδιον*; neque dubium est, quin de eodem Fufidio intelligendum sit Fragm. I, 68. ubi v. — *Ancilla turpis* vocatur propter servilium ministeriorum obsequium, non modo libero homine, sed etiam servo indignum; cum irrisione enim feminarum vocabula ad viros transferuntur, ut significetur eos ingenio ac moribus ad femineam infirmitatem et impotentiam degene-

22 cilla turpis, honorum omnium dehonestamentum? Itaque maxumam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot volnera et labores nihil praeter tyrannum quaesitum est. 23 Nisi forte tribuniciam potestatem evorsum profecti sunt, per

rasse. Ita Cicero de Curione, Caesaris studioso, Epp. ad Attic. 1, 14. *Concursabant barbatuli iuvenes, duce filiola Curionis.* Idem de Clodio Epp. ad Attic. IV, 11. *Perscribe ad me, quid Appius, quid illa populi Apuleia:* quos locos Cortius attulit. Plura v. apud Heindorfium ad Hor. Sat. I, 8, 39. p. 230. ed. Wuestem.

§. 22 — 23. *cui — quaesitum est.*) De ratione *dativi* v. annotationem ad Iug. c. XLVI, 3. cf. infra §. 25. — *Quaerere* sensu *parare* verbi positum illustravimus ad Iug. III, 3. p. 18. v. infra §. 26. III, 1, 1. — *Per arma*, quae verba in omnibus edd. praecedentibus adiunguntur, Faber recte cum participio *conditam* coniunxit; nam quum milites omnia armis agant, incredibiliter languet additum *per arma:* optime autem id valet de tribunica potestate, quam armis paratam fuisse Sallustius saepius commemorat; cf. Iug. XXXI, 17. Historr. Fr. I, 10. III, 82, 1. Catil. XXXIII, 3. — Ad duplicem verbi *profecti sunt* structuram iam Cortius animum advertere iussit, coll. Hist. Fragm. III, 82, 17. *Neque ego vos ultum iniurias hortor; magis uti requiem cupiatis.* cf. ad Cat. V, 9. Iug. I, 2. XXV, 1. — *Relegati in paludes* ex primo Historiarum libro laudat Arus. p. 258. ed. Lindem., sed vitiose in codd. legitur *relegat.* — *Silvas*, quod omnes codd. tenent, Carrio et Gruterus male mutarunt in *silvam.* — Ex hoc Sallustii loco Tacitus expressit querelas, quas Percennio tribuit in Annall. I, 17, 2. *Si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum uliginес paludum vel inculta montium accipiant.* — *Suam* non attributum, sed praedicatum est, cui ex altera parte respondet *penes paucos:* ea re non intellecta antiquiores editores *in* praepositione ante *contumeliam* illata contextum foedavere. — *Intellegerint* Orellius optime scripsit ex Vat. 1. Nam quod ceteri codd. et edd. omnes habent *intellegerent*, absurdam praebet sententiam, quippe quae ita ad illud tempus referatur, quo milites pro Sulla arma caperent. Lepidus autem spem de militibus ex eo se capere dicit, quod *iamiam intellexerint* quantopere ludibrio *sint habiti* a Sulla, qui praemiorum loco, quae illis promiserat, paludes et silvas attribuerit, divitias et opes in paucos contulerit; quod quum ex *eventu* demum militibus patere posset, necessario sequitur imperfectum falsum esse. De antiquiore perfecti forma v. ad Iug. c. XL, 1. p. 229 sq.

§. 24. *Quare igitur* etc.) *Igitur* refertur ad hanc sententiam, quae in antecedentibus inest: *quum militibus, ab eo deceptis, tam*

arma conditam a maioribus suis, utique iura et iudicia sibimet extorquerent, egregia scilicet mercede, quum relegati in paludes et silvas contumeliam atque invidiam suam, praemia penes paucos intellegerint. Quare igitur tanto ag- 24
mine atque animis incedit? Quia secundae res mire sunt vitiis obtentui; quibus labefactis, quam formidatus est, tam

parum fidere possit. — *Agmine* non est *impetu*, ut Wassius interpretatur, sed *comitatu satellitum et asseclarum*, quae res invidiose *agminis* vocabulo augetur. — *Animi* de uno homine dictum valet *fastum*, *arrogantiam et ferociam*; cf. Fragm. III, 82, 10. *Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quinctium, vidistis.* Liv. XXXIII, 46, 4. *Quaestor iam pro futuris mox opibus animos gerebat.* v. Drakenborch. ad II, 27, 12. et ad VI, 23, 8. Eodem sensu etiam *spiritus* vocabulum usurpatur; v. Matthiam ad Cic. orat. p. leg. Man. c. XXII, 66. et Herzog. ad Caes. B. G. I, 33; de utroque egit Zumpt. Gramm. Lat. c. 22, III, 1. not. p. 89. ed. VIII. — *Incedit*, quod et ipsum fastus notionem habet, iam illustravimus ad Iug. c. XXXI, 10. — Verba *secundae res mire sunt vitiis obtentui* Cortius bene sic interpretatur: „Secundae res impediunt, quominus vitia hominum statim perspiciantur; quae si in Sulla a militibus cognoscerentur, statim fortasse illum desererent.“ *Obtentui esse* eodem modo dicitur, ut *ostentui esse*, de quo v. ad Iug. c. XXIV, 10.; nam ut hoc valet *alicuius rei aspectum praebere*, ita hoc significat *aliquam rem legere et quasi aspectui subtrahere*; cf. Böttticheri Lex. Tacit. p. 327. Hunc locum Sallustii laudavit Porphyr. ad Hor. Epp. I, 18, 29.; eundem Seneca tractavit Controvers. IV, 24. verba ex Thucydide expressa dicens, et Graecis brevitate praestare. Sed memoriae lapsu Thucydidem nominavit pro Demosthene, apud quem illa, quae cum Sallustianis comparavit, leguntur in Olynth. II, p. 23. *Αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη.* — *Labefactis* cum Gerlachio et Orellio ex omnibus codd. reposui; apud Cortium et in prioribus edd. legitur *labefactatis*. — De vi particularum *quam* — *tam* v. ad Iug. c. XXXI, 14. — Post *formidatus* in multis edd. antiq. legitur *antea*, quod ex mera interpolatione illatum est. — Quae sequuntur verba *nisi forte specie conc. et pac.* alteram, sed cum ironia prolatam responsionem continent ad interrogationem *quare tanto agmine atque animis incedit?* Supplendum est igitur *tanto agmine incedit.* — Pro *specie* in nonnullis edd. antiqq. et apud Weissium inepto sensu et contra codd. legitur *spe*; Sulla enim non *sperare* iubebat pacem et concordiam, sed se restituisse ac confirmasse gloriabatur. — *Parricidio* i. c.

contemnetur; nisi forte specie concordiae et pacis, quae sceleri et parricidio suo nomina indidit; neque aliter rempublicam et belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, praeda civilis acerbissuma, ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi Romani fuit. Quae si vobis pax et concordia intelleguntur, maxuma turbamenta rei-

nefario facinori, quo in libertatem civium saeviit; cf. quae de potestate *parricida* vocis diximus ad Cat. XXXI, 8. et ad c. LI, 25. — *Neque aliter rempublicam et belli finem ait* consentiens omnium codd. lectio est, quam praeeunte Gerlachio et Orellio reduximus; nam quod in edd. Carrionis, Gruterii et Cortii legitur *n. a. populo Romano esse belli f. ait* ex scribendi compendio *r. p.* ortum est. Neque tamen codicum scripturam vitio prorsus carere putaverim, quum *esse* vix abesse possit. Nam quum sensus sit: ait Sulla non aliter *stare* rempublicam bellique finem *haberi*, nisi maneat etc., sequitur, *esse*, quod praegnanti sensu praedicatum est, paene necessario ad sententiae integritatem requiri. Excusatio tamen durioris dictionis in eo posita videtur, quod praedicatum non plane omissum, sed adverbio *aliter* ex parte significatum est. Quare satius duximus hanc rem indicare tantum, quam *esse* in textum inferre. — Quod ad nexum attinet, quo haec verba cum praecedentibus continentur, Faber commate post *indidit* posito significavit sibi sequentia ex *nisi forte* apta videri; quod secus est. Eo enim consilio haec adiiciuntur, ut intelligatur Sullam revera dictitasse, proscriptionibus ac novis institutis nihil aliud se quaesivisse, quam ut respublica confirmaretur; cf. annotat. ad I, 51, 13. Quare *neque* explicativam sententiam adiungens valet *nam non*, de quo usu diximus ad Iug. c. CXII, 3. p. 601.; inde simul intelligitur incommode in edd. Cortii, Gerlachii et Orellii puncto haec a praecedentibus prorsus seiungi. Rectius semicolon, quo apud Cortium post *acerbissuma* interpungitur, a Gerlachio et Orellio in comma mutatum est; nam verba *praeda civilis acerb.* non efficiunt appositionem ad praecedentia, sed primam partem alterius membri, pariter ex *maneat* pendentis. — Verba *ius iudiciumque* coniunctim summam rerum potestatem atque imperium designant; ex formula ita dici observavit Gronov. ad Liv. XXXVI, 39, 9. coll. XXXIX, 24, 8. et XLI, 22, 4.

§. 25. *pax et concordia*) Orellius in utraque edd. scripsit *pax et composita*, ut est in Vat. 2., neque negaverim id ferri posse quia sequitur *turbamenta; turbatis* enim bene opponuntur *composita*. Sed quum in Vat. 1. et 3. *concordia* legatur, horum auctoritate

publicae atque exitia probate, annuite legibus impositis, accipite otium cum servitio, et tradite exemplum posteris ad populum Romanum suimet sanguinis mercede circumveniundum. Mihi, quamquam per hoc summum imperium 26
satis quaesitum erat nomini maiorum, dignitati, atque etiam

vocem retinendam putavimus, eo haud parum commendatam, quod ita cum acerba ironia ad superiorem sententiam, Sullae attributam, respicitur; v. ad Fr. I, 51, 13. Totius loci sensus hic est: quas iniurias et miserias si pacem et concordiam *esse putatis*; quod germanice est: wenn ihr dies *unter* Frieden und Eintracht *verstehet*. Non assequor igitur, quid sibi voluerit Gerlachius Vol. III. p. 63. haec annotans: „*intelligi* non tantum est *haberi*, sed hoc quaerit orator, num re accuratius examinata ac perpensa, haec eadem esse iudicaturi sint?" — *Exitia* non significant *ea, quae exilium afferunt*, ut Gerlachius interpretatur, sed omnis generis *calamitates et miserias, sive iam assunt, sive instant*: cf. Aug. Matthias ad Cic. p. Mil. c. II, 5. — *Annuere* verbi cum dativo *rei* constructi Faber haec exempla laudavit: Tacit. Ann. XII, 48, 3. *Ne annuisse facinori viderentur*. XV, 16, 1. *Neminem Romanorum Armeniam ingressurum, donec referrentur litterae Neronis, an pari annueret*. — Pro *populum Romanum*, quemadmodum cum Cortio et Gerlachio edidimus, Orellius scripsit *rem publicam*. Et ita sane est in Vat. 1. 2. 3. et Urs.; sed quominus istam scripturam veram putemus, sententiae perversitas obstat. Recte enim Gerlachius in Praef. ed. min. p. XXXVII. „Quamvis, inquit, ipse Cicero dicat Epp. ad Attic. IV, 16, med. *amisimus omnem succum ac sanguinem civitatis*, tamen *rempublicam sui sanguinis mercede circumvenire* vix dici posse videtur." Nimirum *sanguis*, quo *translate* robur ac vigor significatur, *propria vi dictus* reipublicae nullus est; at proprie dixit Sallustius; quare reipublicae hic locus esse nequit. Iam si reputaveris quam saepe in codd. *P. R.* i. e. populus Romanus cum *R. P.* i. e. respublica confundatur (v. Drakenborch. ad Liv. III, 56, 10. XXV, 31, 4. XXXI, 4, 2.), profecto non dubitabis, quin verissime correctum sit *populum Rom.*, praesertim quum in Vat. 1. et 2. adhuc exstet *circumveniundum*. — *Mercede* in Carrionis et Gruteri edd. corruptum in *caede*, quam depravationem Wassius valde inepte defendit, miseranda doctrina ostendere conatus *sanguinem* per se idem esse atque *consanguineos*. Loci sensus est: tradite exemplum posteris ad populum Romanum ita opprimendum, *ut adeo suummet sanguinem pro servitute profundat et quasi mercedis loco tyrannis praebeat*. Aliter Gerlachius Vol. III, p. 63. *sanguinem* in-

praesidio, tamen non fuit consilium privatas opes facere,
27 potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio. Quae si probatis, adeste, Quirites, et bene iuvantibus dis M. Aemilium consulem ducem et auctorem sequimini ad recipiundam libertatem!

telligit *mercedem*, quam populus *accipiat*, non *det;* sed ipsa rei natura et sententia multo acerbior nostram explicationem suadere videntur. — De *suimet* voce v. ad Catil. c. XXIII, 2. p. 113.

§. 26 — 27. *Mihi*, *quamquam* etc.) Gerlachius et Orellius *mihi*, commate sublato, referunt ad *quaesitum erat*, quo sententiarum ratio valde obscuratur, aut certe debilitatur. Lepidus enim *populi* ignavae sententiae *suam* opponit, quod ita fit, ut verbis *quae si vobis pax intelleguntur*, *probate* — *annuite* — *accipite* — *tradite* ex altera parte respondeat *mihi* — *non fuit consilium* etc. Ceterum ne putes pro *quaesitum erat* et *non fuit consilium*, dicendum fuisse, quod sane dici poterat, *quaes. est* — *non est cons.*, spectat Lepidus non ad id tempus, quo gerit consulatum, sed ad illud, *quo eum adeptus est*, eoque dicendi modo uti maluit, ut probaret iam tum sibi consilium fuisse libertatis defendendae; cf. ad Iug. XCV, 2. p. 506. — *Opes facere* i. e. comparare, quemadmodum Seneca Epp. CXIV. refert Sallustium dixisse (Fragm. Inc. 33.) *exercitum argento fecit.* — *Que* non explicandi potestate valet *nam*, ut Faber censet, sed adversandi vi positum pro *sed*, ut saepe fit post negativam sententiam; cf. annotata ad Iug. CVII, 3. p. 578. Goerenz. ad Cic. de Finn. II, 9, 27. p. 161. Herzog. ad Caes. B. C. I, 32. p. 100. — Pro *dis* in Vat. 1. est *divis*, contra usum Sallustii; cf. Iug. c. LXXXV, 48. *Dis iuvantibus omnia matura sunt.* — Verba *consulem ducem et auctorem sequimini ad recipiundam libertatem* ad evocationis formulam composita esse, iam Wassius observavit. cf. Servium, qui ad Virg. Aen. VIII, 1. „Si esset tumultus, inquit, quia singulos interrogare non vacabat, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, et exinde proferens duo vexilla dicebat: *Qui rempublicam salvam vult, me sequatur.*“ Donat. ad Terent. Eun. IV, 7, 2. „Huiusmodi militia per tumultum repente suscipitur et dicitur *evocatio*, ubi dux alloquitur cives: *qui rempublicam salvam vultis, me sequimini.*“

Huic Fragmento subiungendum esse, quod legitur Incert. 52, sero intellexi ex Linkeri Comment. de Praefecto urbis Feriarum lat. p. 7.

Fr. 46. [Cort. p. 936. Gerl. ed. mai. I, 13. ed. min. I, 62. p. 190, 19. Debr. I, 72. III, 92.] Verba exstant apud Non. IV, 62;

46. Quin lenones et vinarii laniique, quorum praeterea volgus in dies usum habet, pretio compositi.

47. Vti Lepidus et Catulus decretis exercitibus maturrume proficiscerentur.

praeterea Charis. I. p. 42. Lindem. (p. 58. Putsch.) laudat *quin vinarii laniique*, quo testimonio hoc certe probatur, *quin*, quod Gerl. in ed. min. ignoratione potestatis huius particulae in *quia* mutavit, non esse sollicitandum. De Lepido iam priores editores hoc Fragmentum intellexerunt, sed in eo explicando Debrossius multum a vero aberravit. De *belli* enim *apparatu* his verbis agi putans Lepidum dicit lenones, vinarios ac lanios mercede permovisse, *ut ipsius exercitum sequerentur*, *ne quid earum rerum*, *quibus vilis multitudo indiget*, *suis deesset*. Sed Lepidus neque Romae bellum paravit, ubi isti omnis nequitiae ministri sedem habebant, neque hoc, quod Debrossius vult, est bellum parare, sed se ipsum adversariis vincendum praebere. Ad hoc *volgus* non exercitum, sed urbanam plebem designat, neque *pretio componere* significat *permovere pretio*; sed ut *componere dolum*, *insidias*, *fraudem* est *machinari* sive *struere dolum* etc., ita *lenones et vinarii laniique pretio compositi* dicuntur, qui fraudulentis artibus et praemiis promissis ad seditionem et turbas excitandas pellicerentur. Quare verba de Lepido dicta putamus in consulatu plebem concitante, neque concionibus contento *adeo* (hoc enim significatur *quin* particula; v. Fr. I, 51, 8.) lenonum, vinariorum ac laniorum, quos largitionibus corruptos sibi devinxerat, opera utente, ad quem seditiosum conatum haud dubie spectant verba Philippi Fragm. I, 51, 6. *Quum largitionibus rempublicam lacerari videbam.* Quod Gerlachius autem Vol. III. p. 52. iudicat „*lenones* h. l. propria potestate non esse intelligendos, sed pro *lixis* et *cauponariis* dictos esse, ad belli usum paratis," merum somnium est; nam ut *lenones* nunquam pro *lixis* dicuntur, quod Gerlachius ipse concedit, ita perquam apti fuerunt ad vulgi mentem corrumpendam, eamque ob caussam Lepidus eos suis consiliis inservire voluit. Celerum verba *quorum praetereu volgus in dies usum habet* tantummodo ad *lanios* spectare puto; nam *lenones ac vinarios* volgus nonnisi ad libidines explendas frequentabat, *lanios* cotidie adibat, victus comparandi caussa, quod discrimen *praeterea* voce designatur.

Fr. 47. [Cort. p. 953. Gerl. ed. mai. I, 20. ed. min. I, 55. p. 190, 12. Debr. I, 66.] Verba exstant apud Charis. II. p. 121. ed. Lindem. (p. 184. Putsch.) sensu non obscuro. Nam quum Lepidus post Sullae mortem perpetuo turbarum caussas in urbe quaereret, senatus, ut eo liberaretur, ante finitum consulatum in provinciam

48. Etruria omnis cum Lepido suspecta in tumultum erat.

49. Magna vis hominum convenerat agris pulsa aut civitate eiecta.

eum abire iussit; cf. Fragm. I, 51, 4. *Ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est.* Appian. de B. C. I, 107. p. 153. Schweigh. *Ἄμφω μὲν οὖν (τὸν Λέπιδον καὶ τὸν Κάτλον) ἡ βουλὴ δείσασα ὥρκωσε μὴ πολέμῳ διακριθῆναι. Κληρωσάμενος δ' ὁ Λέπιδος τὴν ὑπὲρ Ἄλπεις Γαλατίαν ἐπὶ τὰ ἀρχαιρέσια οὐ κατῆει.* Quod Gerlachius autem Vol. III. p. 3. dicit cum Appiano pugnare videri Plutarchum, ipse finxit istam discrepantiam; nam quum in Pompeio c. 16. legatur: *Ὁ Πομπήϊος ἀπεδείχθη στρατεύματος ἡγεμὼν ἐπὶ τὸν Λέπιδον ἤδη πολλὰ τῆς Ἰταλίας νενικηκότα καὶ τὴν ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίαν κατέχοντα διὰ Βρούτου στρατεύματι*, quivis videt Plutarchum non loqui de provincia Lepido decreta, sed de seriore tempore, quum *per legatum* et armorum vi alienam terram occupasset. — Catulo, quantum coniici potest, Italia obvenit, neque is urbem videtur egressus esse.

Fr. 48. [Deest apud Cortium, Gerlach. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. I, 51. p. 190, 7.] Fragmentum recens additum debetur Arusiano v. *in illam rem* p. 240. Lindem. *Suspecta in tumultum* Arusianus perperam explicat *susp. tumultus caussa*; nam quum *in* praepositio vim habeat consilii ad aliquam rem efficiendam spectantis, sensus est: Etruria suspecta erat *proclivis esse ad* tumultum excitandum. Patet igitur *in* non ex propria pendere vocis *suspectus* potestate, sed ex *propensionis* notione, quae in hac dictione inest. Etruria autem cum Lepido faciebat, quia promiserat se proscriptis bona restituturum; cf. Appian. de B. C. I, 107. *Λέπιδος δὲ καὶ τοὺς Ἰταλικοὺς προσποιούμενος ἔλεγεν ὅτι τὴν γῆν αὐτοῖς, ἣν ὁ Σύλλας ἀφῄρητο, ἀποδώσει.* Sall. Catil. c. XXVIII, 4. *Manlius Etruriae plebem sollicitare, egestate simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat.* Praeterea hoc Fragmentum lucem accipit ex oratione Philippi, Fragm. I, 51, 6. *Equidem a principio, quum Etruriam coniurare, proscriptos accersi, largitionibus rempublicam lacerari videbam, maturandum putabam.* Ibid. §. 8. *Etruria atque omnes reliquiae belli arrectae.*

Fr. 49. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 137. ed. min. I, 60. p. 190, 17. Debr. I, 67.] Serv. ad Virg. Aen. I, 270., neque Historiis, neque libro indicatis. Recte tamen Debrossius verba intellexit

50. Philippus, qui aetate et consilio ceteros anteibat.

51. *Oratio L. Philippi contra Lepidum.*

Maxume vellem, patres conscripti, rempublicam qui-

de iis, quibus adiutoribus Lepidus tumultum excitabat in Etruria. v. ad Fr. 48.

Fr. 50. [Cort. p. 945. Gerl. ed. mai. I, 18. ed. min. I, 63. Debr. I, 58.] Serv. ad. Virg. Aen. IX, 246. De Philippo satis accurate disputavit Ellendtius in Succincta eloquentiae rom. historia *Bruti* editioni praefixa §. 28. p. 75—78. ed. II., unde non solum intelligitur qua tum aetate fuerit (natus quippe LXII annos), sed etiam quanta in senatu auctoritate polluerit. Recte autem iam priores editores hoc Fragmentum ante Philippi orationem collocarunt, quum probabile sit, Sallustium his ipsis verbis caussam reddidisse, cur illam orationem Historiis inserendam putaverit, pari fere consilio, quo Iug. XXX, 4. Memmii orationem perscribere ei visum est. Multum igitur a vero aberravit Debrossius, qui haec verba ad narrationem de Sullae funere refert, Philippum coniiciens propterea, quod ceteros aetate et consilio anteierit, ad Sullam pro rostris laudandum electum esse. Scilicet quum apud Appianum de B. C. I, 106. p. 153. Schweigh. legatur: *Ὡς δ' ἐπὶ τοῦ βήματος ἐν ἀγορᾷ προὐτέθη, τοὺς μὲν ἐπιταφίους λόγους εἶπεν ὁ κράτιστος εἰπεῖν τῶν τότε*, apud Ciceronem autem Philippi eloquentia saepius laudetur (cf. de Orat. III, 1, 4. Brut. c. XLVII, 173. de Off. I, 30, 108.), Debrossius nihil certius putavit, quam nostro loco de Sullae laudatione per Philippum facta agi. Sed etiamsi certioribus testimoniis constaret Philippum revera Sullam laudasse, tamen hoc Fragmentum, quia *aetatis* et *consilii* mentio fit, non potest de ea re intelligi.

Fr. 51. [Cort. p. 945—953. Gerl. ed. mai. I, 19. ed. min. I, 64. Debr. I, 90.] Haec oratio exstat in codd. Vatt., Ursin., Ciaccon. et Balliol., de quibus v. Praefat. — Quum Lepidus aliquanto ante consulatus finem in Galliam transalpinam provinciam abire iussus esset (v. Fr. I, 47.), sed in Cisalpina et in Etruria proscriptos et turbidam plebem sibi adiungeret (v. Fr. I, 48. 49.), revocatus a patribus, ut inceptorum caussam redderet, non paruit, sed cum armata manu ad urbem accessit; cf. Appian. de B. C. I, 107. p. 154. Schweigh. *Οὐ λανθάνων δ' ἐφ' οἷς ἐβούλευεν ἐκαλεῖτο ὑπο τῆς βουλῆς· καὶ οὐδὲ αὐτὸς ἀγνοῶν ἐφ' οἷς ἐκαλεῖτο, ἦει μετὰ τοῦ στρατοῦ παντὸς, ὡς ἐς τὴν πόλιν εἰσελευσόμενος σὺν αὐτῷ.* Sed quum Ianiculum et pons Mulvius iam a Catulo ac Pompeio occupatus esset, prohibitus urbem intrare et pugna haud procul a

etam esse, aut in periculis a promptissumo quoque defendi, denique prava incepta consultoribus noxae esse. Sed contra seditionibus omnia turbata sunt, et ab iis, quos prohibere magis decebat, postremo, quae pessumi

campo Martio commissa victus (cf. Flor. III, 23, 6.) in Etruriam recessit. Pompeius autem fugatos reipublicae hostes persecutus in Galliam Cisalpinam contendit, quam Brutus, Lepidi legatus, tenebat, eumque Mutinam compulsum per aliquod tempus obsidione pressit. Dum haec aguntur Lepidus novis copiis collectis iterum exercitum ad urbem admovit et condicionibus cum senatu egit; cf. §. 10. *An exspectatis, dum exercitu rursus admoto ferro atque flamma urbem invadat?* ibid. §. 14. *An Lepidi mandata animos movere?* §. 17. *Ex lubidine leges imperantur, quum interim vos legatos et decreta paratis.* Plutarch. in Pomp. c. 16. p. 737. Reisk. *Ὁ Πομπήϊος ἀπεδείχθη στρατεύματος ἡγεμὼν ἐπὶ τὸν Λέπιδον, ἤδη πολλὰ τῆς Ἰταλίας νενικηκότα, καὶ τὴν ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίαν κατέχοντα διὰ Βρούτου στρατεύματι. τῶν μὲν οὖν ἄλλων ἐκράτησε ῥᾳδίως ἐπελθὼν ὁ Πομπήϊος, ἐν δὲ Μουτίνῃ τῆς Γαλατίας ἀντεκάθητο τῷ Βρούτῳ συχνὸν χρόνον. Ἐν ᾧ Λέπιδος ἐπὶ τὴν Ῥώμην ᾔει καὶ προσκαθήμενος ἔξωθεν ὑπατείαν ᾔτει δευτέραν, ὄχλῳ πολλῷ δεδιττόμενος τοὺς ἔνδον.* cf. §. 15. *Alterum consulatum petis, quasi primum reddideris.* Igitur hoc altero Lepidi adventu quum civitas, quae iam diu acribus dissensionibus agitabatur (cf. infra §. 1. 16.), in magnam perturbationem esset conjecta, aliis Lepido faventibus, aliis per ignaviam cunctantibus et quid agendum esset dubitantibus, exortus est in senatu Philippus, et gravi oratione torpedinem animis excutere, periculum ostendere et ad fortiter et strenue resistendum hortari studuit. Quum Lepidi seditio anno a. Chr. n. 78. extremo incepisset, haec oratio sequentis anni i. e. 77. initio habita est, novis consulibus nondum creatis, ut patet ex §. 22.

§. 1. *denique*) Hanc particulam Cortius dicit „eleganter adhibitam comprehendendi vi significare *ut paucis dicam*.“ Sed quamquam saepe ita ponitur, ut ostendimus ad Iug. c. LXXIX, 7., tamen h. l. vulgarem potestatem retinet, qua tripartitae sententiae tertium membrum adiungitur. Nam optatum Philippi tres res diversas continet, quibus totidem ex altera parte contrariae respondent, quamquam singula particulis *primum*, *tum* non discreta sunt. Quod si tenueris, simul intelliges in altera enunciatione post *decebat* non punctum poni debere, ut a Gerlachio et Orellio factum est, sed commate pariter ut post *defendi* esse interpungendum. Verbis *prava incepta consultoribus noxae esse* Philippus alludit ad pervulgatum

et stultissumi decrevere, ea bonis et sapientibus faciunda sunt. Nam bellum atque arma, quamquam vobis invisa, 2 tamen, quia Lepido placent, sumenda sunt, nisi forte cui pacem praestare et bellum pati consilium est. Pro 3

versum, de quo Gellius NN. AA. II, 5. „Tunc igitur, inquit, quod in Etruscos haruspices male consulentes animadversum vindicatumque fuerat, versus hic scite factus cantatusque esse a pueris urbe tota fertur: *Malúm consilium cónsultori péssimum est.* Videtur autem hic versus de Graeco illo Hesiodi versu (Opp. et D. v. 266. ed. Göttl.) expressus *Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.*“ Eundem et Varro refert de R. R. III, 2, 1., et imitatus videtur Tacitus Ann. VI, 10, 2. *Quo laetius acceptum sua exempla in consultores recidisse.* v. ad Fr. Inc. 57. — *Et ab iis* valet *et quidem ab iis*; v. ad Iug. c. LXXXV, 3. — Indicativi *decebat* rationem illustravimus ad Iug. c. XCV, 3. p. 509. et ad CX, 1. p. 588. — *Quae pessumi decrevere* quid sit, intelligitur ex §. 4. 5. 7.

§. 2. *pacem praestare*) Haec verba Faber iudicat significare *pacis amantem se praebere*, *nihil hostile agere*, cui explicationi obstat loquendi usus. Sensus potius est *efficere, ut pax habeatur*; cf. Iustin. XXXIX, 2, 9. *Grypus octo annis quietem et ipse habuit, et regno praestitit*, i. e. effecit ut regno esset. Id. VII, 4, 1. *Cuius filio et successori Alexandro cognatio Bubaris non Darii tantum temporibus pacem praestitit.* XLIII, 5, 3. *Quae res illis et virium fiduciam auxit, et pacem ab hostibus praestitit.* Liv. XL, 34, 14. *Pacem iis populus Romanus non ab se tantum, sed ab rege etiam Masinissa praestitit*, ubi videndi Gronovius et Drakenborchius, quibus haec exempla debentur. Ceterum sententiarum per *et* iunctarum haec ratio est: nisi forte quis *ut pacem praestet* bellum pati decrevit. Nam *bellum pati* quia necessario sequitur ex inepto pacis studio, cum hoc ipso coniunctum atque idem esse dicitur.

§. 3. *omissa cura*) Perperam haec Cortius ad deos refert interpretans *qui adhuc negligentes estis in regenda hac urbe*; vere enim Gerlachius Vol. III. p. 65. „Nullum, inquit, regimen deorum esse potest *cura omissa*: nam in ipsa cura gubernatio deorum est posita.“ Verba, in vehementiore et incitatiore Philippi oratione paullo obscurius enunciata, quomodo intelligenda sint, ex universo eius consilio facile patet; nam quum hoc maxime queratur, ignavia et socordia senatus rempublicam deseri (cf. verba continuo sequentia usque ad §. 6. et §. 12. 19. 20.), *omissâ curâ* significat *cuius cura omissa est*, sc. *ab iis, quos illam tueri decebat*; quare commata a Cortio sublata cum Orellio restituimus. — *Tegitis* cum Orellio et Fabro scripsimus ex Vatic. 3. pro *regitis*, quod ceteri codd. omnesque edd. tenent.

di boni, qui hanc urbem, omissa cura, adhuc tegitis! M. Aemilius, omnium flagitiosorum postremus, qui peior an ignavior sit deliberari non potest, exercitum oppri- mundae libertatis habet, et se e contempto metuendum

Hoc enim dicit Philippus, nisi *tutela* deorum urbem adhuc *conservaret*, actum esse de ea, quippe cuius curam patres plane omiserint. Deorum in urbe *regiminis* non solum aliena, sed paene absurda mentio. — *Postremus* de gradu et qualitate dictum significat *vilissimum* et *prorsus despiciendum*; cf. Hist. Fr. IV, 19, 12. *Postremus servorum Archelaus.* Cic. p. Rosc. Am. c. 47, 137. *Sin autem id actum est, ut homines postremi pecuniis alienis locupletarentur.* — *Deliberari* i. e. *decerni*, *constitui*, quae verbi vis eo efficitur, quod consequens, ut grammatici loquuntur, sumitur pro antecedente; nam quum *deliberare* proprie sit librando et pendendo alicuius rei pondus explorare, quia nonnisi perpensa re iudicari potest, ipsum *perpendere* pro iudicando et constituendo dicitur. cf. Cic. in Verr. I, 1, 1. *Iste statuerat ac deliberaverat non adesse.* — De genitivo *oppri- mundae libertatis* v. ad Cat. VI, 7. p. 36. Fr. I, 45, 8. — *Contemptus* opponitur *metuendo*, quia *contemnere* proprie est *non metuere*: v. annotata ad Iug. LXXXV, 19. Tacit. Ann. I, 74, 1. — *Mussantes*, quod proprie est vix hiscere conantes, translate significat prae timore *libere loqui, quod res postulat, non audentes*, utroque sensu plane congruens cum dictione germanica *den Mund nicht aufthun.* De eo verbo cf. Varro de L. L. VII, 101. p. 159. ed. Muell. *Mussare dictum, quod muti non amplius quam μῦ dicunt.* Non. V, 23. p. 427, 16. Merc. *Mussare hominum est occulte quid et pressa voce loquentium, quod celatum velint.* Drakenborch. ad Liv. VII, 25, 1. *Mussantes inter se rogitabant, num quem plebeii consulis poeniteret.* Id. XXXIII, 31, 1. *Soli Aetoli id decretum clam mussantes carpebant.* Ruhnken. ad Terent. Andr. III, 2, 25. Adelph. II, 1, 53. — *Retractantes*, dictum a re quasi retrahenda et revocanda, est *tergiversantes, cunctantes*, cf. Cic. Tusc. I, 31, 76. *Sive retractabis, sive properabis.* Ibid. V, 29, 82. *Peripateticos hortari videbare, ut sine retractatione libere dicere auderent.* id. Philipp. XIV, 14, 38. *Quum sine ulla retractatione pro patria vitam effuderint.* Drakenborch. ad Liv. III, 49, 2. *Appius Icilium retractantem arripi iubet.* VI, 28, 4. XXXVII, 18, 9. Virg. Aen. XII, 889. Quod ad verborum structuram attinet, Gerlachius, Faber et Orellius ablativos *verbis et vatum carminibus* ad *optatis* et *defenditis* referunt, quod fieri nequit. Non vidit enim Gerlachius, quum Vol. III, p. 65. dicit *verbis pacem defenditis* homines significari *lingua* quam manu *promptiores*, qui loqui, non agere didicerint, huic sententiae

effecit; vos, mussantes et retractantes verbis et vatum carminibus, pacem optatis magis quam defenditis, neque intellegitis mollitia decretorum vobis dignitatem, illi metum detrahi. Atque id iure, quoniam ex rapinis consulatum, ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est. 4

prorsus obstare quod iidem *mussantes* dicuntur. Praeterea ipsa enunciationis conformatio ostendit nude sibi opponi *optare* et *defendere*, idemque etiam rectus loquendi usus confirmat; neque enim potest *verbis* ad *defenditis* referri, quin simul ad *optatis* referatur; sed *verbis optare aliquam rem* quis dixerit? Quare *verbis et vatum carminibus* coniungendum est cum *retractantes* participio, ut iam Cortius fecit, quamquam is non satis recte ablativi vim *propter* particulâ explicat. Nam trita instrumenti potestate intelligendi sunt ablativi, hoc sensu: *moram agendi facientes* inanibus inertibusque verbis *utendo* et vatum carmina *consulendo*. Recte autem Cortius *vatum carmina* de libris Sibyllinis capienda censet, quibus superstitiosi et ignavi etiamtum fidem habebant; eadem *vaticinationes Sibyllinae* vocantur a Cicerone de N. D. II, 3, 10. ubi v. Creuzerum p. 221., *vatum libri* a Valerio Max. I, 1., *fatales libri* a Livio XXII, 10, 10., *carmina Sibyllae* ab eodem XXXVIII, 45, 3. — *Verba*, quae h. l. praegnanti sensu significant *inania verba*, idem Cortius mirifice intelligit de *haruspicum responsis*, cuius sententiae ne minimum quidem indicium adest. — Alio modo Gerlachius hunc locum illustravit, qui Vol. III. p. 65. sq. „*Vatum carminibus*, inquit, additum, quod haec hominum est ratio, ut, quo minor ipsorum est industria, eo saepius *ab aliis auxilium exspectent*: qua quidem spe ipsorum ignaviam excusatam putant, cf. Thucyd. V, 103. Interpretes varie turbant, v. c. Cortius; *verbis* est *propter verba*, h. e. augurum responsa, et vatum carmina h. e. libros Sibyllinos. Quod erat demonstrandum; alii, *tanquam omnia manifesta essent*, haec intacta reliquerunt.“ Viden' quid in hac V. D. interpretatione manifestum sit? — *Detrahi* quum simul ad *dignitatem* et ad *metum* pertineat, zeugma quoddam efficitur; nam illa tantum proprie dicitur *detrahi* i. e. *cum detrimento minui*: alterius membri ratio poscebat ita dici, *illum metu liberari*: sed concinnitatis caussa ad utrumque nomen idem verbum relatum est.

§. 4. *Atque id iure*) Haec verba tantummodo ad postrema referri, non ad detractam dignitatem, ex sequentibus patet. — Verba *ex rapinis* spectant ad vexatam et direptam a. 81. a. Chr. n. a Lepido praetore Siciliam; cf. Cic. in Verr. II, 3, 8. *Siculi illum annum pertulerant, qui sic eos afflixit, ut salvi esse non possent*: ad quem locum Pseudo-Asconius p. 206. Orell. haec annotavit: *M. Le-*

Quid ille ob bene facta cepisset, cuius sceleribus tanta praemia tribuistis? At scilicet eos, qui ad postremum usque legatos, pacem, concordiam et alia huiuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peperisse. Imo despecti et indigni republica habiti praedae loco aestumantur, quippe

pidi praetoris, qui accusari coeperat a duobus Metellis, Celere et Nepote: qui quum legibus interrogassent, victi eius apud populum gratia destiterunt. ibid. III, 91, 212. *Hoc crimen non modo Marcelli facto, sed ne Lepidi quidem potes defendere.* Ampel. lib. memor. c. 40. *Bellum Lepidus contra Catulum excitavit, ob metum Siciliae exspoliatae.* cf. infra §. 15. — *Ex* incertum est, utrum temporis notione valeat *post* (v. ad Catil. c. IV, 1.), an caussae vi (v. ad Cat. c. XII, 2.) significet *rapinis partum esse consulatum.* Hoc quamquam propter sequentia praeferendum videatur, tamen res ipsa potius priorem explicationem suadet; nam quum Lepidus rapinarum caussa accusatus esset, Philippus dicit nihilominus eum *post* rapinas consulatum accepisse; nisi forte hoc voluit, *opibus, ex rapinis collectis*, quibus plebi largiretur, eum consulatum sibi parasse. — *Ob seditionem* se. in ipsa urbe excitatam; v. ad Fragm. I, 46. — Pro *bene facta* in Cortii et Gerlachii ed. mai. perperam scriptum est *benefacta*; v. ad Cat. VIII, 5. p. 46.

§. 5. *At scilicet eos — ab eo peperisse*). Ita Gerlachius recte ex Vat. 1. et 2. edidit, quibuscum consentit etiam Vat. 3., nisi quod mendose *habeo* pro *ab eo* exhibet. Plura in edd. antiqq. turbata sunt, in quibus pro *eos* est *iis* vel *ii*, *peperisse* mutatum in *peperere*, denique *ad*, quod est ante *postremum*, translatum vel ante *legatos* vel ante *pacem*; hoc haud dubie errore factum, ceterae depravationes ab interpolatoribus profectae, qui *scilicet* particulae usum non cognitum haberent; v. ad Iug. CII, 9. p. 551. — *At* obiectionem adversariorum a Philippo fictam infert, qua, licet concedatur Lepido nimium fuisse concessum, tamen eam rem amicis eius gratiam peperisse contenditur; v. Hand. de Partice. Lat. Vol. I. p. 432. — *Decreverunt*, de quo verbo v. ad Iug. c. CIV, 2. p. 566., per zeugma ad praegressa substantiva refertur; nam plenior sententia haec est: qui *censuerunt* legatos esse *mittendos*, pacem *servandam*, concordiam *iucundam*. — *Despecti* explicavimus ad Iug. LXXXV, 19. p. 454. — Verba *et indigni republica* Arusianus p. 236. ed. Lind. ex primo Historiarum libro laudat. — *Praedae loco aestumantur* Faber bene sic explicat: tales ab eo putantur, *quibus*, victis ceteris, *certissime imperet*. — *Quo*, sc. metu.

§. 6. *Etruriam coniurare*). De Etruriae coniuratione v. ad Fragm. I, 48. 49. — *Accersi* est in Vat. 1. 2. 3.; editiones habent

metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equi- 6
dem a principio, quum Etruriam coniurare, proscriptos accersi, largitionibus rempublicam lacerari videbam, maturandum putabam, et Catuli consilia cum paucis secutus sum; ceterum illi, qui gentis Aemiliae bene facta extol-

vel *accersiri*, vel *arcessiri*; v. ad Iug. c. LXII, 4. p. 332. et CXIII, 5. Quibus locis quamquam *accersiri* probavimus, tamen inde non sequitur, ubi codd. vulgarem formam praebeant, inusitatiorem esse recipiendam. — Verba *largitionibus rempublicam lacerari* fortasse eandem rem tangunt, de qua intelligendum videtur Fragm. I, 46. De *Catulo*, nobilitatis propugnatore, Lepidique perpetuo adversario, v. ad Fragm. I, 45, 3. I, 47. Plutarch. in Sulla c. 34, extr. et imprimis in Pomp. c. 16. *Ὁ Κάτλος, ᾧ τὸ καθαρὸν καὶ ὑγιαῖνον μάλιστα τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου προσεῖχεν, ἦν ἐν ἀξιώματι σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης μέγιστος τῶν τότε Ῥωμαίων.* Appian. de B. C. I, 105. — *Ceterum* i. q. *sed*: v. ad Iug. II, 4. Quoniam autem *illi* a Philippo *sibi ipsi* opponuntur, sequentem enunciationem alteram periodi partem fecimus, puncto, quod in omnibus edd. post *sum* habetur, in semicolon mutato. — *Auxisse* non passiva, ut interpretes volunt, sed intransitiva potestate positum significat *incrementa cepisse*, quamquam sensus satis commode etiam passivo reddi potest. Eodem modo locutus est Cato apud Gell. NN. AA. XVIII, 12. *Eo res eorum auxit.* cf. ad Cat. VI, 7. Duker. et Drakenborch. ad Liv. III, 6, 2. Rumpel. de Casibus p. 120. — *Etiam tunc* cur scripserimus patet ex iis, quae ad Catil. II, 1. p. 10. diximus; sensus est enim: *adeo illo tempore, quo arma cepit.* Non satis recte igitur Faber scripsit *etiamtum*, quamquam vere monuit has particulas cum *aiebant* verbo esse coniungendas. Sed perperam idem *nusquam* ita censet cum *progressum* cohaerere, ut vi motus particulae significet *in nullam partem*, sive *in nullum locum*. Sed *progressum* absolute positum significat *modum egressum*, i. e., ut Cortius recte interpretatur, *aliquid contra remp. et salutem bonorum ausum*. Quare *nusquam* non *finem* designat, *ad quem* progressus sit Lepidus, sed valet *nulla in re*, de quo dicendi usu v. ad Cat. V, 2. et ad Iug. XIII, 5. — *Privata arma* Cortius bene explicat, quae Lepidus privato consilio, nullo senatus consulto nec populi iussu cepisset; sed idem pessime haec verba, colo post *aiebant* posito, ad sequentia retulit; nam in promptu est *etiam tunc*, quod per se parum perspicuum est, his verbis explicari, ut supra iam indicavimus. Neque tamen Faber et Gerlachius in ed. mai. loci sensum plane assecuti sunt, colo post *cepisset* interpungentes, quo fit, ut verba *sibi quisque* — *corruperunt* claudicent, neque

lebant, et ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse, nusquam etiam tunc Lepidum progressum aiebant, quum privata arma opprimundae libertatis cepisset, sibi quisque opes aut patrocinia quaerundo consilium publi-
7 cum corruperunt. At tunc erat Lepidus latro cum calo-

recte cum ceteris coëant. Nam universa loci conformatio haec est, ut verbis *equidem Catuli consilia secutus sum* ex adverso respondeant *ceterum illi consilium publicum corruperunt.* Quibus quae interiecta sunt, subiectum *illi* duabus enunciationibus relativis illustrant, quarum posterior rursus duobus membris (*auxisse — progressum*) ἀσυνδέτως positis constat, ita ut correlativae particulae *etiam tunc — quum* arte cohaereant. Quae quum ita sint, quivis videt maiori interpunctioni in tota periodo locum non esse. — *Consilium publicum corruperunt* i. e. auctores fuerunt pravi consilii, quo reipublicae saluti non consultum, sed gravissimum detrimentum allatum est.

§. 7. *At tunc*). Pro *tunc* in Vat. 1. 2. 3. est *tum*, quod, quia *nunc* oppositum est, mutare non dubitavi; v. ad Iug. c. V, 1. p. 28. Cortius cum edd. antiqq. *attamen* scripsit, quod errori potius quam interpolationi deberi videtur. — Lepidum Cortius propterea *latronem* dictum censet, quia nullo publico consilio, et contra patriam arma ceperit; sed idem de altero eius ad urbem accessu valet, neque temporis diversi oppositio ita potest confici, ut Lepidus prius privata, deinde publica arma sumpsisse, prius patriae hostis, tum legitimus magistratus fuisse dicatur. Sed ut *latrocinium* iusto bello opponitur (v. ad Iug. c. XCVII, 5.), ita *latronis* vocabulo hoc significatur, Lepido non iustas et idoneas copias ad verum bellum faciendum fuisse, eumque sensum addita verba *cum calonibus et paucis sicariis* plane declarant. Rem igitur si spectas, Philippus h. l. iterum dicit, quod supra §. 3. dixerat, *e contempto* (qualis tunc fuit, nunc) *se effecit metuendum.* — *Diurna mercede vitam mutare* significat *vitam dare, vel vendere, vel nihili facere pro diurna mercede obtinenda;* cf. ad Iug. XXXVIII, 10. p. 224. XLIV, 5. *Praedas mutare vino advectitio.* Iam quum in Vat. 2. et 3. legatur *nemo non*, in Vat. 1. autem tantummodo *nemo*, sine *non*, Cortius, Gerlachius, Faber, Orellius *non* omiserunt, mirifice a vero aberrantes. Gerlachius enim Vol. III. p. 67. ullum unquam scriptorem Latinum ita locutum esse negans, homines *ignavos et inertes* a Philippo significari putat, qui, quum non magna seditionis praemia, sed non nisi *diurnam mercedem* a Lepido acciperent, *de vita sua pro tam parvis praemiis periclitari nollent.* Sed ut argumentum a latinitate sumptum futile est, ita nemo Gerlachio credet *sicarios*

nibus et paucis sicariis, quorum nemo non diurna mercede vitam mutaverit; nunc est proconsul cum imperio, non empto, sed dato a vobis, cum legatis adhuc iure parentibus; et ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptissumi, flagrantes inopia et cupidinibus,

(germanice *Banditen*) homines esse *ignavos*, qui vel exigua mercede proposita vitam in periculum dare non audeant; quod contra esse praeter Gerlachium sciunt omnes. Quare Cortius, obscuro veritatis sensu ductus, verba sic explicat: *quibus diurna merces ipsâ vitâ carior est*, quod postremis hominum et perditissimis proprium est; neque aliter Faber „es war niedriges und verworfenes Gesindel, *dem sein Tageslohn höher galt, als das Leben*, indem es, um einen Tageslohn zu erhalten, sein Leben auf's Spiel setzte." Sed haec sententia verissima tantummodo efficitur, si *nemo non* scripseris; quod quum vel sine codd. reponendum fuisset, profecto certa eorum auctoritas non erat negligenda. Noluit autem Philippus his verbis *ignaviam* Lepidanorum significare, sed potius hoc dixit, eos homines fuisse *perditissimos*, *sine aris et focis*, *pro pessima caussa vilissima mercede pugnantes*, eodem modo, ut Petreius in Catil. c. LIX, 5. milites suos contra Catilinae exercitum adhortans dicit: meminerint se contra *latrones inermis pro patria*, *pro liberis*, *pro aris atque focis suis* certare. — *Proconsul* Orellius contra codd. mutavit in *pro consule*, quasi hoc solum verum esset; cf. ad Iug. XLIV, 1. p. 250. Fragm. I, 57. *Domitium proconsulem — accersivit.* ib. V, 12. *Audito Q. Marcium Regem proconsulem — in Ciliciam tendere.* — *Cum imperio* quid sit diximus ad Iug. III, 1. — Verbis *non empto* Gerlachius et Faber hoc significari censent, Lepidum ante quam proconsul esset, tantummodo propriis sumptibus paratos milites atque imperium habuisse. Sed huic sententiae obstat, quod Fragm. I, 47. narratur Lepido *exercitum decretum fuisse*, quem ei rursus ademptum esse nusquam traditur. Quare haec verba rhetoricam tantum vim habere videntur, eo scilicet consilio addita, ut oppositionis ratione *dati* imperii indignitas magis efferatur. — *Adhuc* Faber bene vidit ad socordiam senatus notandam pertinere, qui *patiatur adhuc* Lepidum cum imperio esse, quod ei vel non dandum, vel dudum adimendum fuit. — *Flagrant inopia et cupidinibus*, qui tanta omnium rerum inopia laborant tantisque cupidinibus agitantur, ut ad quaevis audenda parati sint. Simili modo dictum est Catil. c. XXV, 3. *Lubidine sic accensa.* V, 4. *Ardens in cupiditatibus.* — *Scelerum conscientia exagitati* apte conferis cum his verbis Catil. XV, 4. *Conscientia mentem ex-*

scelerum conscientia exagitati, quibus quies in seditionibus, in pace turbae sunt; hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt, Saturnini olim, post Sulpici, dein
8 Mari Damasippique, nunc Lepidi satellites. Praeterea Etruria atque omnes reliquiae belli arrectae; Hispaniae

citatam vastabat. ibid. c. XIV, 3. *Omnes, quos — conscius animus exagitabat. — Quies in seditionibus* est scelestis, quia nulla ipsis poena metuenda est, ubi omnia turbarum plena sunt. Iisdem *in pace turbae esse* dicuntur, quia tum iudiciis vexati ac legibus coerciti pariter in angustiis versantur, ut boni cives, quando turbis ac seditionibus respublica agitatur. — Ad verba *bellum ex bello serunt* iam Cortius contulit Fragm. IV, 19, 20. *Romani bella ex bellis serendo magni facti.* Liv. XXI, 10, 4. *Si ex bellis bella serendo* succinctus *armis legionibusque vivat.* XL, 48, 2. *In dies maiora certamina serebat. — Saturninum* cum ceteris a Philippo nominatis acerrimos nobilium adversarios fuisse ac pro immoderata plebis potentia pugnasse, satis notum est; de Saturnino ipso v. Appian. de B. C. I, 28—32. Plutarch. in Mario c. 28 sq. Cic. in Catil. IV, 2, 4. Valer. Max. III, 2, 18. VI, 3, 1. de eius dicendi facultate v. Cic. Brut. c. 62, 224. — De *Sulpicio* cf. Valer. Max. VI, 5, 7. *L. Sulla Sulpicium Rufum perditum voluit, tribunicio furore eius sine ullo fine vexatus.* Eius mors etiam memoratur ab Auct. ad Herenn. I, 15, 25.; valde eloquentem fuisse testatur Cicero in Bruto c. 55, 203. de Off. II, 14, 49. et compluribus in libro de Oratore locis. cf. Ellendt. Hist. eloq. rom. §. 29. p. 78 sq. ed. II. De *Damasippo* iam dictum est ad Catil. c. LI, 32. Praeterea cf. Appian. de B. C. I, 88. cum annotatione Schweighaeuseri Vol. III. p. 716. Oros. V, 20. Cic. Epp. ad Famil. IX, 21, 7.

§. 8. *reliquiae belli*) Intelligendae videntur reliquiae belli civilis Sullani. *Arrectae* i. e. *motu agitatae et occasioni ad aliquid gerendum intentae*: cf. ad Catil. c. XXXIX, 3. p. 183 sq. — Pro *sollicitae*, quod est in Vat. 1. 2. et Ciacc., Vat. 3. et edd. antiqq. habent *sollicitatae*: sed quum adiectivum quoque, licet rarius, idem significet, atque *exagitatus*, (v. Forcellini Lex. h. v.) non est cur vulgarem formam praeferamus. Ceterum Sertorianum bellum significari planum est. — *In latere* propinquitatem designat; cf. Iug. XIV, 10. *Hostes ab latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. — Diem* praegnanti sensu est *commodum diem*: eodem modo usurpatur etiam *tempus*, v. ad Iug. c. LXXIX, 7. — Pro *nihil abest* cave credas etiam dici potuisse *nihil deest*, quippe quo Philippus significaret sibi videri subverso imperio *opus esse.*

armis sollicitae; Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit; quin praeter idoneum ducem nihil abest ad subvortundum imperium. Quod ego vos oro atque obsecro, 9 Patres conscripti, ut animadvortatis, neu patiamini licentiam scelerum, quasi tabem, ad integros contactu pro-

Nam *deesse* dicuntur ea, quae quum *necessario* et *interni nexus* ratione requiruntur ad aliquam rem, non assunt; *abesse* vero, quod proprie distantiam alicuius rei denotat, de iis usurpatur, quae *externa* et fortuita ratione ad aliquam rem relata *non magnopere desiderantur*, si non assunt; cf. Cic. Brut. c. 80, 276. *Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit; si opus erat, defuit.* Nostri igitur loci sensus est: *quam variae caussae* subvertendi imperii *esse possunt*, eae omnes assunt, praeter ducem idoneum. De verborum *abesse* et *deesse* discrimine cf. Grysar. Art. lat. scribendi p. 194. et Herzog. ad Caes. B. G. I, 36.

§. 9. *neu patiamini*) *Neu* Carrio recte scripsit ex Vat. 3; ceteri libri, etiam Vat. 1. et 2. habent *ne*, quod non ferri potest; v. ad Catil. c. XXXIV, 2. p. 158. Eodem modo *neu* in *ne* deparatum fuit Iug. c. XIV, 24. — *Quasi tabem* verissima Carrionis coniectura est, quam miror neminem editorum recepisse, quum codicum scriptura *quasi rabiem* nullo pacto ferri possit. Nam quis unquam fando audivit, *rabiem contactu ad integros procedere?* Ut igitur prorsus inepte *latius diffusa* scelerum licentia *rabiei* imagine significatur, ita nihil accommodatius est, quam malae rei vim ingravescentem cum *tabe* sive *pestilentia* comparari, quae quam facile latius serpat et integros invadat in vulgus notum est. Neque potest dubitari, quin Sallustius *tabem* scripserit, quum saepius hoc vocabulo in simili sententia usus sit; cf. Fragm. IV, 59. *Qui quidem mos uti tabes in urbem coniectus.* Cat. XXXVI, 5. *Tanta vis morbi uti tabes plerosque civium animos invaserat.* Iug. XXXII, 4. *Tanta vis avaritiae animos eorum veluti tabes invaserat.* Neque diversus est locus Catil. X, 6. *Haec primo paullatim crescere, post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas immutata.* Etiam Livius onus usurarum *in dies auctum* non cum *rabie*, sed cum *tabe* comparavit II, 23, 6. et VII, 38, 7. Nihilominus Cortius et Gerlachius vulgatam scripturam prorsus stabilitam censent his exemplis: Fragm. I, 45, 19. *Satis illa fuerint, quae rabie contracta toleravimus;* et Liv. XXI, 48, 3. *Scipio ratus contactos eo scelere velut iniecta rabie ad arma ituros.* Sed illi in vocabulo haerent, in re caecutiunt; nam priore loco de *rabiei contactu* ne cogitari quidem

cedere. Nam ubi malos praemia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est. An exspectatis, dum exercitu rursus admoto ferro atque flamma urbem invadat? quod multo propius est ab eo, quo agitat, statu, quam ex pace et concordia ad arma civilia, quae ille advorsum divina et humana omnia cepit, non pro sua, aut

potest; apud Livium autem verba *velut iniecta rabie* non pertinent ad praecedentia, sed ad ea quae sequuntur, hoc sensu: *velut furore percitos ad arma ituros.* — Pro *sequuntur* Gerlachius et Orellius ex Vat. 1. et 2. scripserunt *secuntur*, quam formam Frotscherus quoque ad Quintil. X, 1. 1. probavit; sed quum nusquam in Sallustii codicibus huius scripturae vestigia exstent, consensum cum ceteris locis servandum putavimus. De dictione ipsa v. ad Catil. c. LIV, 6. p. 289. Caes. B. G. I, 4. 1. *Damnatum poenam sequi oportebat, ut igni cremaretur.* — *Gratuito* i. e. sine praemio; v. ad Catil. XVI, 3.

§. 10. *An expectatis.*) Ea vis est *an* particulae, ut interrogationem, ad omissam alteram interrogandi partem spectantem, cum ironia inferat, qua propositae sententiae veritas confirmetur, alterâ tanquam inani et falsâ occupatâ. Plenior igitur orationis forma haec est: *hocne vobis verum videtur, an exspectatis* etc. Pariter infra §. 14. *An Lepidi mandata animos movent?* prior interrogationis pars supplenda est. De hoc *an* particulae usu luculenter disseruit Handius de Partice. Lat. Vol. I. p. 341 sq. et p. 347, 7. cf. Gramm. lat. nostr. §. 133, 3. d. p. 437 sq. — Verba *exercitu rursus admoto* de altero Lepidi ad urbem accessu, quem ex longinquo minabatur, intelligenda esse ostendimus in introductione ad hanc orationem. Perperam igitur Douza ac Cortius Lepidum tunc primum cum exercitu advenisse statuunt, *rursus* ad Cinnae ac Marii impetum in urbem Romam factum referentes, quem errorem refellere non opus est. — *Invadat* est in Vat. 1. 2. et, quantum coniici potest, etiam in 3. *Invadit* igitur, quod Cortius et Gerlachius in ed. mai. habet, non solum codicum auctoritate destituitur, sed etiam grammaticae repugnat, quia urbis invasio non vere facta dicitur, sed ex cogitatione senatus suspensa est; cf. Zumpt. Gramm. Lat. c. 78, 10. §. 575. p. 489. ed. VIII. Hand. de Partice. Latt. Vol. II, p. 319. Quae sequuntur verba *quod multo — ad arma civilia*, a Douza et Wassio pro corruptissimis habita et prorsus insulse tentata, expeditissimum sensum habent hunc: ad quod facinus nunc (quia cum exercitu instat) multo facilius etiam potest progredi, quam antea ex pace ad seditionem progressus est. Recte enim Cortius vidit auctorem

quorum simulat iniuria, sed legum ac libertatis subvortundae. Angitur enim ac laceratur animi cupidine et 11
noxarum metu, expers consili, inquies, haec atque illa tentans; metuit otium, odit bellum; luxu atque licentia carendum videt, atque interim abutitur vostra socordia. Neque mihi satis consili est, metum an ignaviam an de- 12
mentiam eam appellem, qui videmini intenta mala quasi

conclusione usum a maiore ad minus hoc dicere: qui rem graviorem ausus esset, ut in pace bellum civile excitaret, eum consentaneum esse etiam minus difficilem audere, ut bello iam exorto ferro atque flamma urbem invaderet. Hoc ut non intelligerent priores interpretes, tum in causa fuisse videtur ipsa dictio *propius esse ab aliqua re*, qua Cicero aliique saepe utuntur, tum zeugma, quo altera sententiae comparativae pars, *ex pace ad arma*, ad eandem dictionem refertur, sensu magis, quam verborum structura eam rem adiuvante. Nam proprie *progressus* vocabulum, quo in explicatione loci usi sumus, ponendum erat. — De verbis *divina et humana omnia* v. ad Iug. c. V. 2. p. 29. — *Pro sua, aut quorum simulat, iniuria* non per attractionem dictum est, ut statuit Perizonius ad Sanct. Min. IV, 12. p. 387. ed. Bauer.; non mutatus est enim relativi casus, sed eius structura per ellipsin alius verbi tantum obscurata, ut recte vidit Bauerus ad Sanctii l. l. et Krügerus in libro de Attractione ling. lat. §. 107. p. 265. Simplicissimus igitur sensus sic habetur: arma cepit non pro sua aut *eorum, quorum eam* simulat *esse*, iniuria, i. e. non pro sua aut *simulata aliorum* iniuria; cf. Cic. de Off. I, 32, 118. *Nos imitamur, quos cuique visum est*: i. e. eos, quos imitari. Ibid. II, 5, 18. *Ulciscamur eos tantaque poena afficiamus, quanta aequitas humanitasque patitur*, i. e. quanta eos affici etc. Liv. III, 21, 4. *Cornelius complexus Appium, non cui simulabat consulendo, diremit certamen*, i. e. non *ei* consulendo, cui simulabat *se consulere*. Id. XXVIII, 46, 13. *Servilio negotium datum, ut urbanas legiones, imperio cui videretur dato, ex urbe duci iuberet*, i. e. imperio *ei, cui id dandum* videretur, dato. Plura v. apud Ramshorn. Gramm. Lat. §. 159. 2. f. p. 357. Ed. I. et apud Kruegerum l. l. — Genitivi *legum ac libertatis subvortundae* quomodo pendeant ex *cepit*, diximus ad Catil. VI, 7.

§. 11 — 12. *animi cupidine*) *Animi* cur additum sit, patebit ex annotatione ad Catil. c. LVIII, 2. — Verba *expers — tentans* Gerlachius et Orellius recte trahunt ad praecedentia commate post *metu* posito; nam sequentium verborum *metuit otium, odit bellum*

fulmen optare se quisque ne attingat, sed prohibere ne
13 conari quidem. Et quaeso considerate, quam convorsa rerum natura sit. Antea malum publicum occulte, auxilia palam instruebantur, et eo boni malos facile anteibant; nunc pax et concordia disturbantur palam, defenduntur occulte. Quibus illa placent, in armis sunt, vos
14 in metu. Quid exspectatis? nisi forte pudet aut piget

sententiosa brevitas nudam oppositionem requirit. Quod non assecutus Cortius alio modo integritatem sententiae corrupit colo post *inquies* posito. — *Otium* i. q. *pacem*; v. ad Cat. XXXVI, 4. Iug. XIV, 13. In Debrossii ed. legitur *metuit etiam*, *o. b.*, utrum casu, an consilio, non liquet. Certe absurdum est. — *Est* post *consili* Cortius contra codd. omisit. — *Metus* quum *ignaviae* opponatur, nimis anxiam consultationem designat, quae vero videndo officit, v. ad Iug. c. LXX, 5. p. 376.; patet igitur tria substantiva gradatione ita se excipere, ut a leviore vituperatione ad longe vehementissimam procedatur. — De structura sequentium verborum v. ad Fragm. I, 45, 17. p. 51. Interpunctionem a Cortio et Gerlachio in ed. mai. post *mala*, *fulmen*, et *optare*, positam attractionis ratio non patitur; v. Krueger. de Attract. ling. lat. §. 23. p. 48.; non melius loco consuluit Gerlachius in ed. min. commate post *optare* posito, quo quaesita singulorum membrorum confusio prorsus evertitur. Ceterum Sallustius sententiam expressisse videtur ex Demosthenis or. Philipp. III. p. 119. *Ἀλλ' ὅμως ταῦθ' ὁρῶντες οἱ Ἕλληνες ἀνέχονται, καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ οἱ τὴν χάλαζαν, ἐμοίγε δοκοῦσι θεωρεῖν, εὐχόμενοι μὲν μὴ καθ' ἑαυτοὺς ἕκαστοι γενέσθαι, κωλύειν δὲ οὐδεὶς ἐπιχειρῶν.*

§. 13. *malum publicum*) i. e. reipublicae pernicies; v. ad Iug. c. XXXV, 3. p. 150. Catil. XXXVII, 7. — *Pax et concordia* cum Orellio scripsimus auctoritate Vat. 1. 2. et quantum coniicere licet etiam 3. Cortius, Gerlachius ed. mai. et Faber ed. 1. copulam omiserunt, quod, quum duo substantiva non gradatione differant, sed simili notione contineantur, nullo modo ferri potest; v. ad Iug. c. XX, 8. et ad LXXVI, 3. p. 405. Praeterea non est negligendum *pacem et concordiam* quasi politicam formulam fuisse, qua Sulla sua in rempublicam merita appellari vellet. cf. Fr. I, 45, 24. 25. supra §. 10. — De pronomine demonstrativo ante *quibus* primo casu suppliendo v. ad Iug. c. LIX, 8. Catil. XVII, 6. *Quibus molliter vivere copia erat, bellum quam pacem malebant.* XXXVII, 3. *Quis opes nullae sunt, bonis invident.*

§. 14. *An Lepidi mandata*) De vi *an* particulae v. supra ad §. 10.

recte facere. An Lepidi mandata animos movere? qui placere ait sua cuique reddi, et aliena tenet, belli iura rescindi, quum ipse armis cogat, civitatem confirmari, quibus ademptam negat, concordiae gratia plebei tribuniciam potestatem restitui, ex qua omnes discordiae accensae. Pessume omnium atque impudentissume, tibine egestas civium et luctus curae sunt, cui nihil est domi nisi

Mandata sunt condiciones a Lepido senatui propositae; v. supra Introduct. p. 65. — *Movere* est in Vat. 1. 2. 3. et Urs. Cortius et Weissius scripserunt *movent*, quod vel eo deterius est, quod Lepidi mandata non tunc, sed iam ante aliquod tempus perlata erant. — Pro *cogat* Orellius suspicatur scribendum esse *agat;* non male, sed citra necessitatem et sententia paullo minus gravi. Nam quum *belli iura* vi constent, legum auctoritate sublata, graviter Philippus, ut demonstret Lepidi facta cum verbis pugnare, dicit *armis eum cogere*, i. e. armorum vi ad obtinenda ea uti, quae legibus contraria sint. Nihil autem offensionis est in *cogere* verbo absolute posito, quum facillime e nexu sententiarum intelligatur et *quos* cogat Lepidus, et *ad quae*. — Quae sequuntur verba *civitatem — negat*, eodem spectant, ut, quantopere Lepidus sibi ipse repugnet, ostendatur. Qui quum postularet civitatem restitui iis, quibus a Sulla adempta erat, tamen, quum simul negaret illius instituta legum vim habere, ex ipsius mente non opus erat civitatem denuo confirmari. Postulatis igitur agnoscit leges Cornelias, easdemque ratas se habere negat. — *Plebei*, quod Weissius tanquam spurium uncinis inclusit, non solum in omnibus codd. exstat, sed etiam confirmatur Prisciani testimonio, qui, ut probet *plebei* genitivum esse quintae declinationis, libro VI, 11, 59. p. 256. ed. Kr. ex I. Historiarum laudat *plebei tribuniciam potestatem*. Tamen Orellio assentimur h. l. potius dativum esse, ex *restitui* pendentem; neque, ut recte dicitur *tribunus plebis*, ita dici potest *tribunicia potestas plebis*.

§. 15. *aut per iniuriam*) Haec verba notare videntur Lepidi avaritiam, qua Siciliam exspoliavit; v. ad §. 4. — *Alterum consulatum petis*: v. Introduct. p. 65. — Quoniam *consulatum reddere* est consulatu rite abire (v. Rein. in Paulyi Encyclop. Real. Vol. II. p. 628.) et ad privati condicionem redire, verbis *quasi primum reddideris* significatur Lepidum, quamvis consulatus tempus exspirasset, tamen etiamtum ut consulem se gerere et vi summa omnia tractare. Paullo aliter, quamquam simili sensu, *reddere rempublicam* legitur apud Sueton. Aug. c. 28. *De reddenda re-*

armis partum aut per iniuriam? Alterum consulatum petis, quasi primum reddideris, bello concordiam quaeris, quo parta disturbatur, nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum. Ut te neque hominum neque deorum
16 pudet, quos per fidem aut periurio violasti! Qui quando talis es, maneas in sententia et retineas arma te hortor, neu prolatandis seditionibus, inquies ipse, nos in solici-

publica bis cogitavit; primo post oppressum statim Antonium, memor obiectum ab eo sibi saepius, quasi per ipsum staret, ne redderetur. — *Nostri proditor* non est *nostrum* sive *personarum nostrarum pr.*, sed *partium ac rationum nostrarum* i. e. *senatus* proditor; v. ad Cat. c. XXXIII, 2. p. 155. Iug. c. XIV, 17. *Aut quisquam nostri misereri potest?* Fragm. II, 50, 3. *Si parricida vostri sum.* — *Istis* intelligendum de iis, qui plebis partibus faventes Philippo atque nobilitati in senatu ex adverso starent; adversarios autem *iste* pronomine significari satis notum est; cf. Grammat. lat. nostr. §. 121, 5. addit. 3. p. 300. Herzog ad Caes. B. G. III, 11. Zumpt. ad Cic. in Verr. II, 71, 175. Grysar. Art. latine scrib. p. 77. Liv. XXI, 10, 8. *Nec puer hic dux erat, sed pater ipse Hamilcar, Mars alter, ut isti volunt.* — *Infidus*, quod omnes codd. tenent, pessime in edd. antiquis mutatum in *invidus*: iam Carrio vidit a Philippo Lepidum *neutri parti amicum ac fidum* dici, quo, quam abiectus ille sit, plane intelligatur. — De vi *hostis* vocabuli v. ad Iug. c. X, 5. p. 53. — *Per fidem*, pro quo edd. antiqq. contra codd. habent *perfidia*, significat *sub specie fidei*; cf. intprr. ad Liv. I, 9, 13. *Deum invocantes, cuius ad sollenne ludosque per fas ac fidem decepti venissent.* Herzog. ad Caec. B. G. I, 46. *Committendum non putabat, ut dici posset eos ab se per fidem circumventos.* Cic. de Invent. I, 39, 71. *Qui saepe nos per fidem fefellerunt.* Plaut. Mostell. II, 2, 70. Liv. VI, 29, 2. XXXVIII, 25, 16. Senec. de Provid. c. III. — *Aut* particula, qua praecedenti notioni alia distinctior substituitur et oratio quasi corrigitur, valet *aut potius*; cf. Hand. de Partice. Lat. Vol. I. p. 539. Grammat. lat. nostr. §. 141, 2. a. p. 469. Ceterum periurii crimen quo spectet, intelligitur ex Appiano de B. C. I, 107. *Ἄμφω μὲν οὖν* (sc. *τὸν Λέπιδον καὶ τὸν Κάτλον*) *ἡ βουλὴ δείσασα ὥρκωσε μὴ πολέμῳ διαχρίθῆναι.*

§. 16. *Qui quando* etc.) Comma in omnibus edd. post *qui* positum sustulimus, quo relativum inepte ad *maneas* relatum, ut par est cum proximo verbo coniungatur. — De *quando* particula v. ad

tudine attineas. Neque te provinciae, neque leges, neque di penates civem patiuntur. Perge, qua coeptas, ut quam maturrume merita invenias! Vos autem, 17
Patres conscripti, quousque cunctando rempublicam intutam patiemini, et verbis arma tentabitis? Delectus advorsum vos habiti, pecuniae publice et privatim extortae, praesidia deducta atque imposita, ex lubidine leges imperantur, quum interim vos legatos et decreta paratis.

Iug. c. CII, 9. — *Attineas*, quod Vatic. 1. 2. pro vulgato *retineas* praebent, explicavimus ad Iug. c. CVIII, 3. p. 586. — *Coeptas* omnes omnino codd. tenent, pro quo in edd. antiqq. et apud Cortium et Weissium legitur *coepisti*. Frequentativo saepissime usus est Tacitus; v. Böttticheri Lex. Tacit. p. 94. — Pro *maturrume* Orellius suspicatur a Sallustio scriptum fuisse *maturissume*, quod sane dici potest, v. Charis. II. p. 122. Lind. (p. 184. Putsch.) Auct. ad Herenn. IV, 17, 25.; sed vulgatam tuetur codicum consensus et Sallustii usus; cf. Fragm. I, 47. Praeterea v. Charis. I. p. 65. Lind. (p. 89. Putsch.) et Priscian. III, 3, 19. p. 116. Kr.

§. 17. *verbis arma tentabitis*) *Arma verbis tentare* significat *verbis pro armis uti ad vim repellendam*. — *Praesidia deducta* Cortius perperam interpretatur *praes. distributa*, cui explicationi maxime obstat, quod *imposita* eundem plane sensum habet. Quare *deducere* vulgari potestate valet *abducere*, quomodo saepissime legitur apud Livium; v. Drakenborch. ad XXV, 25, 10. *Deducebat* autem Lepidus praesidia ex iis oppidis, quae ipsi favere viderentur; *imponebat* iis, quorum fidem suspectam haberet. De *imponere* verbo absolute posito v. ad Cat. c. LI, 28. Iug. XLVII, 2. — Pro *imperantur* Ursinus et Douza scribendum coniecerunt *imperatae*, scilicet quia praecedunt participia, *habiti*, *extortae*, *deducta*, *imposita*. Sed praesens optime se habet, quippe quo significetur *etiamtum* Lepidum a legibus vi imperandis *non absistere*, quod sane gravius est, quam si haec eius importunitas praeterito tempore enunciatur. — De particulis *quum interim* praesenti tempori in apodosi iunctis v. ad Iug. c. XII, 5. p. 64. et Grammat. lat. nostr. §. 147, 4. not. 2, a. p. 508. Ad sententiam ipsam cf. §. 5. — Verba sequentia in plerisque edd. per *et* particulam prioribus adiunguntur, quod valde inconcinnum est, quum orator novam sententiam et a praecedentibus plane diversam cum fervore inferat; quare Orellium et Gerlachium in ed. min. secuti sumus, qui molestam copulam fide Vat. 1. et 2. omiserunt. — Pro *mehercule* Vat. 2. habet *mehercules*,

Quanto mehercule avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit, quum intelleget se metu magis quam aequo
18 et bono sustentatum. Nam qui turbas et caedem civium odisse ait, et ob id armato Lepido vos inermos retinet, quae victis toleranda sunt, ea, quum facere possitis, patiamini potius censet. Ita illi a vobis pacem, vobis ab
19 illo bellum suadet. Haec si placent, si tanta torpedo animos oppressit, ut obliti scelerum Cinnae, cuius in ur-

contra Sallustii usum; v. ad Cat. XXXV, 2. LII, 35. Iug. LXXXV, 45. CX, 2. — *Metu* sc. *vestro*, i. e. eo, quod a vobis metuitur. — *Aequo et bono*, v. ad Iug. c. XV, 3. et ad Fr. Inc. 42. — De *sustentare* verbo eadem valent, quae de *sustinere* diximus ad Cat. c. LIII, 2.

§. 18. *qui — ait*) Haec ita dicuntur, ut Philippus non in universum significet, *si quis ita aiat*, cum perverse censere, sed ut *certos* senatores, qui nimis molliter sententiam dixerant, aperte notet. — *Inermos*, pro quo Cortius, edd. antiqq. secutus, *inermes* scripsit, in omnibus codd. exstat; v. ad Cat. c. LIX, 5. Iug. c. CVII, 1. — *Quum* h. l. significat *quamquam*; v. ad Catil. c. XXXVI, 4. Hist. Fr. III, 77, 18. et cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 78, 11. — Verba *ita illi — bellum suadet* Gerlachius pervertit, Vol. III. p. 70. haec annotans: „vis sententiae non tam in oppositis *pacem — bellum* vertitur, quam in additis pronominibus; sensus est: illi a vobis pacem praestat, vobis (vos?) inermos illi tradit.“ Sed quivis videt non magis sibi opponi pronomina, quam *pacis* ac *belli* vocabula; quare sensus ita est concipiendus: quae is suadet, eo spectant, ut Lepidus a vobis pacem habeat et impune quaevis faciendi licentiam, vos a Lepido bellum habeatis et gravissima quaeque patiamini.

§. 19. *torpedo*) Ad hanc vocem respiciunt Charis. I. p. 48. Lindem. (p. 66. Putsch.) et Non. III, 250. p. 229, 3. Mercer., apud quem pro *oppressit* vitiose editur *obrepsit*. cf. Fragm. III, 82, 26. *Occupavit nescio qua vos torpedo.* Pseudo-Sall. Epp. ad Caes. II, 8, 7. *Desidia et inertia et stupor eos atque torpedo invasit.* Tacit. Historr. III, 63. *Tanta torpedo invaserat animum.* — De *Cinnae* bello civili et reditu in urbem v. Appian. de B. Civ. I, 64 sqq. Flor. III, 21, 9—17. — *Decus ordinis huius interiit*, quam scripturam omnes codd. tuentur, Weissius ex interpolatis edd. sic pervertit: *decus atque ordines omnes interierunt*, cuius mutationis absurditatem non opus est multis demonstrare. Nam in aprico est, Philippum significare crudelissimam senatorum illustrium caedem, Cinnae ac Marii iussu factam, de qua v. Flori et Appiani ll. ll. —

bem reditu decus ordinis huius interiit, nihilominus vos atque coniuges et liberos Lepido permissuri sitis: quid opus decretis? quid auxilio Catuli? Quin is et alii boni rempublicam frustra curant. Agite, uti lubet! parate vo- 20
bis Cethegi atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas et incendia instaurare cupiunt et rursus advorsum deos

Ut — permissuri sitis, i. e. ut permittere parati sitis; v. Gramm. lat. nostr. §. 117, 10. a. not. 11. p. 266. — De *is* pronomine v. ad Iug. c. LXIII, 3. — *Boni* sunt optimates, qui civitatis statum eversum nolunt, sed vetera tuentur; v. ad Catil. c. XXXIII, 2. p. 155. XXXVII, 3.

§. 20. *Cethegi)* Intelligitur *P. Cethegus*, Cinnae olim sectator, sed postea Sullae partes secutus, ut auctor est Appian. de B. C. I, 60. et 80. extr. p. 112. Schweigh. *Ἀφίκετο δὲ καὶ Κέθηγος ἐς τὸν Σύλλαν, χαλεπώτατος ἀντιστασιώτης αὐτῷ μετὰ Κίννα καὶ Μαρίου γενόμενος, καὶ σὺν ἐκείνοις τῆς πόλεως ἐκπεσὼν, ἑκέτης τε γιγνόμενος καὶ ἑαυτὸν ὑπερέτην ἐς ὅ τι βούλοιτο παρέχων.* Plurimum eum in republica valuisse tradit Plutarchus in Lucullo c. 5. *Ὁ κρατῶν τότε τῆς πολιτείας τῷ πρὸς χάριν ἅπαντα καὶ λέγειν καὶ πράττειν Κέθηγος ἔχθραν τινὰ πρὸς Λούκουλλον εἶχε.* ibid. c. 6. *Σπαργώντων δὲ πολλῶν ἐπὶ τὴν ἐπαρχίαν (τῆς Κιλικίας), καὶ Κέθηγον ὡς δυνατώτατον ὄντα διαπράξασθαι θεραπευόντων.* ibid. c. 6. med. *Οὐδὲ γὰρ ἐπράττετό τι δημοσίᾳ Κεθήγου μὴ σπουδάζοντος.* Eandem rem tangit Cicero Paradox. V, 3. *Illa cupiditas honoris, imperii, provinciarum, Cethego, homini non probatissimo, servire coegit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur.* Brut. c. 48, 178. *C. Iulii aequalis P. Cethegus, cui de republica satis suppeditabat oratio; totam enim tenebat eam penitusque cognorat. Itaque in senatu consularium auctoritatem assequebatur; sed in caussis publicis nihil, in privatis satis veterator videbatur.* cf. orat. p. Cluent. c. 31, 84 sqq. Ex quibus locis quum abunde pateat P. Cethegum fuisse dubiae fidei hominem, qui neglectis boni honestique rationibus ea tantum sequeretur, unde commodum sibi venturum speraret, quivis, opinor, facile sentiet, cur a Philippo proditoribus annumeretur. Errat igitur Gerlachius, qui Vol. II. p. 68. et Vol. III. p. 71. hunc *Publium* Cethegum a Catilinae socio *Gaio* Cethego (Catil. c. XVII, 3) diversum esse neget, Ernestiumque in Clavi Cic. recte utrumque discernentem nullis rationibus egisse insimulet, non reputans praeter nominis discrimen etiam veterum scriptorum testimonia ita comparata esse, ut non in unum eundemque conveniant, et Gaium Cethe-

penatis manus armare. Sin libertas et vera magis placent, decernite digna nomine, et augete ingenium viris
21 fortibus. Adest novus exercitus, ad hoc coloniae veterum militum, nobilitas omnis, duces optumi; fortuna meliores sequitur. Iam illa, quae socordia nostra collecta
22 sunt, dilabentur. Quare ita censeo: quoniam Lepidus

gum illo tempore in Hispania fuisse, teste Cicerone p. Sulla c. 25, 70. — *Atque alia proditorum patrocinia* Philippus haud dubie ita intellectum voluit, quasi dixisset *atque aliorum pr. patr.*; sed ne nimis pungeret potentem Cethegum, *alia* non ad personam retulit, ut poscere videbatur instituta orationis forma, sed ad praedicatum, utrique personae commune. — *Penatis* est in Vat. 1. 2.; vulgo editur *penates*. — *Manus armare* i. e. arma sumere; v. ad Iug. c. CVII, 1. — *Vera*, quod omnes tenent codd., significat *ea, quae res ipsa postulat, quae rerum condicioni ac naturae consentanea sunt*; cf. Fragm. III, 82, 13. *Si vera et honesta flagitium superaverit.* IV, 19, 3. *Ea, quae te morari posse videntur, si vera existumare voles, maxume hortabuntur.* v. Ruhnken. ad Ter. Andr. IV, 1, 5. Herzog. ad Caes. B. G. IV, 8. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. II, 48, 2. Pessime igitur in nonnullis edd. pro *vera* scriptum est *bella*, cui interpolationi temere patrocinatur Havercampius. — Pro *digna nomine* Gerlachius in ed. min. ex Vat. 1. et 2. scripsit *digna nomini*, quod Orellius merito non probavit. Nam qui affertur unicus locus dativi cum *dignus* voce coniuncti Plaut. Poenul. I, 2, 44. *Diem dignum et celebrem, dignum Veneri pol*, non eam vim habet, ut dativus stabilitus videri possit, quum minor insolentia existat, si *Veneri* pro ablativo habeas, quam formam, vulgari loquendi usu excusabilem (v. Schneideri Gramm. Lat. II, 1. p. 235 sq.), poeta metri caussa sibi permisisse videtur. Praeterea quum a nullo grammatico ista structura notata sit, librariorum potius errori, quam ipsi Sallustio tribuenda videtur. Ceterum *digna nomine* se. *vestro* significat aut *digna auctoritate vestra*, aut *digna patrum curâ*, quippe quos deceat reipublicae recte consulere. — *Ingenium* non plane i. e. quod *animum*, sed designat *fortitudinem natura viris insitam*; cf. Iug. CIII, 2. *Quinque delegit, quorum ingenia validissuma erant.* Catil. XX, 11. *Cui virile ingenium inest.* Ennius apud Cic. de Orat. III, 58, 218. *Nemo est tam firmo ingenio et tanta confidentia.* Ut Sallustius dixit *augere ingenium*, ita apud Tacitum Agricol. c. 3. contrario modo legitur *ingenia opprimere*.

§. 21—22. *Adest*) i. e. praesto est. — De vi verborum *ad hoc* v. ad Catil. XXXI, 8. p. 148. — *Coloniae veterum militum*

exercitum privato consilio paratum cum pessumis et hostibus reipublicae contra huius ordinis auctoritatem ad urbem ducit, ut Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule et ceteris, quibus imperium est, urbi prae-

sunt Sullae veterani in colonias deducti; v. ad Fragm. I, 37. — Verbis *fortuna meliores sequitur* haud dubie respexit orator ad proverbium *fortuna fortis* sc. *adiuvat*, de quo v. Goerenz. ad Cic. de Finn. III, 4, 16. — *Quae socordia nostra collecta sunt* Orellius sic interpretatur: *vires* sive *copiae*, *quas sibi* per senatus socordiam Lepidus *paravit*. Gerlachius contra hunc sensum esse dicit: *mala et incommoda*, *quae* socordia nostra *contracta sunt*, quam explicationem fateor mihi veriorem videri. Nam si *copias* significaret orator, incommodum foret neutrum pronominis; neque *dilabi*, proprio sensu de copiis intelligendum, rei satis conveniret. Sed multo accommodatius *illa* de *iniqua rerum praesentium condicione* accipies, quam, senatus socordia effectam, Philippus mox *desituram esse* auguratur, *turbarum caussis exstinctis;* hoc enim *dilabi* verbo significatur; cf. Iug. II, 2. *Vis corporis et alia huiuscemodi omnia brevi dilabuntur.* X, 6. *Concordia parvae res crescunt, discordia maxima dilabuntur.* — *Collecta* autem sensu malo idem est atque *contracta*, de quo egimus ad Fragm. I, 45, 19. cf. Cic. in Verr. V, 8, 19. *Si quid vindicatum severe est, ut ex eo crudelitatis invidiam colligam.* — *Contra huius ordinis auctoritatem* non est invito senatu ac neglecta eius auctoritate, sed *ad evertendam senatus auctoritatem;* cf. Hand. de Partice. Latt. Vol. II. p. 114 sq. — *Interrex* tum Romae fuit, quod omissis propter Lepidi tumultum comitiis novi consules nondum erant creati; cf. Rein. in Paulyi Encyclopaed. Real. Vol. IV. p. 214. Creuzeri Antiqq. Rom. §. 164. p. 237. ed. II. — *Imperium* hoc loco haud dubie intelligendum *militare*, quoniam de hostibus armorum vi repellendis agitur; v. ad Iug. III; 1. — De formula *operam dent* etc. v. Catil. XXIX, 2.

Fr. 52. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 60. ed. min. I, 82. p. 196, 13. Debr. I, 77. I, 91.] Fragm. a Prisciano XV, 2, 9. p. 618. Kr. servatum quin ad Lepidi res pertineat, dubitari non potest; *Mutinae* enim Brutus, Lepidi partes secutus, a Pompeio obsidebatur, ut ostendimus in Introduct. ad Fragm. I, 51. p. 65. Qui quum illo ipso tempore, quo Lepidus Romae urbi imminebat, sine certamine superatus et a Pompeio interfectus esset, huius cladis nuncius tantam Lepido perturbationem attulit, ut de rebus suis desperans a Roma recederet et Etruriam peteret; cf. Plutarch. in Pomp. c. 16. *Ἔλυσε δὲ τὸν φόβον* (sc. senatus atque urbis) *ἐπιστολὴ παρὰ Πομπηΐου κο-*

sidio sint, operamque dent, ne quid respublica detrimenti capiat.

52. Apud Mutinam.

53. Lepidum poenitentem consili.

54. Cosa.

μισθεῖσα, κατωρθωκότος ἄνευ μάχης τὸν πόλεμον κ. τ. λ. Liv. Epit. XC. *M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam obtinebat, a Cn. Pompeio occisus est.* Valer. Max. VI, 2, 8.

Fr. 53. [Cort. p. 953. Gerl. ed. mai. I, 23. ed, min. I, 56. p. 190, 14. Debr. I, 84. et II, 46.] Verba laudavit Charis. III. p. 150. Lindem. (p. 224. Putsch.) propter insolitum *poenitere* verbi usum, de quo v. quae diximus ad Iug. c. CIV, 5. p. 568., coll. Spalding. ad Quintil. IX, 3, 12., qui Sallustium refert alicubi dixisse *non poeniturum*. Quamquam autem incertum est, cuius rei Lepidum poenituerit, tamen non prorsus absone conicias, eum, audito Bruti exitu, consilii *urbis invadendae* poenituisse. Sed utut est, certe in hac Historiarum parte, qua auctor de irritis Lepidi conatibus egit, verba lecta fuerunt. Quod quamquam etiam Debrossius recte sensit, tamen sibi temperare non potuit, quin eadem libro secundo ineptissime repeteret, Lepidum fingens, quum uxori, adulterii convictae, repudium misisset, postea eius facti valde poenituisse; quae hariolatio perversissima explicatione Fragmenti I, 40. nititur. Nihilominus Gerlachius in ed. min. his Fragmentis coniunctis Debrossii sententiam sequi videtur, ne hoc quidem assecutus, Sallustium, si re vera de Lepidi moerore ex repudio uxoris capto egisset, eam rem non nisi *secundo* libro proferre potuisse; cf. Plutarch. in Pompei. c. 16. Flor. III, 23, 7. Plin. H. N. VII, 36.

Fr. 54. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 88. ed. min. I, 60. Debr. I, 92.] Unicum vocabulum, a Servio ad Virg. Aen. X, 168. servatum sine libri mentione, haud impeditam habet explicationem. Lepidus enim undique pressus, ex una parte Catulo, ex altera Pompeio instante, *Cosam* se recepit, maritimum Etruriae oppidum, unde paullo post in Sardiniam fugit; cf. Rutil. Itiner. I, 295 sqq. *Inter castrorum vestigia sermo retexit Sardoam Lepido praecipitante fugam. Litore namque Cosae cognatos depulit hostes, Virtutem Catuli Roma secuta ducis.* Iul. Exsuperant. c. VI. *In Etruriae littore commisso proelio coeperat Lepidus esse superior per armatam multitudinem, quae odio rerum Sullanarum se Lepidi partibus applicarat. Sed Pompeius de Gallia rediens — fugientes eius copias ac se implicantes festinatione formidinis ita prostravit, ut maiore numero privatus in Sardiniam confugeret.* De Cosae situ edito portuque opportuno cf. Mannerti Geogr.

55. Curionem quaesivit, uti adulescentior et a populi suffragiis integer aetati concederet Mamerci.

Graec. et Rom. Vol. IX. P. I. p. 365. Forbigeri Geogr. Antiq. Vol. III. p. 601 sq.

Fr. 55. [Cort. 944. Gerl. ed. mai. I, 17. ed. min. I, 66. p. 195, 23. Debr. I, 97.] Verba refert Priscianus X, 8, 46. p. 505. Kr. propter *quaesivit*, qua perfecti forma, *quaero* verbo propria, Sallustium censet etiam *quaeso* verbum extulisse, cuius perfectum *quaesi* vel *quaesivi* audiat. Sed quod simul statuit *quaero* primitivum esse *quaeso* verbi, falsum est, ut iam Cortius vidit; nam quum in plurimis vocabulis antiquiore tempore *s* littera pro *r* diceretur, *quaero* et *quaeso* non nisi duae eiusdem verbi formae sunt; cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. I, 1. p. 343. Quod ad sensum Fragmenti attinet, Sallustium, absoluta narratione de Lepidi tumultu, ad res urbanas rediisse consentaneum est. Quare quum per aliquod tempus anni 77. a. Chr. n. propter discordias civiles nulli consules essent (v. Introduct. ad Fragm. I, 51. p. 65.), comitiis autem habitis *Mamercus* Aemilius Lepidus cum D. Iunio Bruto consules facti essent, haec verba cum Debrossio et Gerlachio intelligenda censemus de Appio interrege, qui, Mamercum consulem fieri cupiens, Scribonium Curionem auctoritate sua permovere studeret, ut a petendo consulatu desisteret, neve Mamerco obesset. *Quaesivit* igitur significat *rogavit*, cf. Fest. p. 220. et interp. p. 625. ed. Lindemann. Plaut. Bacch. II, 2, 1. *Mirum est me, ut redeam, te opere tanto quaesere.* v. infra Fr. I, 111. — *A populi suffragiis integer* Krehlius recte scripsit ex codd. Lips. 1. Erl. 2. et Heidelb.; apud Putschium et in vulgatis Sall. edd. *a* praepositio deest, de cuius vi cf. annotata ad Iug. XLVIII, 3. p. 273. Verba per se significant: qui populi suffragia nondum expertus esset; qua sententia per euphemismum hoc dicitur, *qui repulsam nondum tulisset*, id quod Mamerco accidisse Ciceronis testimonio de Off. II, 17, 58. cognoscitur. Curio autem Appii precibus obsecutus sequenti anno consul factus est. De dictione *aetati concederet* v. ad Iug. c. XI, 4.

Fr. 56.] Cort. p. 953. Gerl. ed. mai. I, 21. ed. min. II, 1. p. 200, 1. Debr. II, 1.] Verba laudat Victorin. in I. Rhetor. Cic. p. 59. Orell., auctore non nominato; sed cuius sint cognoscitur ex Servio ad Virg. Aen. 1, 630., qui Sallustium dixisse refert *segnior neque minus gravis, sed multiplex cura*, quamquam ne hic quidem opus aut librum indicat. Ac de Historiis non dubitare sinit Lepidi nomen a Victorino servatum; sed de libro editores ambigunt. Nam quum priores omnes Fragmentum ad *primum* librum retulissent, Debrossius *secundi* initio collocavit, quam temeritatem Gerlachius in ed. min.

CAP. V.

Bellum Sertorianum. — Sertorii priora tempora. — Sertorius in Mauretania. — Cum Lusitanis coniunctus bellum movet. — Eius pugnae cum variis ducibus Romanis et cum Metello usque ad Pompeii in Hispaniam adventum.

---

56. M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso, segnior, neque minus gravis, sed multiplex cura patres exercebat.

secutus est. Nam luce est clarius Sallustium, narratione de Lepidi bello ad eum locum adducta, ubi ille Italia excedere cogebatur, alias res, eodem temporis spatio gestas, persecutum esse, ad quas his verbis transitum ita paravit, ut narrationem non de Lepido, sed *de gravi et multiplici patrum cura* ingrediatur. Patet igitur nullo modo ea initio secundi libri legi potuisse, ubi auctor ad absolvendam *Lepidani belli* narrationem, primo libro interruptam, regressus est. Quod ad verborum structuram attinet, Servius l. l. ad Virgilii versum *Non ignara mali miseris succurrere disco* annotans: „Quare *non disco?* quia non sum ignara. Bis enim intelligimus *non*; sic Sallustius etc.," ante *segnior* videtur *non* subintellexisse. Quod quamquam commodum sensum efficit, tamen de neutro loco Servii sententia vera est; nam apud Virgilium *disco* recte intellectum negationem nullo pacto admittit, apud Sallustium autem sensus optime constabit, si *neque* ita ceperis, ut, *quidem* particulâ ad praecedentem vocem suppletâ, *neque tamen* valeat, de quo usu v. annotata ad Iug. c. XX, 6. p. 130. Sententia est igitur haec: segnior *quidem*, i. e. paullo remissior quidem et minus instans atque urgens, *neque tamen* minus gravis, sed multiplex cura patres exercebat. Multiplicem eam curam iam Philippus tetigit in oratione contra Lepidum, Fragm. I, 51, 8.; nam praeter Mithridatem et piratas Sertorius maxime metum senatui iniiciebat. cf. Appian. B. C. I, 108, extr. p. 155. Schweigh. *Σύλλα δ' ἀποθανόντος καὶ Λεπίδου μετὰ Σύλλαν, στρατὸν ἔχων* (sc. *Σερτώριος*) *ἄλλον Ἰταλῶν, ὅσον αὐτῷ Περπέννας ὁ τοῦ Λεπίδου στρατηγὸς ἦγαγεν, ἐπιδοξος ἦν στρατεύσειν ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν, εἰ μὴ δείσασα ἡ βουλὴ στρατόν τε ἄλλον καὶ στρατηγὸν ἕτερον ἐπὶ τῷ προτέρῳ Πομπήϊον ἔπεμψεν ἐς Ἰβηρίαν.*

Fragmentis de Lepidi tumultu continuo adiicienda esse ea, quae ad Sertorium spectant bellumque Hispaniense, certissimum videtur, quia hoc bellum extrema pars fuit belli Sullani civilis. Quare quum Appianus quoque l. l. a Lepido transeat ad Sertorium, Sallustio praeeunte eum hoc fecisse haud absurde coniicias.

57. Magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio imperante, magno usu bello Marsico paratu militum et armorum fuit, multaque tum ductu eius curata

Fr. 57. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 65. ed. min. I, 85. p. 196, 16. Debr. II, 5.] Verba, a Gellio II, 27. et aliqua ex parte a Donato ad Ter. Eun. III, 2, 29. sine libri mentione laudata, haud dubie eo libri primi loco lecta fuerunt, ubi Sallustius primum ad Sertorii res gestas delatus de eius ingenio, moribus, ac priore vita, uti solet, pauca disserit. — *Tribunus militum in Hispania* fuisse traditur etiam a Plutarcho in Sertor. c. 3, med. *Μετὰ τὸν Κίμβρων καὶ Τευτόνων πόλεμον ἐκπεμφθεὶς ὑπὸ Δειδίῳ στρατηγῷ χιλίαρχος ἐπ' Ἰβηρίας ἐν τῇ πόλει Κάστλωνι παρεχείμαζε.* Qua re magnam gloriam sibi paraverit Plutarchus eodem capite narrat, ac c. 4. subiicit *ἐκ τούτου Σερτώριος ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ διεβοήθη.* T. Didius autem annis a. Chr. n. 97 et 96 Hispaniam provinciam cum imperio tenuit; cf. Appian. Hispan. c. 99. p. 223. Schweigh. — *Usu* Gronovius ad Gellii l. l. in *usui* mutandum putavit, quia duo codd. *usi* habent; sed Gerlachio assentior, antiquiorem dativi formam Sallustioque usitatam retinendam censenti; cf. ad Iug. c. VI, 1. XCIV, 2. — *Paratu militum et armorum* i. e. colligendis sive cogendis militibus armisque instruendis. *Paratus* vocabulo eodem modo utitur Tacit. Hist. II, 84, 1. *Navium, militum, armorum paratu strepere provinciae.* Sine genitivo legitur Agricol. c. 25. *Caledoniam incolentes populi paratu magno metum addiderant.* Ceterum haec quoque sicut plurima huius Fragmenti Plutarchus ex Sallustio expressit; ita enim c. 4. *Τοῦ Μαρσικοῦ πολέμου συνισταμένου στρατιώτας τε προσταχθὲν αὐτῷ καταλέγειν καὶ ὅπλα ποιεῖσθαι, σπουδὴν καὶ τάχος προσθεὶς τῷ ἔργῳ ἀνδρὸς ἐμπράκτως βιωσομένου δόξαν ἔσχεν.* — Quae sequuntur, in Gellii codd. haud uno nomine corrupta, difficilem neque plane certam habent emendationem, quamquam hoc satis patet Sallustium caussas afferre, cur Sertorii virtus bello Marsico praestita minus, quam merebatur, clara fuerit. Pro *curata*, quod Carrione auctore editores amplexi sunt, in Gellii codd. est *que rapta*, nullo sensu. *Curare* in re militari dictum illustravimus ad Catil. c. LIX, 3. p. 316. cf. Liv. VII, 26, 10. *Consul iussus ab senatu bellum maritimum curare.* — *Incelebrata* ingeniosa est Iac. Gronovii coniectura pro *celebrata*, quae codd. scriptura auctoris menti ex adverso repugnat. Cui vitio ut mederentur, Ciacconius coniecit *celata*, Havercampius *minus celebrata*, Gerlachius in ed. mai. *parum celebrata*, sine ulla probabilitate externa; quam facile vero *in* praecedente *m* littera absorberi potuerit, praesertim in vocabulo rariore, per se patet. *Incelebratus* in simili sententia ac

primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum incelebrata sunt, quae vivus facie sua ostentabat aliquot advorsis cicatricibus et effosso oculo. Quo ille dehone-

fortasse Sallustii exemplo dixit Tacit. Ann. VI, 7, 5. *Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata.* Scriptores, quos invidiae arguit Sallustius, haud dubie intelligendi sunt Sisenna, Sullae nobilitatisque partibus addictus, ac Sulla ipse, Sertorio invisissimus eique maxime infestus, quorum hic in commentariis de vita sua, ille in historia belli Marsici et civilis de Sertorii rebus strenue gestis vel plane siluisse, vel parum dixisse videntur. Infeliciter igitur Lipsius in Epistt. Quaestt. IV, 14. p. 296. (ed. a. 1600.) *proscriptorum* coniecit, invidiam intelligens, qua hi apud homines laboraverint. Deinceps absurdissima est scriptura in Sallustii editionibus vulgata: *Comminus faciem suam ostentabat,* quam Gerlachius in ed. mai. receptam frustra studuit explicando tueri. Neque enim verum est *faciem ostentare* esse *facie gloriari,* neque docuit V. D. qui nexus sit horum verborum cum antecedentibus, neque quid sibi velit *comminus.* Ex altera parte melior, sed ex altera aeque absurda est lectio a Gronovio et Lione in Gellio expressa et a Gerlachio in ed. min. recepta *quae eminus facie sua ostentabat;* nam ut relativo pariter atque ablativo sententia satis bona efficitur, ita *eminus* sano sensu plane caret. Mirum autem nullum adhuc editorem vidisse integram scripturam esse *quae vivus*, quae vix diversa est a lectione optt. codd. *que vivus*, unde natum in deterioribus *quae eminus*, in aliis *cominus*; quam priusquam explicemus, de interpunctione dicendum est. Nam quae in omnibus edd. perperam in tres partes divelluntur, puncto et post *fuit* et post *sunt* posito, in unam verborum complexionem, qualem exhibuimus, coire debere ipsa verborum ratio ostendit. Non viderunt enim editores *que* particulà rem praecedenti contrariam ita adiungi, ut vim *et tamen* vocum obtineat; quae enunciationum ratio quum etiam *quamquam — tamen* particulis declarari possit, (v. Hand. Tursellin. Vol. II. p. 496. Zumpt. ad Quintil. II, 5, 19. Vol. V. p. 83.) sponte intelligitur non puncto eas, sed commate distinguendas esse. Non magis verba *quae vivus — ostentabat*, quia attributivam rationem habent, maiorem interpunctionem patiuntur. Iam totius loci sensus hic est: Sertorius *quamquam* magna gloria trib. mil. in Hispania, magno usu bello Marsico fuit, *tamen* multa, tum ductu eius curata, primo propter ignobilitatem eius, deinde per invidiam scriptorum oblivione obruta et post eius mortem parum cognita sunt; sed *dum vivebat* priora eius strenue facta nulla cuiusquam praedicatione egebant, facie ipsa fortitudinis teste, quippe quae cicatricibus et effosso oculo notabilis esset. Pro-

stamento corporis maxume laetabatur, neque illis anxius, quia relicua gloriosius retinebat.

58. Et ei voce magna vehementer gratulabantur.

lixiorem hanc sententiam Sallustius audaci sed nervosa brevitate ita extulit, ut diceret Sertorium fortia facta, *scriptorum* invidia incelebrata, *ipsum* ostentasse facie sua. — De ratione ablativorum ad *facie* spectantium v. ad Iug. c. LXXXIV, 2. p. 438. et Gramm. lat. nostr. §. 129, 9. c. additam. p. 404. — *Dehonestamento* ad effossum oculum, *illis* ad cicatrices pertinere clarum est. *Dehonestamenti* vocabulo Tacitus quoque utitur, hunc locum haud dubie imitatus, Historr. IV, 13, med. *Civilis Sertorium se aut Hannibalem ferens, simili oris dehonestamento.* cf. supra Fr. I, 45, 21. — Postrema verba, *quia relicua gloriosius retinebat*, quae sunt sanissima, Gerlachius Vol. III. p. 128. corrumpere ausus est, *relicua* interpretatus *in relicuis*, et pro *retinebat* scribendum esse contendens *agebat*, ut hic sensus efficeretur: „relicua eius vita erat laudis plenissima," quasi vero Sertorius priorem vitam suam dedecore affectam fuisse professus sit. Ne multa, ea Sertorii mens fuit, quo maior nonnullarum corporis sui partium deformitas esset, *eo maius relicuis decus ea partum esse*, perpetua quippe virtutis teste. Iam Plutarchi verba de eadem re apponere iuvat, apud quem in Sertor. c. 4. haec leguntur: *Χειρὸς ἐπιδεικνύμενος ἔργα θαυμαστὰ καὶ τὸ σῶμα τοῖς ἀγῶσιν ἀφειδῶς ἐπιδιδοὺς τῶν ὄψεων ἀπέβαλε τὴν ἑτέραν ἐκκοπεῖσαν. Ἐπὶ τούτῳ δὲ καὶ καλλωπιζόμενος ἀεὶ διετέλει· τοὺς μὲν γὰρ ἄλλους οὐκ ἀεὶ τὰ μαρτύρια τῶν ἀριστείων περιφέρειν ἀλλὰ καὶ ἀποτίθεσθαι, στρεπτὰ καὶ δόρατα καὶ στεφάνους· αὐτῷ δὲ τῆς ἀνδραγαθίας παραμένειν γνωρίσματα, τοὺς αὐτοὺς ἔχοντι τῆς ἀρετῆς ἅμα καὶ τῆς συμφορᾶς θεατάς.* Quae ut aperte ex Sallustio ducta sunt, ita Gellius l. l. hunc ipsum respexisse censet ad Demosthenis locum in orat. de Cor. p. 247. Reisk. *Ἑώρων δ' αὐτὸν Φίλιππον, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ ἀγὼν ὑπὲρ ἀρχῆς καὶ δυναστείας, τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκεκομμένον, τὴν κλεῖν κατεαγότα, τὴν χεῖρα, τὸ σκέλος πεπηρωμένον, πᾶν, ὅτι ἂν βουληθείη μέρος ἡ τύχη τοῦ σώματος παρελέσθαι, τοῦτο προϊέμενον, ὥστε τὸ λοιπὸν μετὰ τιμῆς καὶ δόξης ζῆν*; sed fateor mihi cum Gronovio minimam inter Demosthenis et Sallustii verba intercedere videri similitudinem, ut dubitari possit de imitatione consulto facta.

Fr. 58. [Cort. p. 1002. Gerl. ed. mai. Inc. 20. ed. min. I, 61. p. 190, 18. Debr. I, 88. III, 59. V, 60.] Donat. ad Ter. Andr. V, 4, 36. Quin hoc Fragm. arte cohaereat cum praecedente, dubitari non potest. Verba enim spectare ad Sertorium, ob res egregie gestas a populo honorifice in theatro exceptum, intelligitur ex Plutarcho

59. Hispaniam sibi antiquam patriam esse.

60. Earum aliae paullum progressae nimio simul et incerto onere, quum pavor corpora agitaverat, deprimebantur.

in Sert. c. 4, med. *Ἀπέδωκε δὲ καὶ ὁ δῆμος αὐτῷ τιμὴν πρέπουσαν. Εἰσελθόντα γὰρ εἰς θέατρον ἐδέξαντό τε κρότῳ καὶ κατευφήμησαν, ὧν οὐδὲ τοῖς πάνυ προήκουσιν ἡλικίᾳ τε καὶ δόξῃ τυχεῖν ἦν ῥᾴδιον.* Quae verba quum continuo excipiant eum locum, quem illustrando praecedenti Fragmento attulimus, clārum est Plutarchum haec pariter ut illa superiora ex Sallustio hausisse. Docuit autem Sallustius h. l. populum in aestimanda et agnoscenda Sertorii virtute iustiorem fuisse, quam invidos illos scriptores, qui de egregiis eius factis silerent. — *Vehementer* Gerlachius in ed. min. consueta negligentia omisit. Quo referat Fragm., in ed. mai. non dixit, vel secordia, vel quia nescivit; in ed. min. Debrossium ineptientem sequitur.

Fr. 59. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 94. ed. min. Inc. 15. p. 237, 11. Debr. II. 107.] Fragm. sine libri indicio legitur apud Serv. ad Virg. Aen. I, 380. et III, 297., sed altero loco sine *antiquam* adiectivo. Quoniam Servius ad I, 380. observat in hoc exemplo ex Sall. desumpto *patriae* vocem ad laudem pertinere, non ad veritatem, Debrossius recte coniecit Sertorii esse haec verba, quibus Hispanorum sibi conciliaret animos, docendo iam olim se in Hispania fuisse (v. ad Fr. I, 57. p. 88.) eamque terram inde ab eo tempore sibi caram esse. Potuit hoc non uno tempore atque occasione ab eo commemorari, quo fit, ut locus Fragmenti dubius sit; sed quum probabilitate non careat primis statim temporibus illum haec dixisse, non certum quidem, sed tamen commodum verbis locum assignasse nos putamus.

Fr. 60. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 50. ed. min. I, 92, p. 197, 11. Debr. III, 56.] Verba leguntur apud Gellium X, 26, extr. et apud Nonium VI, 27. p. 455, 6. Mercer.; sed apud hunc prior Fragmenti pars corrupte sic habetur: *earum aliae paullum nimio progressae interim* (Lindemanni codd. A. α. δ. *inter cum*) *sicco onere* etc., quae corruptela satis antiqua unde orta sit vix dixeris, nisi forte somnieulosus scriba *dictantis* verba male accepit ac confudit; tamen *paullum* Nonii magis ex Sallustii usu esse videtur, quam *paullulum*, quod Gellius habet; quam ob caussam illud praetulimus, cf. ad Iug. LX. 3. p, 322. Haec verba ad navale proelium imparibus viribus a Sertorio cum C. Annio ad Pityusam insulam anno 81. a. Chr. n. commissum, spectare non est dubium. Nam quum Gellius ac Nonius de *scaphis* a Sallustio dici affirment, rem

61. Traditur fugam in Oceani longinqua agitavisse, cuius duas insulas propinquas inter se et decem millia

plane illustrat Plutarchus in Sertorio c. 7, med. *Ἄννιος δὲ μετ' οὐ πολὺ παρῆν ναυσί τε πολλαῖς καὶ πεντακισχιλίοις ὁπλίταις, πρὸς ὃν ἐπεχείρησε μὲν διαναυμαχεῖν, καίπερ ἐλαφροῖς καὶ πρὸς τάχος οὐ πρὸς ἀλκὴν πεποιημένοις σκάφεσι χρώμενος. Ζεφύρῳ δὲ λαμπρῷ τοῦ πελάγους ἀνισταμένου καὶ τὰ πολλὰ τῶν τοῦ Σερτωρίου πλοίων ὑπὸ κουφότητος πλαγια ταῖς ῥαχίαις περιβάλλοντος, αὐτὸς ὀλίγαις ναυσὶν — ἡμέρας δέκα ἐπιπόνως διεκαρτέρησεν.* Temere igitur Debrossius et contra Gellii testimonium, quo *primi* libri haec fuisse dicuntur, verba in *tertium* transtulit, ac de perditis Mithridatis navibus, dum Cyzicum obsidet, interpretatur, quod vanum iudicium Gerlachius Vol. III. p. 74. repetiit, simul *aliae* de *navibus*, non de *scaphis*, ut Gellius ac Nonius tradunt, intelligendum esse contendens. Idem in ed. min. Fragmentum rectius ad primum librum et ad Sertorii res retulit, sed falso de huius ex Mauretania in Lusitaniam reditu capiens multis Fragmentis postposuit, quae ad res serius gestas pertinent. — *Incertum onus* est quod non certo loco quasi fixum immotumque manet, sed modo huc modo illuc movetur (cf. Fr. III, 24.), quem sensum sequentia verba accuratius declarant. *Quum — agitaverat* Gerlachius ex more *priscae* linguae dictum censet, facili sane opera explicandi negotio defunctus. Indicativi ex *quum* particula pendentis vim illustravimus ad Iug. c. CII, 5. p. 547. cf. Gramm. lat. nostr. §. 147, 4. b. Not. 2, c. p. 509.

Fr. 61. [Cort. p. 1008 et 998. Gerl. ed. mai. Inc. 135 et 2. ed. min. I, 86 et 87. p. 196, 24. Debr. II, 12.] Priorem Fragmenti partem (*traditur — agitavisse*) Servius habet ad Virg. Aen. II, 640. et paullo liberius mutatam Acro ad Horat. Epod. 16, 42; relicua leguntur apud Nonium IX, p. 495, 33. Merc., corrupte vel *quarto*, vel *nono*, vel *undecimo* libro attributa. Utriusque loci verba cohaesisse, quod primus Debrossius vidit, sed frustra, ut solet in re bona, non solum grammatica structura optime procedens probabile reddit, sed certissime probat Plutarchi locus, accurate ex Sallustio expressus, quem, quia tum ad illustrandam tum ad emendandam hanc de Sertorio narrationem valet, totum apponemus. Legitur in Sertor. c. 8. *Διεκβάλλων τὸν Γαδειραῖον πορθμὸν ἐν δεξιᾷ τοῖς ἐκτὸς ἐπιβάλλει τῆς Ἰβηρίας. Ἐνταῦθα ναῦται τινὲς ἐντυγχάνουσιν αὐτῷ, νέον ἐκ τῶν Ἀτλαντικῶν νήσων ἀναπεπλευκότες, αἳ δύο μὲν εἰσὶ, λεπτῷ παντάπασι πορθμῷ διαιρούμεναι, μυρίους δ' ἀπέχουσι Λιβύης σταδίους, καὶ ὀνομάζονται Μακάρων. Ὄμβροις δὲ χρώμεναι μετρίοις σπανίως, τὰ δὲ πλεῖστα πνεύμασι μαλακοῖς καὶ δροσοβόλοις οὐ μόνον ἀροῦν καὶ*

stadium procul a Gadibus sitas constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.

φυτεύειν παρέχουσιν ἀγαθὴν καὶ πίονα χώραν, ἀλλὰ καὶ καρπὸν αὐτοφυῆ φέρουσιν ἀποχρῶντα πλήθει καὶ γλυκύτητι βόσκειν ἄνευ πόνων καὶ πραγματείας σχολάζοντα δῆμον. — Ὥστε μέχρι τῶν βαρβάρων διῖχθαι πίστιν ἰσχυρὰν, αὐτόθι τὸ Ἠλύσιον εἶναι πεδίον, καὶ τὴν τῶν εὐδαιμόνων οἴκησιν, ἣν Ὅμηρος ὕμνησε. Ταῦθ' ὁ Σερτώριος ἀκούσας ἔρωτα θαυμαστὸν ἔσχεν οἰκῆσαι τὰς νήσους. Iam universo sensu satis illustrato pauca de singulis verbis adiiciamus. *Fugam agitare* est i. q. de fuga cogitare, fugae consilium animo volvere. — Pro *cuius duas* Rothius ad Non. l. l. coniecit *quas duas*, seductus eo, quod, quomodo haec verba cum praecedentibus cohaererent, non reputavit. — De verbis *propinquas inter se* cf. ad lug. XCVIII, 3. — *Millia*, quod apud Nonium et in omnibus Sallustii edd. deest, Debrossium secuti sine librorum auctoritate intulimus; nam vulgata scriptura aeque a constructione atque a sensu ineptissima est et nullo modo ferenda. Depravatio autem facillime oriri potuit, quia ultima praecedentis vocis littera M, *mille* numeri notam, absorpsit, qua restituta aliquis certe cum Plutarcho consensus efficitur. — De genitivi forma *stadium* v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II, 1. p. 69. Zumpt. Gramm. Lat. c. 11. §. 51. not. 4. p. 45. ed. VIII. Bremi ad Nep. Agesil. c. IV, 1. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. XXII, 22, 5. — *Sitas* ex emendatione Carrionis scripsimus pro *satis*, quod apud Nonium lectum non solum supervacaneum est et in tali re a *constabat* verbo paene alienum, sed etiam antecedentibus vitium infert, quae sine *verbo* non possunt ad substantivum definiendum pertinere; v. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 42. 2. Quam bene autem *sitas* sententiae conveniat non opus est demonstrare. — *Suopte ingenio* i. e. sua sponte, ipsa naturae vi, nulla adhibita hominum cura atque labore. — Cum Sallustio et Plutarcho pugnare videtur Florus, qui de Sertorio haec tradit III, 22, 2. *Fortunam expertus missusque in Oceanum, Fortunatasque insulas penetravit; tandem Hispaniam armavit:* sed locus corruptus est, quem ingeniosissima coniectura Freinshemius sic restituit: *Fort. exp. nisusque in Oceanum Fortunatasque insulas penetrare, tandem Hisp. armavit.* — *Fortunatas insulas*, quas propter naturae bonitatem poetae maxime ita exornavere, ut, quae aureae aetatis felicitas fuisse creditur, eam illarum habitatoribus abunde contigisse vulgatum esset, unde opinio invaluit *beatos* ibi sedem habere, primus celebravit Homerus in Odyss. IV, 563 sqq., tum Hesiodus Opp. et D. v. 170 sqq. ubi v. Göttling., et Pindarus Olymp. II, 77 sq. ad quem locum v. Boeckh. in Explicatt. p. 131.;

62. Insulas fortunatas Sallustius ait inclutas esse Homeri carminibus.

63. Maurique, vanum genus, ut alia Africae, contendebant Antipodas ultra Aethiopiam cultu Persarum iustos et egregios agere.

ea respicit auctor monumenti Regillae v. 9. in Iacobsii Delectu Epigr. Graec. IX, 42. p. 352., Plato Sympos. p. 179. E. Gorg. p. 523. B. Ex Latinis scriptoribus cf. Horat. Epod. XVI, 41 sqq., Cic. de Finn. V, 19, 53. Pompon. Mela III, 10. Plin. H. N. VI, 36. Isidor. XIV, 6, 8.; praeterea v. Mureti VV. LL. V, 1. Gataker. ad Antonin. X, 8. p. 295. Perizon. ad Aelian. III, 18.

Fr. 62. [Cort. p. 1011. Gerl. ed. mai. Inc. 213. ed. min. I, 88. p. 197, 2. Debr. II, 13. et 15.] Verba, quae habet Servius ad Virg. Aen. V, 735., praecedentis Fragmenti explicatione satis plana sunt.

Fr. 63. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 164. ed. min. I, 89. p. 197, 4. Debr. II, 16.] Verba servavit Priscian. XIV, 4, 41. p. 603. Kr., sed falso ex Iugurtha laudat; in quo quum c. XVIII. pariter de Africae gentibus agatur, Priscianum patet non aliam ob caussam haec confudisse, quam quod locum memoriter attulit. Idem accidit Nonio, qui IV, 481. p. 416, 29. Merc. ex Iugurtha affert: *Mauri vanum genus.* Ad eadem verba respexit etiam Tertullian. de Anima. p. 313; v. Fr. Inc. 39. Fragmentum pertinet ad narrationem de Sertorio, a Cilicibus contra voluntatem suam in Mauretaniam Tingitanam vecto, ubi gratus factus incolis auxilio contra Ascalim et Paccianum, a Sulla missum, lato, de terrae natura Africaeque incolis quaesivisse videtur; quam rem Gerlachius Vol. III. p. 138. recte iudicat eo comprobari, quod Plutarchus in Sertorio c. 9., qui locus totus est de expeditione Mauretanica, Antaei quoque sepulcrum, ibi conditum, accuratius ab illo pervestigatum esse tradit. — *Alia* vox quamquam de *hominibus* est capienda, tamen non ita posita videtur, ut ex antecedente *genus* voce *genera* sit suppliendum, sed substantive *alios homines* sive *alios incolas* Africae designat, de quo neutrius pluralis usu v. annotata ad Iug. c. XIII, 6. p. 69. — De accusativo *Antipodas* v. ad Iug. c. XIX, 6. — *Cultus* quid sit dictum ad Iug. LXXVIII, 4. p. 413. — *Persarum* in Africa habitationem auctor memoravit etiam Iug. XVIII, 4. et 11. — De *adiectivo* cum verbo coniuncto v. annotata ad Iug. XXXVIII, 1. p. 216. et Grammat. lat. nostr. §. 124, 4. annot. 7. p. 325.

Fr. 64. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 48. ed. min. I, 90. p. 197, 6. Debr. II, 20.] Gell. X, 26. Verba *nactus* — *secundo* habet

64. Itaque Sertorius, levi praesidio relicto in Mauretania, nactus obscuram noctem aestu secundo furtim atque celeritate vitare proelium in transgressu conatus est.

etiam Nonius VI, 27. p. 453, 2. Mercer. Res ipsa non obscura est; nam ex Plutarcho in Sertor. c. 10, init. et c. 11, init. intelligitur haec ad Sertorii ex Mauretania in Lusitaniam profectionem referri, quam a Lusitanis invitatus molitus est. — Pro *furtim atque celeritate* in Gellii codd. exstat *f. aut cel.*, quod ferri nequit, quia apertum est, Sertorium utroque modo *simul* proelium vitare studuisse; sed quod Achilles Statius coniecit *furtim ac celeri rate*, fortasse Sallustii orationem ad Catulli versum Carm. LXIII, 1. exigens, nimis a vero abhorret. Nam ut *celeritate* vox nullam corruptelae suspicionem praebet, ita neque *una rate* quisquam proelium commiserit, neque *ratis* pro classi dici potest. Quod alii dederunt *furtivaque celeritate* prima quidem specie blanditur, sed accuratius spectatum et ipsum reperitur vanum; nolebat enim Sertorius *celeritatem* suam *non sentiri* sive *furtivam esse*, sed potius *transgressum celare hostes studebat*, quod ut consequeretur simul *celeritate usus est.* Quare optime sensui consultum putamus Cortii coniectura, qui lenissima medela *aut* in *atque* mutandum censuit; saepissime enim hae particulae in codd. confunduntur; cf. ad Iug. LXXXII, 2. XCVIII, 6. CXII, 3. Drakenborch. ad Liv. VII, 39, 14. — *Proelium* sc. cum Romanis; nam Romanorum classem ibi fuisse ex eo patet, quod Sertorius non multo post Cottam pugna navali vicit; cf. Plutarch. in Sertor. c. 12. *Ἀλλ' ὅμως ἀσθενὴς οὕτω καὶ μικρὸς ἀρξάμενος οὐ μόνον ἐθνῶν ἐκράτησε μεγάλων, καὶ πόλεις εἷλε πολλὰς, ἀλλὰ καὶ ἀντιστρατήγων Κότταν μὲν ἐν τῷ περὶ τὴν Μελλαρίαν πορθμῷ κατεναυμάχησε κ. τ. λ.* Hoc Fragmentum tractavit etiam Lipsius in Epistol. Quaest. IV, 14. p. 295 (ed. a. 1600.), sed ita, ut ingenio abusus videatur; nam Plutarchi loco deceptus, qui in Sertorio c. 7, med. haec refert: *Σερτώριος οὐκ ὢν ἀξιόμαχος μετὰ τρισχιλίων εἰς Καρχηδόνα τὴν νέαν καταφυγὼν κἀκεῖθεν ἐπιβὰς τῶν νεῶν, καὶ διαπεράσας τὸ πέλαγος Λιβύῃ κατὰ τὴν Μαυρουσίαν προσέσχεν*, Sallustii verba ad primam Sertorii in Africam navigationem, ante pugnam cum Annio factam, refert, idque ut fieri possit, *praesidium relictum* vult Carthagine nova, tum pro *in Mauretania* scribit *in Mauretaniam*, deinde *furtim aut* mutat in *furtim abiit*, postremo *est* post *conatus* delet; quae omnia summa libidine excogitata sunt, et tum per se, tum sequenti Fragmento collato vana esse reperiuntur.

65. Transgressos omnis recipit mons Balleia praeceptus a Lusitanis.

66. At per omnem provinciam magnae *atrocesque*

Fr. 65. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 49. ed. min. I, 91. p. 197, 10. Debr. II, 21.] Nonius VI, 27. p. 453, 3. Mercer. et Gellius X, 26. Qui quum praecedentis Fragmenti verbis allatis ita pergat: „Ac deinde infra ita scripsit: *transgressos omnis recipit mons praeceptus a Lusitanis*;“ ex eo intelligitur, haec, paucis interiectis, post superiora illa lecta fuisse, ac de Sertorii transitu in Lusitaniam capienda esse. Montis nomen, quod in Gellii et Nonii codd. deest, apud Servium servatum exstat, qui ad Virg. Aen. I, 518. quinque priora verba laudat. Sed quum in Servii codd. pro *Balleia* etiam reperiatur *Palleia*, *Ballera*, *Belloia*, *Taleta*, Gerlachius nomen corruptum esse et non restitui posse contendens in ed. min. plane omisit. Sed auctorum ceterorum de *Balleia* monte silentium nulla caussa est, cur de scripturae veritate dubitetur, quam eo confirmari me monuit V. D. Casselius, quod *Bal* lingua Celtica *cacumen* sive *summitatem* significat, coll. Dieffenbach. Celtic. I. p. 192. Ceterum verba *transgressos recipit mons B.* paullo insolentius dicta hunc sensum habent: *transgressi in montem B. se receperunt*, sive *transgressis mons B. receptui fuit.*

Fr. 66. [Deest apud Cort. et Debross. — Gerl. ed. mai. I, 75. ed. min. I, 124. p. 199, 1.] Fragmentum, olim incognitum, exstat in Virgilii interprr. ed. Ang. Mai. p. 42. ad Aen. IV, 178; cf. Valerii Probi in Vergil. Comment., acced. Schol. Veronens. in Virg. Fragmenta. ed. Henr. Keil. (Hal. 1848). Ad Sertorium haec verba spectare, qui ex Mauretania in Lusitaniam regressus maximo adventus sui terrore Romanos in provincia compleret, haud absurde coniicias ex Plutarcho, qui in Sertor. c. 12., haec tradit: *Διοχιλίοις γὰρ ἑξακοσίοις, οὓς ὠνόμαζε Ῥωμαίους, συμμίκτοις δὲ ἑπτακοσίοις Λιβύων εἰς Λυσιτανίαν αὐτῷ συνδιαβᾶσι, πελταστὰς τετρακισχιλίους Λυσιτανῶν καὶ ἱππεῖς ἑπτακοσίους προσλαβών, ἐπολέμει τέτρασι Ῥωμαίων στρατηγοῖς.* Satis probabiliter igitur ex hoc loco colligere mihi videor Sallustium, quum in antecedentibus, quam exiguae fuissent Sertorii copiae, demonstrasset, verbis *at per omn. prov.* etc. narrare, quantus nihilominus in provincia timor fuerit, famâ de Sertorii exercitu in immensum auctâ et ineptis fabulis exornatâ. Quum Mauri enim, quos ille in exercitu ductabat, ore, colore, universa corporis forma atque habitu, ad hoc victu cultuque multum a ceteris hominibus discreparent, inde nata horrifica fama eos esse *ἀνθρωποφάγους*. — Quae litteris pronis expressa sunt, non in cod. leguntur, vetustate

famae, quum ex suo quisque terrore quinquaginta aut amplius hostium millia, novas immanis *formas*, oceani acc*ol*as, corporibus hominum vesci contenderent.

lacunoso, sed editorum coniecturis debentur. Primam lacunam (atro*cesque famae*) Maius scite explevit ipso grammatico duce, qui: „*Famam*, inquit, Virgilius singulariter; at Sallustius plurali numero, ut in primo historiarum: *at per* etc.“ — *Formas*, quod ipse dudum conieceram, etiam Keilius scribendum vidit, quamquam aliter atque ego locum constituens. Intelligendi sunt *homines novâ* (i. e. insolitâ, v. ad Catil. c. LI, 8. p. 240.) *et immani formâ*, i. e. Mauri, ut supra demonstravimus. Gerlachius in utraque ed. recepit Orellii coniecturam *feras*, qua nihil est alienius. *Ferae* enim, quae nude dictae nihil aliud sunt quam ferae *bestiae*, velut leones, tigrides, pardi, quid in Sertorii exercitu? Aut quid est, quod *oceani accitae*, aut *corporibus hominum vesci* dicuntur? Nihil horum tale est, quo non vehementer offendas. — Pro *acc..as*, quod in cod. est, Maius ex ingenio reposuit *accitas*, idque Gerlachius in utraque ed. exhibuit. Sentiens vero haec verba aeque a structura atque a sensu laborare, eo se expedivit, ut Vol. III. p. 76. scriberet: „sed vel hoc ita explices, ut additum statuas ad *rei miraculum augendum*.“ Nos miracula, quae corruptis lectionibus nituntur, superstitiosis aniculis relinquentes, pro *accitas* scripsimus *accolas*, manum Sallustii nos restituisse certi. *Oceani accolae* enim Mauri sunt, ad oram maris Atlantici habitantes, ab Hispania valde remoti et ob id ipsum incogniti. Keilius maiorem lacunam statuens locum sic explevit: *novas immanes f[ormas fluctibus] oceani [adpulsos]*; sed *formas fluctibus adpulsos* et nimis recedit a cod. vestigiis, neque sanam dicendi rationem aut sensum commodum habet. — In protasi post *famae* supplendum est *erant*, de qua imperfecti ellipsi v. ad Iug. XXVIII, 5. p. 163. LXVII, 1. p. 364. et Gramm. lat. nostr. §. 113. not. 1. p. 234. Keilius excidisse censet *ibant*, haud dubie propter *per* particulam, quae caussa nihili est; cf. Catil. c. LII, 15. *Quasi vero mali non per totam Italiam sint.* Idem pro *atrocesque* edidit *atque atroces*. — *Ex suo terrore* caussam designat; v. Hand. de Partice. Latt. Vol. II. p. 635 sqq. — De voce *amplius* v. ad Iug. LXIX, 2. p. 371. et Hand. de Partice. Vol. I. p. 288 sq. — Post *millia* supple *esse*, quem infinitivum poscit verbum *contenderent*: v. supra ad Fragm. I, 45, 19. et §. 23. — De adiectivis *novas immanis* sine copulandi particula substantivo praemissis v. ad Iug. c. XXX, 3. p. 172. et Gramm. lat. nostr. §. 120, 3. additam. 2. a. bb. p. 289.

67. Ardebat omnis Hispania citerior.

68. Et mox Fufidius adveniens cum legionibus, postquam tantas asperitates, haud facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti quam suis opportuniora videt.

Fr. 67. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 46. ed. min. I, 112. p. 198, 8. Debr. II, 3.] Victorin. in Cic. Rhetor. I. p. 5. Orell. De bello in Hispania summa vi moto sermonem esse non est dubium, quamquam in tali sententia a ceteris scriptoribus non simpliciter *ardere*, sed *ardere bello* dicitur; cf. Cic. Epp. ad Attic. V, 6. *Quum arderet Syria bello.* Liv. XXVIII, 14, 15. *Non dubitabant totam Hispaniam arsuram bello;* ibid. XXXI, 11, 10. ubi Drakenborch. plura congessit. Sed rectum Fragmento locum me assignasse non pro certo affirmaverim; fieri enim potuit, ut Sallustius haec iam supra exhiberet, ubi, finita narratione de Lepidi in Italia tumultu, primum de rebus Hispanicis dicere coepit. Utcunque autem est, certe hic quoque legi potuerunt verba, ubi initiis Sertorii expositis, ad quantum bellum mox processum sit, auctori narrandum fuit.

Fr. 68. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 52. ed. min. I, 115. p. 198, 11. Debr. I, 24.] Nonius III, 265. p. 231, 17. Mercer., sed in aliqua codd. parte corrupte est *Stipidius*. Lipsius in Epistoll. Quaestt. IV, 14. p. 295. (ed. a. 1600.) *Aufidius* scribendum censuit, non satis circumspecte Plutarchi testimonio usus, apud quem in Sertorio c. 12. haec leguntur: *Κότταν μὲν ἐν τῷ περὶ τὴν Μελλαρίαν πορθμῷ κατεναυμάχησέ που, Φίδιον δὲ, τὸν ἄρχοντα τῆς Βαιτικῆς, περὶ τὸν Βαῖτιν ἐτρέψατο, δισχιλίους ἀποκτείνας Ῥωμαίων.* Nam in promptu est *που* voculam, inepte praecedenti verbo adhaerentem, nominis proprii partem esse, commateque post *κατεναυμάχησε* posito *Πουφίδιον* vel potius *Φουφίδιον* scribendum esse, quemadmodum Sintenisius recte fecit. De *Fufidio* v. ad Fragm. I, 45, 21. coll. Ruhnkenio ad Vell. II, 16, 2. In ceteris bene vidit Lipsius Sallustii verba ad pugnam apud Baetim fluvium commissam pertinere, quippe de qua re non dubitare sinat *vadi haud facilis pugnantibus* mentio. — Pro *asperitates* Nonii codd. habent *spiras*, sensu prorsus alieno; emendatio a Carrione proposita satis certa videtur et bene congruit cum Sallustii dicendi usu; v. ad Iug. c. XXIX, 1. p. 164. — *Vadus* masculino genere dictum videtur ex prisco Romanorum usu; v. Schneideri Gramm. Lat. II, 1. p. 470., qui tamen huius vocabuli oblitus est.

Fr. 69. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 38. ed. min. I, 104. p. 198, 1. Debr. II, 118.] Priscian. X, 7, 38. p. 500. Kr. et Diomed. p. 370. Putsch.; praeterea Servius ad Virg. Georg. II, 384. laudat

69. Iussu Metelli cornicines occanuere.

70. Et numeri eorum Metellus per litteras gnarus.

71. Domitium proconsulem ex citeriori Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, accersivit.

cornua occanuerunt, quae verba aut ad alium locum pertinent, aut memoriter a Servio, quippe qui solam perfecti formam respiceret, citantur. Et hoc et sequens Fragmentum, per se parum perspicua, tamen propter Metelli mentionem huc collocare visum est, quia non dubitari potest, quin in eius cum Sertorio pugnis describendis lecta fuerint.

Fr. **70.** [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 54. ed. min. Inc. 82. p. 240, 1. Debr. II, 120.] Arus. v. *gnarus*, p. 233. ed. Lindem. Pro *et numeri*, ut est in cod. Ambros. et Gud., Carrio olim *itineris* edidit, quod ab insecutis Sallustii editoribus propagatum nunc non amplius ferendum est. De quanam re verba intelligenda sint, equidem assequi non valeo; Debrossius unde cognoverit de Hirtuleiis fratribus sermonem esse, aliis divinandum relinquo; pariter me fugit, quae caussa Gerlachium impulerit, ut Fragmentum in ed. min. *Incertis* annumeraret, quod Arusianus diserte ex *primo* libro afferat, cui testimonio etiam Metelli nomen fidem facit.

Fr. **71.** [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 27. ed. min. I, 93. p. 197, 13. Debr. II, 59.] Verba, quae leguntur, apud Priscian. X, 8, 45. p. 504. Kr., per se satis plana sunt; *accersivit* autem referendum est ad *Metellum*, qui a Sertorio valde fatigatus atque pressus Domitium cum suis copiis sibi auxilio venire iussit. Sed hunc quoque victum esse testis est Plutarchus in Sertor. c. 12., quamquam illo loco aliquid turbatum est. Nam quae ibi leguntur *Δομέτιον δὲ καὶ Λούσιον, ἀνθύπατον ὄντα τῆς ἑτέρας Ἰβηρίας, διὰ τοῦ ταμίου καταγωνισάμενος, καὶ Θωράνιον, ἄλλον ἡγεμόνα τῶν ὑπὸ Μετέλλου πεμφθέντων μετὰ δυνάμεως, ἀνεῖλεν*, quod ad Domitium attinet plane cum Sallustianis verbis congruunt; sed *καὶ Λούσιον* nullo modo ferri potest, sive ad particulas *δὲ καί*, sive ad nomen Lusii, Romanus inusitatum, sive ad verba *ἀνθύπατον ὄντα*, quae ad Domitium pertinent, respicis. Quare Plutarchum scripsisse putamus *Δομέτιον δὲ Λεύκιον*, praenomine postposito, ex perverso Romanorum more inde ab Augusti aetate invalescente; quo offensi librarii quum copulam intulissent, accedente postea levi nominis depravatione vulgata lectio orta est. *Lucium Domitium* etiam Eutropius VI, 1. commemorat ab Hirtuleio, Sertorii quaestore, oppressum esse; qui quum Domitium *praetorem* vocet, quem Sallustius et Plutarchus *proconsulem* dicunt, facile haec discrepantia tollitur, si statuas eum praetorem fuisse proconsulari imperio, de qua

72. Occupatusque collis editissumus apud Ilerdam; eum multa opera circumdat.

73. Sertorius, portis turba morantibus et nullo, ut

re v. ad Iug. CIII, 4. p. 560. De Domitio cf. praeterea Oros. V, 23. Flor. III, 22, 6. et Liv. Epit. XC., ubi interpretes recte monuerunt, eius praenomen *M.*, quod codd. habent, in *L.* esse mutandum.

Fr. 72. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 43. ed. min. I, 109. p. 198, 5. Debr. II, 60.] Verba exstant apud Arus. v. *circumdat*, p. 219. Lindem., et apud Priscian. XV, 2, 9. p. 618. Kr., sed ita, ut alter locus ex altero sit supplendus; nam Arusianus caret verbis *apud Ilerdam*, Priscianus autem tria priora *occup. col. edit.* non retulit. Praeterea olim in utroque corrupte edebatur *cum multa opera circumdata*, pro quo Lindemannus e cod. Gud. veram lectionem reposuit, cuius vestigium aliquod etiam in Prisciani codd. Gemblacensi et Coloniensi exstat, quippe qui Carrione teste non *cum*, sed *cum* exhibeant, quamquam participium in fine servantes. Prorsus insipide igitur Gerlachius Vol. III. p. 74. „si *eum*, inquit, emendaveris, *circumdedit* corrigatur necesse est." Verborum sensus aliquantum illustratur loco Orosii V, 23. *Manilius proconsul Galliae in Hispaniam cum tribus legionibus et mille quingentis equitibus transgressus iniquam cum Hirtuleio pugnam conseruit; a quo castris copiisque nudatus in oppidum Ilerdam paene solus refugit.* cf. Plut. in Sertor. c. 12, med. *Σερτώριος τὸν Μέτελλον — εἰς τοσαύτην ἀπορίαν κατέστησεν, ὥστε Λεύκιον Μάλλιον ἐκ τῆς περὶ Ναρβῶνα Γαλατίας ἐλθεῖν αὐτῷ βοηθόν.* Eandem rem tangit etiam Epit. Livii lib. XC., sed brevius, et *Manlii* nomine pro *Manilii* exhibito. — *Ilerdam* scripsimus auctoritate Prisciani; Cortius multique alii dederunt *Hilerdam*, quam formam Scheiderus quoque Gramm. Lat. I, 1. p. 194. probavit, veteribus nummis et inscriptionibus minus tribuens, quam Phocae Grammatico p. 1724. (Lindem. Vol. I. p. 355.), quod nobis secus videtur. — Singulorum aeque verborum ac totius sententiae accuratior explicatio valde ambigua est et impedita, quum non constet de Manilione, an de Hirtuleio agatur. Hoc unum tantum non videtur dubium, ante illam pugnam, qua Manilius sive Manlius victus est, rem narratam accidisse. Sed utut est, *multa opera* non potest de ipso obsidendi *apparatu* intelligi, sed valet *magna diligentia et contentione*: cf. Cic. ad Plancum in Epp. ad Attic. XVI, 16. *Omnibus rebus magna cura, multa opera et labore confectis.* id. ibid. XIV, 14. fin. *Omni opera enitar, ut de Buthrotiis senatusconsultum fiat.*

Fr. 73. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 65. ed. min. I, 119. p. 198, 18. Debr. II, 138.] Verba Nonius bis laudavit, IV, 128. p. 282,

in terrore solet, generis aut imperi discrimine, per calonum corpora ad medium quasi, dein super astantium manibus in murum attollitur.

20. et XII, 48. p. 530, 30. Mercer., sed neutro loco satis emendate. Pro *portis* enim priore loco est *fortis*, altero *partis* vel *Parthis*, quae scribendi vitia editores dudum correxerunt. Tum in lib. XII. vulgo legitur *turbam orantibus*; sed cod. Paris. A. utroque loco recte habet *turba morantibus*, hoc sensu: quum portae moram facerent (sc. fugae vel receptui) *propter turbam* sc. in angusto introitu ortam. Sallustii editores fere omnes scripsērunt *turbam morantibus*, quod non solum codicum auctoritati repugnat, sed alienissimam sententiam habet ac vix latine dici potest; nam quum iis tantum mora afferri possit, quae per se impigre procedunt, absonum est *turbam morā impeditam* dicere, quae suapte natura impeditum et tardum est. — Verba *nullo generis aut imperi discrimine* aliquantum obscuritatis habent; nam quominus *generis* pro *sexus* dictum esse statuas, non solum res ipsa obstat (nam quid mulieribus negotii erat in Sertorii exercitu?), sed etiam linguae ratio, quia vocis *imperii* notio tam diversa est, ut non possit per *aut* particulam in praecedentis locum substitui, cf. ad Cat. c. XXVI, 2. et ad Iug. c. III, 2. Quare *genus* h. l. ad milites armis atque ordinibus diversos refero; qui quum confusim et sine ordine in urbem fugerent, *generis eorum nullum discrimen erat.* Pariter *nullum imperii discrimen* est, ubi imperia non observantur, sed quisque sibi consulit, ducis iussu neglecto. — *Per calonum corpora* ita videtur intelligendum, ut Sertorius, artissimo calonum globo facto, eorum humeris institerit; aliter enim *corporum* auxilium in sublevando duce non facile explicueris. — Statim post in omnibus Nonii codd. et Sallustii editionibus pessime scribitur *deinsuper*, cui voci, Lexicis eximendae, nollem patrocinatus esset Handius de Partice. Latt. Vol. II. p. 249., quippe quae nusquam alias reperiatur, analogiae prorsus repugnet, et Nonii errori usque ad nostrum tempus propagato et cum novis erroribus criticorum permixto, debeatur. Ut enim omni ratione caret, quod Handius *deinsuper* vult idem significare quod *desuper*, ita in universo loco explicando multum a vero aberravit. Nam verba ad hunc modum scripta: *per calonum corpora, ad medium quasi deinsuper instantium manibus in murum attollitur*, sic interpretatur: Sertorius, humeris calonum ascensis, manibus eorum, *qui* in muro stantes *fere ad medium corpus desuper declinabant*, attollitur. Sed huic explicationi praeter insolentem *deinsuper* vocem hoc maxime obstat, quod *instare* neque ullo modo significare potest *declinare* vel *se demittere*, neque omnino codicum auctoritate

74. Et Diponen validam urbem multos dies restantem pugnando vincit.

nititur; nam apud Nonium XII, 48. est *stantium* vel *statium*; altero autem loco pro *instantium*, quod edd. habent, in cod. Paris. A. recte legitur *adstantium*. Praeterea *ad medium* de attollentium *corporibus* intelligere vix patitur verborum ordo, in tali sententia nimis impeditus, et quaesitam relationem minime adiuvans. Sed prorsus alia est enunciationis conformatio; nam bipartita habetur sententia, ex eodem verbo pendens, ad cuius priorem partem, *per calonum corpora ad medium quasi*, ex sequentibus supplendum est *murum attollitur*, alterum autem membrum *dein* particulâ infertur, ita, ut illo *incepta*, hoc *perfecta* ascensio declaretur. Iam nexu sententiarum indicato de singulis videamus. *Medium* igitur quamquam substantive positum tamen de *muro* esse capiendum res ipsa docet, *parte* muri opposita *toti* sive *muro ipsi*; neque insolentem esse structuram, qua praecedens vocabulum ex sequente lucem accipit, ostendimus ad Catil. c. LI, 38. — *Quasi*, ad *medium* pertinens, significat *fere*, *circiter*; cf. Fr. III, 26. IV, 49. et v. ad Iug. c. XLVIII, 3. p. 274. Id non assecutus Mercerius pro *quasi* coniecit *evasit*, ut hoc verbum responderet sequenti *attollitur*; quod per se non malum foret, nisi res ipsa obstaret. Nam Sertorius, qui humeris calonum insistens medium tantummodo murum *attingeret*, non potest dici eo *evasisse*. — *Dein*, quae vox a *super* seiuncta alteram enunciationis partem infert, ita posita est, quasi praecessisset *primum*, quod interdum omittitur sequente *tunc*, *deinde*, *postea*, vel simili particula; cf. Gronov. ad Liv. XXXIV, 19, 8. Ruhnken. ad Terent. Andr. I, 3, 6. Walch. Emendd. Liv. c. X. p. 188. — *Super* h. l. adverbium esse, quod *astantium* verbo accuratius definiendo inserviat, quivis, opinor, videt; nisi forte quis statuit *circum astare* dici posse, *super astare* non posse. Pro *astantium* sane sufficiebat dicere *stantium*; sed *astare* accomodatius dictum est ad studium et curam eorum exprimendam, qui *in rem*, *quae agebatur*, *intenti* in muro stabant. Parum recte igitur Gerlachius in ed. min. scripsit *superstantium*, sibi ipsi repugnans, qui in Vol. III. p. 76. veram scripturam probasset, neque assecutus *superstare* vernacula esse *darauf stehen*, *super stare* valere *oben stehen*. — Ad rem ipsam illustrandam pertinet locus Plutarchi in Sertor. c. 14, extr. *Λέγεται δὲ πρός τινι πόλει τροπῆς γενομένης καὶ τῶν πολεμίων ἐπικειμένων, τοὺς Ἴβηρας ἀμελήσαντας αὑτῶν τὸν Σερτώριον σώζειν, καὶ τοῖς ὤμοις ἐπαραμένους ἄλλους πρὸ ἄλλων ἀνακουφίσαι πρὸς τὰ τείχη.* Ad eandem rem respicit Servius ad Virg. Aen. IX, 558. haec annotans: „Quia tunc alti non erant muri, sed ad impetum tantum repellendum; ut etiam Sallustius ostendit, ubi *Sertorium*

75. Cui nomen oblivionis condiderant.

humeris sublatum per muros ascendisse commemorat." Quo autem proelio hoc factum sit, in scriptorum silentio affirmari nequit; quare nugas egerunt Debrossius et Gerlachius, quorum ille Sertorium post pugnam apud Calagurim, hic post proelium Saguntinum tali modo servatum esse contendit.

Fr. 74. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 47. ed. min. I, 113. p. 198. 9. Debr. II, 102.] Verba exstant apud Nonium XII, 30. p. 526, 10. Mercer., sed vulgo valde depravata et infelicibus editorum coniecturis tentata. Nam quum pro *Et Diponen* in Nonii edd. legatur *et ponere*, in codd. autem inveniatur *et deponem*, *et digonem*, *et diponem*, Sallustii editores vel retinuerunt ineptam scripturam, vel corrigendo rursus corruperunt. Debrossius enim scripsit *et propterea*, Colerus coniecit *Hipponem*, vel *Tigennam*, Carrio *Olyssiponem*. Putschius vero *Vizonem* urbis nomen esse suspicatur, quia Probus II, 1, 23. (Gramm. Lat. Vol. I. p. 110. ed. Lindem.) id apud Sallustium lectum fuisse referat ac Stephanus Byz. verbis *Βιζώνη πόλις ποντική* confirmet. Hanc sententiam Gerlachius Vol. III. p. 74. sibi admodum probabilem videri profitetur, scilicet quia de *rebus ponticis* in *primo* libro actum esse odoratus est vir sagacissimus! Sed ea opinione rursus reiecta in ed. min. scripsit *ibi et ponere*, incredibili perversitate *ibi*, qua voce ipse in *Notis* Vol. I. p. 224. usus erat, Sallustianis verbis assuens. Urbis nomen a nobis receptum praebent Nonii codd. A. *α. δ.*, nisi quod *Diponem* exhibent, quemadmodum etiam in Merceri ed. legitur; sed quum nominativus sit *Dipone* (v. Ukerti Geogr. Graec. et Rom. Vol. II. P. I. p. 392. Itiner. Anton. p. 418.), accusativus nullo pacto in *em* exire potuit, cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 32.; quare rectam formam invitis codd. dedimus. — *Vincit* auctoritate codd. A. *α.* scripsimus pro *vicit*, quod in Nonii et Sallustii edd. est. — *Restantem* Sallustius dixit pro *resistentem*, quo sensu hoc verbum etiam alias legitur; cf. Drakenborch. ad Liv. IV, 58, 4. Id. VI, 30, 5. VI, 32, 7. XXIII, 45, 9. Tacit. Annal. III, 46, 3. Ad Sertorium pertinere Fragmentum *Dipones* urbis mentio clarissime testatur; sed utrum a Sertorio, an a Metello capta fuerit, in incerto relinquitur.

Fr. 75. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 58. ed. min. I, 117. Debr. III, 105.] Haec verba, quae leguntur apud Serv. ad Virg. Aen. I, 267., omnes Sallustii editores inde a Douza cum alio Fragmento, quod in nostra ed. est I, 81. coniunxerunt, cui facto historiae fides prorsus repugnat. Quam enim isto modo fingunt *Lethen* urbem in Hispania, nunquam exstitit. Quare Sallustii verba non de urbe, sed de eo Hispaniae *fluvio* capienda sunt, qui inter Du-

76. Illum raptis forum et castra nautica Sertorius mutaverat.

rium et Minium est, et olim *Limaeas* sive *Belion* vocatus, postea *Oblivionis flumen* appellatus est; cf. Liv. Epit. lib. LV. Strabo III. p. 229. C. Almelov. Flor. II, 17, 12. Mela III, 1. Ukerti Geogr. Graec. et Rom. Vol. II. P. I. p. 296 sq. Forbiger. Geogr. antiq. Vol. III. p. 19.

Fr. 76. [Cort. p. 967. Gerl. ed. mai. III, 21. ed. min. III, 11. p. 216, 9. Debr. II, 79.] Tria priora verba Nonius ex *primo* affert III, 96. p. 206, 16. Merc.; plenius exstat Fragmentum apud Pompeium Comment. Art. Don. p. 152. ed. Lind., unde simul patet corrupte apud Nonium *nautis* pro *raptis* scriptum esse. *Forus* pro *forum* Nonio teste dixit etiam Lucilius Sat. libro III. *Romanis ludis forus olim ornatus lucernis.* Dativus *raptis* pendet ex latente aliqua verbi notione, nam sensus est: *forum, qui raptis vendendis inserviret Sert. mutaverat.* — *Dianium* intelligendum esse haud improbabile est, de quo promontorio v. annotat. ad Fr. III, 2. Magnum ibi rerum raptarum mercatum fuisse et celeberrimum Sertorianorum cum piratis commercium intelligitur ex Cic. in Verr. V, 56, 146. *Quicunque accesserant ad Siciliam paullo pleniores, eos Sertorianos milites esse atque a Dianio fugere dicebat.* cf. Strabo. III. p. 239. B. Almelov. *Τὸ Ἡμεροσκοπεῖον, ἔχον ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν σφόδρα τιμώμενον, ᾧ ἐχρήσατο ὁρμητηρίῳ κατὰ θάλατταν Σερτώριος· ἐρυμνὸν γάρ ἐστι καὶ λῃστρικόν, κάτοπτον δὲ ἐκ πολλοῦ τοῖς προσπλέουσι, καλεῖται δὲ Διάνιον.*

Fr. 77. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 55. ed. min. I, 70. p. 196, 1. Debr. I, 99. II, 83.] Prisc. XV, 2, 6. p. 616. Kr. Hoc Fragmentum cum tribus sequentibus huc collocavimus, quia consentaneum est Sallustium, Sertoriani belli narratione ad eum locum deducta, quo Metellus solus adversario impar Pompeium adiutorem accepit, subiunxisse res a Servilio contra piratas gestas, cuius rei tum ducis Romani, tum urbium Ciliciarum nomina, a grammaticis servata, tenuia quidem, sed tamen certa documenta sunt, praesertim quum Livius quoque, qui Sallustium secutus videtur, eundem ordinem teneat. — P. Servilius Vatia, qui consul fuit anno a. Chr. n. 79., anno post proconsul Ciliciam provinciam nactus bellum contra piratas administravit; cf. Liv. Epit. lib. XC. Flor. III, 6, 4 sqq. Eutrop. VI, 3. Oros. V, 23. Ammian. Marc. XIV, 8. p. 41. ed. Vales. Sallustii igitur verba de profectione Servilii videntur intelligenda, quamquam in singulis propter mancam verborum structuram de vero sensu non constat. Vix enim mihi persuadeo *prior transgressus* ad *aegrotum collegam* pertinere, quum *transgredi ali-*

CAP. VI.

Bellum contra piratas a P. Servilio gestum.

77. Itaque Servilius aegrotum Tarenti collegam prior transgressus.

78. Cares insulani populi fuerunt, piratica famosi, victi a Minoe, *[ut et Thucydides et Sallustius dicunt.]*

quem sit *superare aliq.*, quod cum *prior* voce conciliari nequit. Quare *transgressus* intelligendum putamus de *traiiciendo mari*, quo sensu *transgredi* verbum usurpatum vidimus Fragm. I, 64. et I, 65. Servilii in consulatu collega fuit App. Claudius Pulcher, anno 78. a. Chr. n. proconsul ad Thraciae gentes domandas missus. Uterque igitur quum simul Roma profecti essent in provincias iturі, Appio Tarenti morbo impedito, Servilius *prior in Epirum traiecit.* In hoc sensu satis plano patet accusativos *aegrotum collegam* aut ex omisso aliquo verbo, velut *reliquit*, pendere, quod valde verisimile est, aut verba corrupta esse et *aegroto Tarenti collega* i. e. *quum collega Tarenti aegrotaret*, scribi debere, ut Gerlachio Vol. III. p. 75. videtur. Quae praeterea huic Fragmento in Sall. edd. adiecta leguntur verba, ea rursus', ut res poscebat, seiuncta infra Fr. 80. exhibuimus, ubi v.

Fr. 78. [Cort. p. 1010. Gerl. ed. mai. Inc. 199. ed. min. V, 12. p. 236, 2. Debr. II, 77.] Fragmentum a Serv. ad Virg. Aen. VIII, 725. allatum sine libri indicio, magis rem, ab auctore traditam, quam ipsa eius verba habet. Ex *Incertis* huc transtulimus, quia luce clarius est, Sallustium, ubi primum de piratico bello loqueretur, pro more suo rem altius repetivisse, et de piratarum origine et antiquissima aetate egisse. Ut igitur dubitari nequit, quin in *primo* libro verba lecta fuerint, ita tamen ambigi potest, recteне ea post Fragm. I, 77. collocaverimus, quippe quae fortasse priorem locum obtinuerint. Neque repugnabo, si quis ante narrationem de incepta Servilii expeditione de piratis a Sallustio dictum putet, quamquam superioris Fragmenti verba, ubi Servilii *simul cum eius collega* mentio fit, obstare videntur. Quare probabilius putamus auctorem demum post memoratam ducis profectionem, a rebus praesentibus paullulum digressum, ad piratarum antiquitates illustrandas se convertisse, vel locorum, quae illi tenebant, situ, vel expeditionis consilio digressioni caussam praebente. In re ipsa Sallustius secutus videtur Thucydidem, qui I, 4. *Μίνως παλαίτατος*, inquit, *ναυτικὸν ἐκτήσατο. καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων ἦρξέ τε καὶ οἰκιστὴς*

79. Ad Olympum atque Phaselida.

80. Iter vortit ad Corycum urbem, inclutam specu atque nemore, in quo crocum gignitur.

πρῶτος τῶν πλείστων ἐγένετο, Κᾶρας ἐξελάσας, καὶ τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας ἡγεμόνας ἐγκαταστήσας. Τό τε ληστικὸν, ὡς εἰκὸς, καθῆρει ἐκ τῆς θαλάσσης, ἐφόσον ἠδύνατο. De Caribus cf. etiam C. O. Mülleri Aeginetica p. 33.

Fr. 79. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 56. ed. min. Inc. 79. p. 139, 24. Debr. II, 85.] Verba, quae leguntur apud Priscian. XV, 2, 9. p. 618. Kr., aperte spectant ad bellum piraticum, quo illae urbes a Servilio captae sunt. cf. Cic. in Verr. I, 21, 56. *P. Servilius Olympum vi, copiis, consilio, virtute cepit, urbem antiquam et omnibus rebus auctam et ornatam.* id. ib. IV, 10, 21. *Phaselis illa, quam cepit P. Servilius, non fuerat urbs antea Cilicum et praedonum; Lycii illam, Graeci homines, incolebant. Sed quod erat eiusmodi loco, atque ita proiecta in altum, ut et exeuntes e Cilicia praedones saepe ad eam necessario devenirent, et, quum se ex hisce locis reciperent, eodem deferrentur, asciverunt sibi illud oppidum piratae, primo commercio, deinde etiam societate.* Flor. III, 6, 5. *Servilius validissimas urbes praedonum et diutina praeda abundantes Phaselin et Olympon evertit.* Eutrop. VI, 3. Oros. V, 23. — De universo praedonum bello cf. Plutarch. Pompei. c. 24—29.

Fr. 80. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 55. ed. min. II, 84. p. 205, 24. Debr. II, 88.] Verba affert Nonius III, 72. p. 202, 7. Mercer., sed turpiter in codd. depravata; corrupte enim *pastusque* legitur pro *specu atque*, ac praeterea totus locus falso *secundo* libro tribuitur. Sed *primi* esse iam Carrio vidit, quum Priscianus XV, 2, 9. p. 618. Kr. ex *primo* laudet *ad Corycum*, quae verba in Sallustii edd. pro novo Fragmento exhibita [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 57. ed. min. I, 71. p. 196, 3. Debr. II, 78.] omittenda duximus, quippe iam hoc ipso Fragmento contenta. Tum ex eo, quod aliarum urbium in eadem expeditione a Servilio expugnatarum in primo libro mentio fit, probabiliter colligas Coryci quoque oppugnationem a ceterarum rerum narratione non fuisse avulsam. Sed prorsus a vero aberravit Carrio haec verba cum iis, quae Fragmento I, 77. posuimus, in unum coniungendo, cui facto ut externa caussa nulla praesidio est, ita interna ratio prorsus obstat; nam Servilius ex Italia profectus non continuo cursum ad Ciliciam aut adeo ad Corycum direxit, ut ille vult, sed priusquam piratarum receptacula adoriretur, mari aliquoties cum iis conflixit; cf. Flor. III, 6, 4. *Missus in eos P. Servilius quamvis leves et fugaces myoparonas gravi et Martia classe turbaret, non incruenta victoria superat. Sed nec*

CAP. VII.

Bellum in Macedonia et Thracia App. Claudio Pulchro duce gestum.

81. Apud Lete oppidum.

mari submovisse contentus validissimas urbes eorum, Phaselin et Olympon evertit, Isauronque ipsam arcem Ciliciae. Recte igitur Gerlachius in ed. min. priorum editorum inconsiderantiam, Carrionis coniecturae nimis tribuentium, non imitatus est male consutum Fragmentum rursus in duas partes divellendo, quamquam in loco alteri assignando verum non assecutus videtur. — Pro *pastusque nemore*, quod sensu caret, Havercampius egregie coniecit scriptum fuisse *specu atque nemore*, quam emendationem certa scriptorum testimonia firmiter stabiliunt; cf. Strabo. XIV. p. 987, C. Almelov. *Κώρυκος ἄκρα, ὑπὲρ ἧς ἐν εἴκοσι σταδίοις ἐστὶ τὸ Κωρύκιον ἄντρον, ἐν ᾧ ἀρίστη κρόκος φύεται.* Plin. H. N. V, 27, 22. *Iuxta mare Corycos, eodem nomine oppidum et portus et specus.* Curt. III, 4. 10. *Monstrabantur Typhonis quoque specus et Corycium nemus, ubi crocum gignitur.* De nemore et specu ipso Strabo l. l. ἔστι δὲ, inquit, *κοιλὰς μεγάλη κυκλοτερὴς ἔχουσα περικειμένην ὀφρὺν πετρώδη πανταχόθεν ἱκανῶς ὑψηλήν. καταβάντι δ' εἰς αὐτὴν ἀνώμαλόν ἐστι ἔδαφος καὶ τὸ πολὺ πετρῶδες, μεστὸν δὲ τῆς θαμνώδους ὕλης ἀειθαλοῦς τε καὶ ἡμέρου. Παρέσπαρται δὲ καὶ τὰ ἐδάφη, τὰ φέροντα τὴν κρόκον. Ἔστι δὲ καὶ ἄντρον αὐτόθι ἔχον πηγὴν μεγάλην, ποταμὸν ἐξιεῖσαν καθαροῦ τε καὶ διαφανοῦς ὕδατος, εὐθὺς καταπίπτοντα ὑπὸ γῆν· ἐνεχθεὶς δ' ἀφανὴς ἔξεισιν εἰς τὴν θάλατταν.* Pomp. Mela I, 13. *Corycos oppidum portu saloque incingitur, angusto tergore continenti annexum. Supra specus est, nomine Corycius, singulari ingenio ac supra quam describi facile sit eximius. Grandi namque hiatu patens montem litori appositum et decem stadiorum clivo satis arduum ex summo statim vertice aperit. Tunc alte demissus et quantum demittitur amplior viret lucis pendentibus undique, et totum se nemoroso laterum orbe complectitur, adeo mirificus ac pulcher, ut mentes accedentium primo aspectu consternat, ubi contemplati duravere, non satiet. Unus in eum descensus est, angustus, asper, quingentorum et mille passuum, per amoenas umbras et opaca silvae quiddam agreste resonantis, rivis hinc atque illinc fluitantibus.* cf. Ukerti Geogr. Graec. et Rom. Vol. II. P. I. p. 11 sq. — Ad hunc Sallustii locum respexit etiam Servius ad Virg. Georg. I, 56. haec annotans: *Crocum in Cilicia apud Corycum nasci Sallustius meminit.* De voce *crocum* neutro genere posita v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II, 1. p. 478. De *croci* usu v. ad Fragm. II, 29.

Fr. 81. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 58. ed. min. I, 117.

82. Repulsus a Lete oppido.

CAP. VIII.

Fragmenta incertioris sententiae.

---

83. Et stationes sub vineas removebat.

p. 198, 16. Debr. III, 104.] Verba a Prisciano XV, 2, 9. p. 618. ed. Kr. servata, Douza coniungenda esse suspicabatur cum iis, quae Fr. I, 75. exhibuimus, ceterique editores omnes tanquam in re certissima eum secuti sunt. Sed ut res ipsa probat de *Lethe* Hispaniae oppido cogitari non posse, ita in Prisciani codd. ne exstat quidem *Lethe*, quemadmodum Sallustii editores scripserunt, sed *Lete*, sine aspiratione. Quo nomine quum urbs Macedoniae habeatur teste Plinio H. N. IV, 10, 17., non improbabiliter ex his verbis coniicias Sallustium in primo Historiarum libro etiam de Ap. Claudii expeditione contra Thraciae gentes, vicinam Macedoniam incursionibus infestantes, facta egisse, praesertim quum ex Fr. I, 77. pateat eum Appii profectionem in provinciam commemorasse. De eo bello cf. Oros. V, 23. *Interea Macedonicum bellum Claudius sortitus varias gentes, quae Rhodopaeis montibus circumfusae sunt, ac tunc Macedoniam crudelissime populabantur, — pellere Macedoniae finibus bello attentavit, magnisque se malorum molibus obiecit.* Praeterea vide Eutrop. VI, 2. Flor. III, 4, 6. Liv. Epit. lib. XCI.

Fr. 82. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 59. ed. min. I, 119. p. 198, 17. Debr. III, 106.] Verba, quae Priscianus pariter libro XV, 2, 9. p. 618. Kr. attulit, ad eandem rem spectant, quam antecedentia; sed *repulsus* voce Appiusne, an dux hostium significetur, dici non potest.

Fr. 83. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. I, 100. p. 197, 18.] Fragmentum recens accessit ex Arusiano v. *sub hac re*, p. 261. ed. Lindem. Verba satis obscura vide num aliquam lucem accipiant ex Appiano de B. C. I, 91. p. 126. Schweigh. *Καὶ περὶ τὰς αὐτὰς ἡμέρας ἐν Φαυεντίᾳ Κάρβων καὶ Νωρβανὸς ἐξ ὁδοῦ βραχὺ πρὸ ἑσπέρας ἐπὶ τὸ Μετέλλου στρατόπεδον ἐλθόντες, λοιπῆς οὔσης ὥρας μιᾶς καὶ ἀμπέλων πυκνῶν περικειμένων, ἀνοήτως μάλα ὑπὸ ὀργῆς ἐς μάχην ἐξέτατον, ἐλπίσαντες Μέτελλον τῷ παραλόγῳ καταπλήξειν.* Quamvis autem minime praestiterim de eadem re apud Sallustium et Appianum sermonem esse, hoc tamen affirmare non dubito, a vero multum abesse Ger-

84. Magnis operibus perfectis obsidium cepit per L. Catilinam legatum.

85. Maturaverunt exercitum Durrachium cogere.

lachium, qui his verbis locum inter ea Fragmenta attribuerit, quae spectant ad Metelli res in Hispania gestas.

Fr. 84. [Cort. p. 953. Gerl. ed. mai. I, 26. ed. min. I, 65. p. 195, 22. Debr. III, 112.] Verba sunt apud Festum v. *obsidium*. Corp. Gramm. Lat. Vol. II, p. 192. ed. Lindem. Cortius, quem plurimi secuti sunt, male scripsit *m. op. profectus oppidum cepit* etc.; paullo melius Gerlachius in ed. mai. cod. scripturam *perfectis* restituit; bene etiam Lindemannus *obsidium* reposuit pro *oppidum*, sed non satis circumspecte Ursino auctore *coepit* in textu reliquit, quod haud dubie falsum est. In errorem enim inductus est Ursinus loco Taciti Annall. IV, 49, 1. *Obsidium coepit per praesidia*: qui locus verborum similitudinem habet, re ipsa multum a Sallustiano discrepat. Nam quum Festus haec referat: „obsidium tanquam *praesidium*, *subsidium*, recte dicitur, cuius etiam auctor C. Laelius pro se ad populum: Ut in (scribendum uti) nobis terra marique simul obsidium facerent. Et Sallustius" etc., luce clarius est, Festum non de trita vocis potestate loqui, qua valet *obsessionem* sive *obsidionem*, sed inusitatam *subsidii* significationem proborum auctoritate scriptorum firmare ac defendere. Quare unice verum putandum est *cepit*, ipsa sententia hoc verbum flagitante; sensus enim hic est: quum magna opera perfecisset, i. e. magnas munitiones instituisset (sc. imperator aliquis ab hostibus valde pressus), *auxilium accepit* per Catilinam. *Capere* pro *accipere* Sallustio non alienum esse diximus ad Iug. c. LXXXV, 18. p. 453. Quo pertineat Fragmentum dici nequit; sed quum L. Catilina Sullae valde gratus esset eique operam in exsequendis consiliis praestaret (v. Appian. de B. C. II, 2 p. 175. Schweigh. *Κατιλίνας — Σύλλα φίλος τε καὶ στασιώτης καὶ ζηλωτὴς μάλιστα γεγονώς*. Plutarch. in Sulla c. 32. Q. Cic. de petit. consul. c. 2, extr.), coniicio verba lecta fuisse in narratione belli Sullani contra Marianos. Sed utut est, prorsus ineptit Debrossius, qui verba in *tertium* librum translata de Moesiae urbe *Sardica* per Catilinam Curionis legatum capta interpretatur.

Fr. 85. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 31. ed. min. I, 69. p. 195, 28. Debr. II, 148.] Arusian. v. *cogo*, p. 218. Lindem. De quibus sermo sit, eo difficilius est constituere, quum praeter alia multa etiam hoc sit incertum, in Epiro exercitus, an in Italia fuerit. Ac Gerlachius quidem *maturaverunt* de Appio Claudio et P. Servilio intelligit, quorum ille in Macedoniam provinciam, hic in piratas proficisceretur; quod quamquam veri quandam speciem habet, v. ad

86. Illo profectus vicos castellaque incendere et fuga cultorum deserta igni vastare, neque late aut securus ire, metu gentis ad furta belli peridoneae.

Fr. I, 77. et I, 81., tamen *cogere* verbum obstare videtur, quod non tam *traiiciendi*, quam *colligendi* potestatem habet. Quare haud scio an melius sit de Sullae ex Graecia in Italiam reditu cogitare, *per legatos* exercitum Durrachium *colligentis*: cf. Plutarch. in Sulla c. 27, in. *Σύλλας δὲ διὰ Θετταλίας καὶ Μακεδονίας καταβὰς ἐπὶ θάλατταν παρεσκευάζετο χιλίαις ναυσὶ καὶ διακοσίαις ἀπὸ Δυῤῥαχίου διαβάλλειν εἰς Βρεντέσιον.* — Debrossius Fragmentum ad Curionis expeditionem in Macedoniam referens pro more suo in alieno libro exhibet, quae somnia non attinet refellere. — De usu *maturare* verbi cum infinitivo iuncti v. ad Catil. c. XXXVI, 3. p. 166 sq. Iug. XXXVI, 1. p. 211.

Fr. 86. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 32. ed. min. I, 102. p. 197, 20. Debr. II, 111. III, 20.] Verba sunt apud Nonium IV, 203. p. 310, 13. Merc., sed nonnullis corruptelis affecta, quibus coniectura mederi studuimus. Nam pro *late aut securus ire* in codd. legitur *elate aut setustissimus*, *elate aut fetustissimus*, in Ald. *elate aut securissimus*, quam scripturam Gerlachius in ed. mai. expressit, et Vol. III. p. 73. nulla ex parte sollicitandam esse pronunciavit. Sed neque fieri potest, ut *elate* pro *late* dicatur, quod ille mirifice contendit, neque superlativo locus est in tali sententia, neque probabilis structura verborum potest iniri. Quod fortasse sentiens Gerlachius in ed. min. scripsit *neque late aut securus a metu gentis*, quae lectio priore paullo melior tamen non satisfacit, quum praeter *a* praepositionem, cum sensus detrimento illatam, structura pariter impedita maneat, neque intelligatur, quomodo *securus a* in *securissimus* corrumpi potuerit. Rothius ad Non. l. l. p. 212. coniecit *neque elate aut fretus*, *simul metu*. Alio modo Douza loco succurrere studuit, scribens *neque elato aut securo esse animo*, quam coniecturam Cortius et Debrossius receperunt; sed quamquam tolerabilem habet sensum expeditamque structuram, tamen et nimis recedit a codicum vestigiis, neque sententiam praebet rei, quae narratur, bene accurateque convenientem. Nam quum de *expeditione* in aliquam regionem facta agatur, ad eam describendam non tam pertinet *quo animo dux fuerit*, quam qua ratione quave arte *iter fecerit*. Quare veram loci scripturam dedisse nobis videmur, *late aut securus ire* reponendo, qua mutatione nihil est facilius; *elate* enim, quod est in cod. A., eo ortum, quod ultima *neque* vocis littera sequenti voci adhaesit, *securus ire* autem male scriptum maleque lectum nemini incredibile erit in *securissimus* depravari potuisse. — *Ire* in re militari

CAP. IX.

Fragmenta, quorum interpretatio ne coniecturis quidem iniri potest.

87. Gens raro egressa finis suos.

88. Sic vero quasi formidine attonitus neque animo neque auribus aut lingua competere.

saepissime valet *iter facere*; cf. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 35. p. 440. ed. I.; *late ire* est igitur diducto et extenuato agmine ire, cui est oppositum artis stipatisque ordinibus incedere, cf. ad Iug. c. LXVIII, 4. p. 369., idque cauti ducis esse et per se patet, et intelligetur ex annotatis ad Iug. c. C, 1. p. 530. Quam accomodate igitur addatur *aut securus* facile videbis considerata propria huius vocis potestate, quam explicavimus ad Iug. c. LXXXVIII, 2. p. 473. Iam quae sequuntur optime caussam afferunt antecedentium; Romanus enim dux *non late aut securus ibat propter metum gentis*, i. e. *quia prudenter cavebat gentem*, de qua vocis *metus* potestate v. ad. Iug. c. LXX, 5. p. 376. Simul autem patet quam perverse Gerlachius verba *securus a metu* coniunxerit, neque assecutus, quominus iungantur, notionum naturam obstare, et *late* adverbio nudum respondere *securus* adiectivum, de quo structurae genere v. annotata ad Iug. c. XXXI, 2. p. 175. — *Furta belli* sunt *insidiae*, *fraudes*, iustae pugnae apertisque armis oppositae; cf. Curt. IV, 13, 4. *Furto, non proelio opus esse; intempesta nocte opprimi hostes posse.* Sil. XVII, 91. Virg. Aen. X, 734. XI, 515. ubi Servius ex hoc ipso loco affert *gens ad furta belli peridonea.* Iam si quaeris de quonam duce intelligendum sit Fragmentum, hoc unum certum est, non posse ad Pompeii res in Hispania referri, quod Debrossius fecit; de iis enim in *primo* libro plane non dictum est. Non magis vera est eandem ob caussam Gerlachii opinio, qui Vol. III. p. 73. de Curione aut de Lucullo cogitari posse censet. Non repugnabo autem, si quis de Metello sermonem esse statuat, in Hispania bellum gerente, quamquam concedendum est, etiam de Appio contra Thraces, et de Servilio contra piratas in Lycia pugnantibus verba intelligi posse.

Fr. 87. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 29. ed. min. I, 96. p. 197, 16. Debr. I, 100. III, 159.] Arusian. v. *egredior*, p. 227. ed. Lindem. Eadem verba habet Schol. ad Lucani Phars. V, 510. sed pro *gens* ibi legitur *ut*. De Thraciae aliqua gente haec dicta esse haud male suspicatur Debrossius. Quod si verum est, ad Appii res Fragmentum pertinet; cf. Fr. I, 81. 82.

Fr. 88. [Cort. p. 953. et p. 1004. Gerl. ed. mai. I, 24. et Inc.

89. Idem fecere Octavius et Q. Caepio sine gravi cuiusquam exspectatione, neque sane ambiti publice.

59. ed. min. I, 67. Debr. II, 45. et I, 49.] Non. IV, 110. p. 276, 18. Merc. Ad eundem Historiarum locum respexit Donatus ad Ter. Adelph. III, 2, 12. ex Sallustio memoriter referens: *neque animo neque lingua satis compotem.* Satis obscura verba exiguum lucis accipiunt ex eo, quod Donatus addit Sallustium his verbis usum esse „quum de amente Septimio loqueretur." Hunc Septimium enim eundem fuisse coniicio, de quo Cicero p. Vareno apud Priscian. III, 7, 40. p. 135. Kr. (Fragm. p. 443. Orell.): *Lucius ille Septimius diceret; etenim est ad Lucii Crassi eloquentiam gravis et vehemens et volubilis; Erucius hic noster Antoniaster est.* Quibus verbis quum Cicero aperte ludat oratorem aliquem ineptum, languidum ingenioque tardum, bene id convenit in eum, cuius Sallustius meminit, quamquam res ipsa ne sic quidem illustratur. Nihil enim attinet Debrossii respicere ineptias, qui Donati verba putat lecta fuisse in narratione de foedere cum Gaditanis a. 212. a. Chr. n. a L. Marcio Septimio facto ac postea renovato M. Lepido, Q. Catulo coss. (v. Cic. or. p. Balbo c. XV, 34.), locum autem a Nonio servatum de Lepido interpretatur, Apuleiae uxoris adulterio vehementissime perturbato. — Ad vim dictionis *competere auribus* explicandam rectam viam praeivit Perizonius ad Sanctii Minerv. IV, 4. p. 95. ed. Bau., praecipiens, quia *petere* verbi primaria potestas sit *ferri* sive *ire ad aliquid*, *competere* quasi esse *simul ire cum aliquo.* Quoniam autem quae simul eunt cum aliquo, propterea ei assunt sive praesto sunt atque parent, primum valde simplici ratione *animus*, *lingua*, *aures*, *oculi alicui competere* sic dicuntur, ut sensus sit, illa non abesse ab aliquo, sed ei integrum usum sui dare; cf. Liv. XXII, 5, 3. *Vix ad arma capienda aptandaque pugnae competebat animus.* Tum inversa structura sed sensu fere eodem dicitur *aliquis competere animo, auribus, lingua*, i. e. *animo* aut *auribus* (*alicui rei*) *adesse* sive animi, aurium, linguae *usum praesentem reique accommodatum habere*, quod simplicius est *valere animo;* cf. Tacit. Annall. III, 46. *Oppidani neque oculis neque auribus satis competebant.* id. Historr. III, 73. *Velut captus animi non lingua, non auribus competere.* — De *aut* particula duplici *neque* subiecta v. ad Iug. c. XVIII, 2. p. 107. — Ad vocem *attonitus* illustrandam Cortius bene contulit Senec. Nat. Qu. II, 27. *Hoc proprie fragor dicitur subitus et vehemens, quo edito concidunt homines; quidam vero vivi stupent et in totum sibi excidunt, quos vocamus attonitos, quorum mentes sonus ille coelestis loco pepulit.*

Fr. 89. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 70. ed. min. I, 72. p. 196, 3. Debr. I, 89. II, 147.] Verba attulit Servius ad Virg. Aen.

90. De praefecto urbis quasi possessore reipublicae magna utrimque vi contendebatur.

IV, 283. ut probaret *ambire aliquem* etiam ita dici, ut significet *rogare aliquem*. Quum multi Octavii et Caepiones Romae fuerint, non plane certum est, quosnam intellexerit Sallustius; tamen aliquam verisimilitudinis speciem habet eos significari, de quibus Cicero loquitur in Bruto c. 62, 222. *M. Octavium, Cn. F., qui tantum auctoritate dicendoque valuit, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis abrogaverit, — abducamus ex acie, et in praesidiis reipublicae collocemus. Eodem Q. Caepionem referrem, nisi nimis equestri ordini deditus a senatu dissedisset.* De M. Octavio cf. praeterea Car. Beier. ad Cic. de Off. II, 21, 72. p. 140. Sed quum prorsus ignoretur de quanam re in antecedentibus dictum fuerit, eo necessario efficitur, ut neque quas Octavii et Caepionis actiones dicat auctor sciamus, neque quo consilio quove loco eas retulerit constituere possimus. Quamobrem rationem a Debrossio et Gerlachio Vol. III. p. 76. initam, quippe quae incertissimis coniecturis nitatur, intactam relinquemus. — Quod ad verba ipsa attinet, *sine gravi cuiusquam exspectatione* est: *quum nemo id magnopere exspectaret.* — *Ambiti* ipse Servius docuit h. l. idem esse atque *rogati*.

Fr. 90. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. I, 38. p. 185, 8.] Fragmentum recens accessit ex Arusiani cod. Gud. p. 252. ed. Lind. Pro *possessore*, quae verissima est Lindemanni emendatio, in cod. corrupte legitur *possessio*; nam quum ultima genuini vocabuli syllaba casu excidisset, sive quod uncino *o* litterae imposito scripta fuit, sive quod proxima syllaba *re* eam absorpsit, scriba pro ingenii sui captu *possesso* in *possessio* mutasse videtur. Praefecturae urbis tria erant genera, tum re tum temporibus diversa. Aliud enim fuit munus praefecti urbis sub regibus atque sub consulum imperio, aliud feriarum latinarum tempore, aliud denique sub imperatoribus ab Augusto primum institutum. Ubi enim rex aut ambo consules belli caussa Roma aberant, eligebant potestatis suae in urbe vicarium, qui *praefectus urbi* vel *urbis* dictus summae rerum ita praesset, ut et iurisdictionem exerceret, et urbem tum ab externis tum ab intestinis periculis tutam praestaret, et ius senatum convocandi et ad eum referendi haberet. Sed abolitum est hoc institutum, ex quo tempore (a. 367. a. Chr. n.) praetor urbanus creari coeptus est, qui absentium consulum vice fungebatur, et tum militare quoque habebat imperium. Nullus igitur fuit per tria saecula praefectus urbi, donec ea potestas a. 47. a. Chr. n. per M. Antonium revocata aliquoties a I. Caesare et Octaviano, dum ab urbe aberant, in singulos collata est. Postremo

91. Obviam ire et commori hostibus.
92. Ut in ore gentibus agens, populo, civitati.
93. Prudens omnium, quae senatus censuerat.

Augustus, retento vetere muneris nomine, praefecturam urbis novam plane eamque ordinariam ac continuam potestatem constituit, summum imperii recens parti columen praesidiumque in novo munere et quaerens et consecutus, quod inde per omnia saecula imperii romani perduravit. — *Feriis latinis* quum omnes omnino magistratus in Albanum montem proficiscerentur sacrorum faciendorum caussa, ne urbs per triduum vel quatriduum (tot enim dies festum celebrabatur) prorsus sine magistratibus esset, *praefectus urbis feriarum latinarum* creabatur, qui, si quid magistratuum operam posceret, vicarium officium praestaret, quamquam consentaneum est graviora illis diebus negotia perpauca fuisse tractata. Neque viris aetate aut auctoritate gravibus id munus demandabatur, sed iunioribus, qui plerumque honorum curriculum ab eo auspicabantur; cf. Gell. XIV, 8. *Praefectum urbi latinarum causa relictum senatum habere Iunius negat, quoniam ne senator quidem sit, neque ius habeat sententiae dicendae, quum ex ea aetate praefectus fiat, quae non sit senatoria.* Strabo. V. p. 350. C. Almel. Mommsen Inscrr. Neap. n. 5491. De praefectura urbis v. Tacit. Ann. VI, 11.; eandem rem docta commentatione illustravit Car. Frankius, Berol. 1850. 4. et Gust. Linkerus in Actis Acad. Scient. Vindobon. a. 1853. Vol. X. p. 7 sqq. — Ex iis, quae modo disputavimus, patet apud Sall. *praefectum urbis* esse *feriarum latinarum.* Qui quum legeretur a consulibus, verba *utrimque contendebatur* significant inter utrumque consulem magnam contentionem fuisse *de praefecto legendo*, utroque alium fovente, ac neutro ad cedendum parato. Quoniam autem ea praefectura paucorum tantum dierum erat eiusque munia perquam exigua, Sallustius ad ridendam tantae contentionis de re parva vel pertinaciam vel vanitatem addit *quasi possessore reipublicae*, i. e. quasi is, qui obtineret, possessor esset reipublicae. Quum tantummodo de consulibus anni 78. vel 77. cogitari possit, non dubium est, quin Catulus et Lepidus, sibi infensissimi, intelligendi sint. Feriae latinae autem quum plerumque statim post initum a consulibus magistratum celebrarentur, illa contentio incidit in initium anni 78. a. Chr. n. Quare Fragmento locus assignandus est in c. IV. ante Fr. 45.

Fr. 91. [Cort. p. 953. Gerl. ed. mai. I, 22. ed. min. Inc. 80. p. 239, 25. Debr. IV, 83.] Verba ex *primo* laudat Arus. v. *commori*, p. 220. ed. Lind.; quare nulla caussa perspicitur, cur Gerlachius in ed. min. ad *Incerta* remiserit. Non magis Debrossius verum

94. Sanctus aliter et ingenio validus.

95. Nisi quum ira belli desenuisset.

tetigit, ad Spartacum verba referens, ut confligeret cum Crasso coactum; de quavis enim pugna verba dici potuerunt.

Fr. 92. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 79. ed. min. I, 101. p. 197, 19. Debr. I, 86.] Arus. v. *in ore*, p. 243. Lindem. ex *primo* affert *ut in ore gentibus agens;* sine libri indicio Donat. ad. Ter. Adelph. I, 2, 13. *in ore gentibus agens, populo, civitati.* Quae quum aperte coniungenda sint, nullo iudicio agit Gerlachius, qui *ut* omiserit, et Debrossium verba *populo, civitati* recte retinentem ridiculum dicat, neque dubitet Vol. III. p. 130. ad Pompeium verba referre, quod vel maxime est improbandum, quum Sallustius a laude Pompeii valde abhorreat. Si quid video, de *senatu romano* verba capienda sunt, cui ea melius conveniunt, quam ulli illius temporis homini. Qui quum dicatur *in ore gentibus, populo, civitati agere*, sensus est: omnium orbis terrarum gentium, totius populi romani atque omnium urbis Romae civium oculos in eum esse coniectos, universis facta consultaque eius spectantibus. Eadem dictione auctor usus est Fr. II, 50, 4. cf. ad Iug. c. XXXI, 10.

Fr. 93. [Cort. p. 953. Gerl. ed. mai. I, 25. ed. min. I, 76. p. 196, 71. Debr. I, 75.] Arus. v. *prudens*, p. 256. Lindem. De Lepido haec intelligit Debrossius, qui, quum in Etruria cum exercitu esset, per amicos certior fieret de senatus consultis atque decretis; cf. Appian. de B. C. I, 107. p. 153. Schw. *Οὐ λανθάνων ἐφ' οἷς ἐβούλευεν ἐκαλεῖτο ὑπὸ τῆς βουλῆς, καὶ οὐδὲ αὐτὸς ἀγνοῶν ἐφ' οἷς ἐκαλεῖτο ἦει μετὰ τοῦ στρατοῦ παντός.* Non plane improbavit hanc sententiam Linkerus de Praef. urbis fer. lat. p. 10.; sed res nimis incerta videtur. — *Prudens* h. l. valet *gnarus, intelligens;* v. ad Iug. c. XLIX, 2. p. 278.

Fr. 94. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 28. ed. min. I, 40. p. 185, 11. Debr. I, 20. et I, 82.] Charisius II. p. 114. Lindem. (p. 175. Putsch.) haec affert, ut probet *aliter* dici pro *alioquin* sive *alias*, i. e. alia rerum condicione, ceterum; cf. ad Catil. c. XXIX, 3, p. 135. supra Fr. I, 40. Hand. de Partice. Lat. Vol. I. p. 274. Multos esse, in quos haec verba quadrant, in promptu est; ex libidine igitur Debrossius ad Catulum retulit. Ad hunc locum respexisse Servium, qui ad Virg. Aen. III, 594. ex Sallustio laudat *sanctus alia*, fortasse probabile, sed minime certum est. v. Fr. Inc. 80.

Fr. 95. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 30. ed. min. I, 68. p. 195, 28. Debr. II, 51.] Priscian. X, 3, 20. p. 487. Kr. De vi *desenescere* verbi v. ad Iug. c. XXXV, 3. p. 207. Ceterum in re prorsus obscura Debrossius somniat hanc sententiam in Caesaris oratione pro gratia Lepidanis facienda fuisse.

96. Liberis eius avunculus erat.

97. Neque se recipere aut instruere proelio quivere.

98. Equi sine rectore exterriti aut saucii consternantur.

99. At inde nulla munitionis aut requie mora processit ad oppidum.

Fr. 96. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 33. ed. min. I, 77. p. 196, 8. Debr. V, 3.] Verba servavit Donatus ad Ter. Phorm. V, 6, 32. ut probaret dativum pro genitivo esse positum; quod quomodo fiat diximus ad Iug. c. VII, 4. p. 41. cf. Fr. V, 9. Quis fuerit, de quo auctor loquitur, constituere velle prorsus ineptum est.

Fr. 97. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 41. ed. min. I, 107. p. 198, 2. Debr. II, 100.] Verba, a Prisciano X, 9, 50. p. 509. ed. Kr. laudata, quo pertineant non liquet; Debrossius ad pugnam Lauronensem refert, vana et aperte falsa pro veris venditans. — *Instruere* cum dativo iunctum iterum habes Fragm. II, 33. *Antequam egressus Sertorius instrueret pugnae suos.*

Fr. 98. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 42. ed. min. I, 108. p. 198, 3. Debr. II, 99.] Hoc quoque Fragmentum, a Prisciano VIII, 15, 83. p. 419. Kr. laudatum, a Debrossio ad pugnam Lauronensem refertur, non dissentiente, ut videtur, Gerlachio. Nobis de nexu non constat; ceterum Priscianus monet *consternantur* non passivum, sed deponens esse; quare sensus est *equi consternationem faciunt pugnantium.* In universum similis est Taciti locus Agricol. c. 36, extr. *Exterriti sine rectoribus equi — transversos aut obvios incursabant.*

Fr. 99. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 44. ed. min. I, 110. p. 198, 6. Debr. II, 62.] Priscian. VII, 19, 94. p. 355. ed. Kr. — *Nulla munitionis mora* quid significet intelligendum est ex more militiae Romanae. Nam quum etiam in itinere castra cotidie munirentur (v. annotata ad Iug. c. XCIX, 1. p. 528.), ille mos celeritatis studio tum omissus est, ne munitionibus faciendis mora itineri fieret. — De genitivo *requie* satis diximus ad Iug. c. XXI, 2. p. 131. — Quis intelligatur et ad quodnam oppidum processum fuerit, prorsus est obscurum; nam sine ulla probabilitatis specie Debrossius et Gerlachius Vol. III. p. 74. ex Plutarchi Sertorio c. 13. colligunt de Metello agi Lacobrigam capere festinante.

Fr. 100. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 51. ed. min. I, 114. p. 198, 10. Debr. I, 96.] Servius ad Virg. Aen. VIII, 127. et Arusianus v. *decet*, p. 223. Lindem. — De verbi *decet* cum *dativo*

100. Locum editiorem, quam victoribus decebat, capit.

101. Neque detrusus aliquotiens deterretur.

102. Ea paucis, quibus peritia et verum ingenium est, abnuentibus.

103. Numeroque praestans, privus ipse militiae.

constructione, antiquioribus haud infrequente, v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 71, 4. §. 390. annotat. p. 351. ed. VIII. Ruddimann. Inst. Gram. Vol. II. p. 207. Vechner. Hellenolex. p. 363. Donat. ad Terent. Adelph. V, 8, 5. ibid. III, 4, 45. Taubmann. ad Plaut. Amphitr. II, 2, 188. ibid. III, 4, 24. Gell. IX, 15. — Ceterum unde sciat Debrossius ad Catulum haec spectare, Lepido apud Cosam victo (v. Fr. I, 54.) in editiore loco castra ponentem, equidem non assequor.

Fr. 101. [Cort. p. 966. Gerl. ed. mai. I, 66. ed. min. I, 120. p. 198, 22. Debr. III, 39.] Priscian. XV, 4, 24. p. 627. Kr. Pro *terretur*, quod vulgo in Sallustii editt. et apud Krehlium legitur, ex nonnullis codd. scripsi *deterretur*, sententia ita flagitante; *deterreri* enim proprium vocabulum est, si quis irrito conatu ita movetur, ut a re peragenda desistat. In summa rerum obscuritate Debrossius somniavit de Cyziceno cive, murum contra Mithridatis oppugnationem strenue defendente.

Fr. 102. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 73. ed. min. I, 84. p. 196, 14. Debr. I, 60.] Serv. ad Virg. Aen. XII, 694. Verbis Debrossius statuit Sallustium usum esse, quum loqueretur de perniciosis reipublicae opprimundae exemplis a Mario et Sulla invectis, deque malis potentiae comparandae artibus, quibus pauci tum abstinuerint. Sed *peritia* et *verum ingenium* potius de rebus recte iudicandis gerendisque, quam de pravis studiis malisque artibus intelligendum est, pariterque *abnuere* non de vitandis iis, quae male appetuntur, sed de reiiciendis iis, quae proponuntur ab aliis, dicitur. Quare verba suadent, ut cogitemus de aliqua sententia aut consilio proposito, quod plerique propter imprudentiam aut ingenii pravitatem amplecterentur, pauci tantum, veri magis intelligentes et honesti studiosiores, improbarent et abnuerent; sed quale illud fuerit dicere velle temerarium foret. — De potestate vocis *verum* v. annotata ad Iug. c. XVI, 1. p. 96.

Fr. 103. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. I, 99. p. 197, 17.] Fragmentum recens accessit ex Arusiani cod. Gud. p. 256. Quod ad sensum verborum attinet, *privus militiae* inusitato modo dictum videtur. Nam quum *privum* proprie sit, quod *singulorum* est, quoniam singuli e multitudine *eximendi* sunt,

104. Vacuam istam urbem hominibus militari aetate.

105. Quum murum hostium successisset, poenas dederat.

106. Quietam a bellis civitatem.

CAP. X.

Fragmenta paucissimis tantum aut singulis vocabulis composita.

---

107. Dubitavit acie pars.

inde fluxit potestas *auferendi* sive *orbandi*, in *privare* verbo maxime conspicua. Hanc autem vim Sallustius etiam adiectivo praeter consuetudinem tribuit, ita ut *privus militiae* sit *militiae expers*, i. e. militiae usum non habens, rei militaris ignarus. cf. Apul. de D. Socr. c. 43. *Turba imperitorum, priva verae sapientiae.* De quonam duce loquatur auctor, non potest affirmari.

Fr. 104. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. I, 53. p. 190, 10.] Verba recens addita exstant apud Arusianum v. *vacuus*, p. 265. ed. Lind. *Urbem hominibus* ex egregia Lindemanni coniectura scripsimus pro *urbibus*, ut depravate legitur in cod. Gud., qui solus haec verba continet. Sine idonea caussa Gerlachius hunc locum ad tumultum Lepidanum retulit.

Fr. 105. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 138. ed. min. Inc. 41. p. 238, 9. Debr. III, 39.] Verba habet Servius ad Virg. Eclog. V, 5. libro non indicato, unde ad Incerta retulerunt editores; sed ex *primo* esse docet Arusianus v. *successit*, p. 260. — De sensu et structura *succedere* verbi v. ad Iug. c. LVII, 4. p. 311. — *Poenas dederat*, quae verba Arusianus omisit, haud dubie ita dictum fuit, ut enunciatio condicionalis sequeretur, de quo dicendi genere bene egit Zumptius Gramm. Lat. c. 77, 2. not. §. 519. p. 449. ed. VIII.

Fr. 106. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 63. ed. min. I, 54. p. 190, 11. Debr. I, 64. et III, 134.] Arus. v. *quietus*, p. 257. Lind.

Fr. 107. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 67. ed. min. I, 121. p. 198, 23. Debr. II, 101.] Priscian. VII, 19, 93. p. 354. Kr. Serv. ad Virg. Georg. I. 208. Probus II, 1, 1. p. 101. Lindem. De genitivo v. ad Iug. c. XXI, 2. p. 131.

Fr. 108. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 68. ed. min. I, 122. p. 198, 24. Debr. II, 63,] Charisius II. p. 141. Lind. (p. 211. Putsch.) De anastrophe praepositionis v. ad Iug. c. CI, 8. p. 542.

Fr. 109. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 69. ed. min. I, 123.

108. Quos inter maxume.
109. Rumore primo.
110. Militiae periti.
111. Doctus militiam.
112. Egregius militiae.
113. Animi immodicus.
114. Libertatis insueti.
115. Fugam maturabat.
116. Paucos saltum insidentis.

p. 198, 24. Debr. II, 17. V, 62.] Charis. II. p. 129. Lind. (p. 192. Putsch.)

Fr. 110. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 64. ed. min. I, 103. p. 197, 22. Debr. I, 25. I, 26. II, 97.] Arus. v. *peritus*, p. 252. Vulgo editur *peritus*, sed pluralem exhibet cod. Gud.

Fr. 111. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 40. ed. min. I, 106. p. 198, 2. Debr. III, 15.] Arusian. v. *doctus*, p. 223. De structura cf. ad Cat. c. XXV, 2. p. 120.

Fr. 112. [Deest apud Cort., Gerl. ed mai. et Debr. — Gerl. ed. min. I, 95. p. 197, 15.] Arusian. v. *egregius*, p. 227. Fragmentum e cod. Gud. recens accedit.

Fr. 113. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. I, 97. p. 197, 16.] Arusian. v. *infelix*, p. 239. Verba primus edidit Lindemannus.

Fr. 114. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. I, 94. p. 197, 15.] Arusian. v. *insolens*, p. 241. Hoc quoque novum habetur.

Fr. 115. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 53. ed. min. I, 116. p. 198, 15. et Inc. 84. p. 240, 3. Debr. II, 7.] Hoc Fragmentum, quod est apud Arus. v. *maturus*, p. 247., in omnibus edd. male consutum legitur cum his verbis praemissis: *quum Sertorius neque crumperet tam levi copia navibus.* Sed haec, a Servio ad Virg. Aen. II, 564. corrupte et sine libri indicio laudata, summa tantum libidine huc trahi quivis facile videt. Temere igitur Gerlachius in ed. min. Arusiani verba, quae ex *primo* libro afferuntur, ad *Incerta* remisit, contra Servii, *Incertis* concedenda (v. Inc. 1.) simul cum Arusianis in *primo* exhibuit.

Fr. 116. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed min. I, 98. p. 197, 17.] Fragmentum recens accessit ex Arusiani cod. Gud. v. *insido*, p. 236.

117. Profectionem festinantes.

118. Solis viis.

119. Agreste.

120. Quaesere.

121. *Ἄζιλις πόλις Λιβύης· οἱ δὲ περὶ Σαλούστιον οὐ πόλιν, ἀλλὰ τόπον φασὶ καὶ ποταμὸν εἶναι.*

Fr. 117. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. Inc. 81. p. 239, 25.] Hoc quoque Fragmentum primum editur ex cod. Gud. Arusiani v. *festino*, p. 231. De transitiva *festinare* verbi potestate cf. ad Iug. c. XXXVII, 4. p. 216.

Fr. 118. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 35. Debr. III, 69. III, 117. III, 156. — In Gerl. ed. min. deest.] Donatus ad Terent. Phorm. V, 7, 86. — *Solae viae* sunt, quae per loca sola, i. e. solitaria ac deserta, ducunt; v. ad Iug. c. CIII, 1. p. 556.

Fr. 119. [Cort. p. 954. Gerl. ed. mai. I, 45. ed. min. I, 111. p. 198, 8. Debr. III, 152 et IV, 82.] Charis. I. p. 69. Lind. (p. 97. Putsch.)

Fr. 120. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. Inc. 17. p. 237, 12.] Hoc infinitivo Sallustium in *primo* libro usum esse tradit Eutychus II, 14. Corp. Gramm. Lat. Vol. I. p. 192; idem testatur Phocas ibid. p. 349. sed libro non nominato, unde Gerlachius ad *Incerta* retulit. De ipsa verbi forma et significatione cf. annotata ad Fragm. I, 55.

Fr. 121. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. Inc. 92. p. 240, 10.] *Azilis* urbis et fluvii notitia est apud Stephanum Byz. h. v. p. 41. ed. Berkel. Quae apud Strab. XVII. p. 1183. C. Almel. memoratur urbs ad oram Mauretaniae occidentalem *Ζηλίς*, in Itin. Anton. *Zilis*, cui hodie cum *fluvio cognomini* Arzila est vocabulum (v. Mannert. Geogr. Gr. et Rom. Vol. X, 2. p. 463. Forbiger. Geogr. antiq. Vol. II. p. 878.), non videtur diversa esse ab ea, quam Steph. Byz. affert. Haud improbabiliter igitur coiicias *Azilis* fluvii mentionem a Sall. esse factam, quum de Sertorio ageret apud Mauros commorante; v. Fr. I, 63. 64. Quod si verum est, Fragm. post I, 63. collocari debet.

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER II.

ARGUMENTUM.

CAP. I.

Lepidi res extremae ac mors in Sardinia narrantur. — Insulae descriptio et antiquitates. — Corsicae descriptio. — Perpernae cum Lepido coniuncti fuga ex Sicilia et Corsica in Galliam indeque in Hispaniam. Fr. 1—15. [Anni 77. 76. a. Chr. n.]

CAP. II.

Bellum Sertorianum. Pompeii in Hispaniam iter et adventus. — Eius ingenium illustratur. — Rerum gestarum narrationi praemittitur descriptio ingenii Hispanorum. — Pugnae apud Italicam, Lauronem, Turiam sive Saguntum, aliae. — Metelli in ulteriorem provinciam recessus. — Incertioris sententiae Fragmenta quaedam ad Sertorium spectantia. Fr. 16—37. [Anni 77—75. a. Chr. n.]

CAP. III.

Bellum contra piratas in Pisidia et Pamphylia a P. Servilio gestum. Fr. 38—40. [Anni 76—75. a. Chr. n.]

CAP. IV.

Bellum contra Macedonas et Dardanos a C. Scrib. Curione gestum. Fr. 41—43. [Anni 76—74. a. Chr. n.]

CAP. V.

Res urbanae. — Contentiones de restituenda potestate tribunicia. — Annonae caritas, eaque ortus plebis tumultus. — C. Cottae consulis oratio. — Terrae motus. — Fr. 44—52. [Anni 76. 75. a. Chr. n.]

CAP. VI.

Bellum Mithridaticum tertium. — De Mithridatis genere et maioribus, tum quo ingenio ac moribus fuerit, exponitur. — Belli initia et adiutores. — M. Cottae clades ad Chalcedonem. Fr. 53—61. [Annus 74. a. Chr. n.]

CAP. VII.

Fragmenta incertioris explicationis spectantia ad Pompeium, ad

Sertorium, ad pugnas et res bellicas, ad terrarum urbiumque situm, denique ad facta singularia. Fr. 62—90.

CAP. VIII.

Fragmenta paucissimis verbis composita. Fr. 91—102.

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIB. II.

CAP. I.

Lepidi res extremae ac mors in Sardinia narrantur. — Insulae descriptio et antiquitates. — Corsicae descriptio. — Perpernae cum Lepido coniuncti fuga ex Sicilia et Corsica in Galliam indeque in Hispaniam. Fr. 1—15.

---

1. Quum praedixero positum insulae.

Fr. 1. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 41. ed. min. I, 7. p. 200, 11. Debr. IV, 36.] Verba, quae Donatus ad Terent. Phorm. I, 2, 47. refert sine libri mentione, Gerlachius Vol. III. p. 126. probabili coniectura ad Sardiniae descriptionem spectare censuit. Sed quod ea in ed. min. iis Fragmentis postposuit, quibus iam de ipso Sardiniae situ et fabulosa aetate ac praeterea de Corsicae antiquitate agitur, parum placet. Nam quum vix dubitari possit, quin auctor initium secundi libri duxerit a Lepidi rebus persequendis, quas in primo usque ad eius fugam in Sardiniam narraverat (v. ad Fragm. I, 56.), consentaneum est haec verba in ipso exordio iis coniuncta fuisse, quibus Sallustius consilium de bello Lepidano in Sardinia gesto absolvendi declaravit. — *Praedicere* h. l. est *prius* vel *antea dicere*, quo sensu vocabulum saepius a Velleio et Quintiliano usurpatur; cf. Boetticheri Lex. Tacit. p. 367. et Bonnellii Lex. Quintil. p. 681.

Fr. 2. [Cort. p. 957. Gerl. ed. mai. II, 1. ed. min. II, 2. p. 200, 3. Debr. II, 28.] Verba servavit Gellius XIII, 29. et Nonius I, 262. p. 53, 1. Merc. Eadem cum multo pluribus attulit Isidorus XIV, 6, 39. p. 453. ed. Lind., sed non nominato Sallustio. Ex quo quamquam plurima petivit, tamen, quum auctorum verba raro integra laudet, sed alia omittere soleat, alia addere (cf. infra ad Fr. II, 13.), valde verendum est, ut Gerlachius et Debrossius hunc Isi-

2. Sardinia in Africo mari facie vestigi humani in orientem quam in occidentem latior prominet.

dori locum recte Sallustianis Fragmentis intulerint; v. Gerl. ed. mai. Inc. 221. Debr. II, 28. et II, 39. Sed quoniam Grammatici testimonio aliquantum lucis affunditur indubitatae fidei verbis, ex Sallustio a Gellio et Nonio allatis, totum locum hic apponemus. Isidorus igitur: *Haec*, inquit, *in Africo mari facie vestigii humani, in oriente quam in occidente latior prominet, ferme paribus lateribus, quae in meridiem et septentrionem vertunt, ex quo ante commercium a navigantibus Graecorum ἴχνος appellata. Terra patet in longitudine* (scrib. *longitudinem*) *milia CXL, in latitudine* (scrib. *latitudinem*) *XL. In ea neque serpens gignitur, neque lupus, sed solifuga tantum, animal exiguum hominibus perniciosum. Venenum quoque ibi non nascitur, nisi herba per scriptores plurimos et poetas memorata, apiastro similis, quae hominibus rictus contrahit et quasi ridentes interimit. Fontes habet calidos Sardinia, infirmis medelam praebentes, furibus coecitatem, si sacramento dato oculos aquis eius tetigerint.* Ex his ut incertum est quae re vera Sallustii sint, ita nonnulla insunt, quae explicatione egere videantur. — Sardiniae formam iam antiquissimis temporibus plantae humanae vestigio fuisse comparatam non solum Isidori verbis declaratur, sed cognoscitur etiam ex Hesychio Tom. II. p. 1149. ed. Albert. *Σανδαλώτη, ἡ Σαρδὼ πάλαι*, ubi v. interprr., et Pausania X, 17, 1. p. 664. ed. Bekker. *Ἑλλήνων οἱ κατ' ἐμποριαν ἐκπλέοντες Ἰχνοῦσαν ἐκάλεσαν, ὅτι τὸ σχῆμα τῇ νήσῳ κατ ἴχνος μάλιστά ἐστιν ἀνθρώπου.* Idem testatur Plin. H. N. III, 13. *Sardiniam ipsam Timaeus Sandaliotim appellavit, ab effigie soleae, Myrsilus Ichnusam, a similitudine vestigii.* cf. Sil. XII, 355. *Insula fluctisono circumvallata profundo Castigatur aquis, compressaque gurgite terras Enormes cohibet nudae sub imagine plantae: Inde Ichnusa prius Graiis memorata colonis.* Manil. Astron. IV, 629. *Sardiniam in Libyco signat vestigia plantae.* — Quod Isidorus Sardiniam XL milia passuum in *latitudinem* patere dicit, sive ex Sallustio hausit, sive ipse tradit, haud dubie falsum est. Quare ut numeri ratio propius ad veritatem accedat, coniicio pro XL inverso ordine esse scribendum LX; quamquam autem ne hoc quidem satis accuratum est (cf. Mannerti Geogr. Graec. et Rom. Vol. IX. P. II. p. 470.), tamen sic uterque numerus fere cum eo congruit, quem Pausanias X, 17, 1. prodidit. — *Herba apiastro similis* a Solino Polyhist. c. X. dicitur *herba Sardonia*, a Virgilio Ecl. VII, 41. *Sardoa herba*, ad quem locum Servius: „in Sardinia, inquit, nascitur quaedam herba, quae *Sardoa* dicitur, ut Sallustius dicit, *apiastri similis;* haec comesa ora *hominum rictus dolore contrahit et quasi ridentes interimit.*“ Inde risus fictus et amarulentus rhigentium

3. Ichnusa.

4. Sardus Hercule procreatus cum magna multi-

dictus *risus Sardonius*, *γέλως Σαρδόνιος* (v. Cic. Epp. ad Famm. VII, 25, 2.), sed mirifico originationis errore. Graeci enim, *Sardinia nondum cognita*, talem risum dixerunt *γέλωτα σαρδάνιον*; cf. Homer. Od. XX, 301 sq. *Μείδησε δὲ θυμῷ Σαρδάνιον μάλα τοῖον*, ad quem locum Scholiasta ed. Buttmann. p. 527., memoratis aliorum explicationibus, verissime: *ἄμεινον δέ*, inquit, *τὸν ἐπὶ καταμωκήσει προσποίητον γέλωτα παρὰ τὸ σεσηρέναι, ὅ ἐστιν ἀνοίγειν τὰ χείλη*. Qua vocis origine ignorata Latini malignum risum ad similitudinem effectus *Sardoniae herbae*, sibi bene cognitae, dixerunt *Sardonium*. Haec igitur forma ut Latinis scriptoribus concedenda est, ita apud Graecos scribendum *σαρδάνιος*, quam vocem Stallbaumius ad Platonis Polit. I. c. 11. p. 337. A. (p. 38. ed. Goth.) non debebat contra optimorum codd. auctoritatem alteri posthabere. — Ceterum cum Isidori verbis valde conveniunt, quae refert Solinus Polyhist. c. X. *Sardinia est quidem absque serpentibus; sed quod aliis locis serpens est, hoc solifuga Sardois agris, animal perexiguum simileque araneis forma. — Huic incommodo accedit et herba Sardonia, quae in defluviis fontaneis provenit largius iusto. Ea si edulio fuerit, vescentibus nervos contrahit, rictu ora diducit, ut, qui mortem oppetunt, velut ridentium facie intereant. — Fontes sane calidi et salubres aliquot locis effervescunt: — Sed qui oculis medentur, et coarguendis valent furibus. Nam quisquis sacramento raptum negat, lumina aquis attrectat: ubi periurium non est, cernit clarius. Si perfidia abnuit, detegitur facinus coecitate, et captus oculis admissum tenebris fatetur.* His Isidori et Solini verbis tum inter se, tum cum Servii testimonio de Sallustio comparatis, satis, opinor, elucebit utrumque res quidem a Nostro memoratas accurate tradidisse, verborum vero parum retinentem fuisse.

Fr. 3. [Cort. p. 957. Debr. II, 28. — Deest apud Gerl. ed. mai. — ed. min. Inc. 78. p. 239, 24.] *Ichnusam* antiquum Sardiniae nomen a Sallustio memoratum fuisse, facile intelliget, qui Solini verba Polyhist. c. X. *Sardiniam apud Timaeum Sandaliotin legimus, Ichnusam apud Crispum*, cum Isidori loco, ad Fr. II, 2. allato, contulerit. Imperite igitur Gerlachius Vol. III. p. 77. pro *Crispum* a Solino scriptum contendit *Chrysippum*, ut in nonnullis editionibus est, quamquam recte statuit Fragmentum a Carrione et sequentibus editorr. sic constitutum *inde Ichnusa appellata* ab orationis Sallustianae forma multum discrepare. De antiquo Ichnusae nomine vide etiam locum Aristotelis de Mirabill. Auscult. 100. infra ad Fr. II, 7. ascriptum, et ceterorum scriptorum locos ad Fr. II, 2. laudatos.

tudine a Libya profectus Sardiniam occupavit et ex suo vocabulo insulae nomen dedit.

5. Daedalum ex Sicilia profectum, quo Minonis fugerat iram atque opes.

Fr. 4. [Deest apud Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 221. ed. min. II, 3. p. 200, 5. Debr. II, 30.] Verba ab Isidoro XIV, 6, 39. p. 453. ed. Lindem. servata ut verum Sallustii Fragmentum putemus, quamquam de auctoris nomine prorsus siletur, rursus permovemur Solini consensu, qui in Polyhistore c. X. haec habet: *Nihil attinet dicere, ut Sardus ab Hercule et Norax a Mercurio procreati, cum alter a Liby u alter abusque Tartesso Hispaniae in hosce fines permeavissent. A Sardo terrae, a Norace Norae oppido nomen datum.* Accedit Silii, ex eodem fonte haurientis, auctoritas; cf. XII, 358 sq. *Insula — Ichnusa prius Graiis memorata colonis: Mox Libyci Sardus generoso sanguine fidens Herculis ex sese mutavit nomina terrae.* Pausanias X, 17, 2. p. 664. ed. Bekker. *Πρῶτοι δὲ διαβῆναι λέγονται ναυσὶν ἐς τὴν νῆσον Λίβυες· ἡγεμὼν δὲ τοῖς Λίβυσιν ἦν Σάρδος ὁ Μαχήριδος, Ἡρακλέους δὲ ἐπονομασθέντος ὑπὸ Αἰγυπτίων τε καὶ Λιβύων. — Καὶ τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ Σάρδου τούτου μετέβαλεν ἡ νῆσος.* Ceterum huius Fragmenti verba apud Isidorum ea praecedunt, quae supra ad Fr. II, 2. illustrandum ascripsimus. Sed quum rerum ordo vix patiatur de primis terrae incolis prius dici, quam de eius situ atque ingenio, non dubium est, quin Isidorus nonnullis, quae apud Sallustium legebantur, omissis, singulas narrationis partes traiecerit ac suo modo composuerit. — Pro *Sardus*, quam formam scriptorum consensus tuetur, Gerlachius in utraque editione male scripsit *Sardis*, ut in Isidori deterioribus codd. legitur. — *Vocabulum* pro *nomine* Sallustii, ut videtur, exemplo saepius dixit Tacitus; cf. Annall. XII, 27, 1. *Agrippina in oppidum Ubiorum coloniam deduci impetrat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius.* XII, 66, 3. *Deligitur artifex talium vocabulo Locusta.* XIII, 12, 1. *Delapsus Nero in amorem libertae, cui vocabulum Acte fuit.*

Fr. 5. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. V, 10. ed. min. II, 13. p. 201, 11. Debr. II, 33.] Verba Prisciani VI, 13, 70. p. 265. Kr. laudat ex *quinto*, quod falsum esse res ipsa clamat, quum in libro quinto nullus esset locus de Daedalo dicendi, *secundus* autem huius rei idoneam praeberet opportunitatem, ut sequentia Fragmenta ostendunt. Nihil autem fuit facilius, quam ut signum numeri II male scriptum in V abiret; cf. Prolegom. nostra ad Vellei. p. XLIII. — De Daedali, a Minoe expulsi, fuga in terras occidentem versus sitas

6. Daedalus primum Sardiniam, post delatus est Cumas.

7. Aristaeus post laniatum a canibus Actaeonem

cf. Aristotelem de Mirabill. Auscultatt. 81. Tom. II. p. 836. ed. Bekker. *Ἐν ταῖς Ἡλεκτρίσι νήσοις φασὶν εἶναι δύο ἀνδριάντας ἀνακειμένους· λέγεται δὲ τούτους Δαιδάλου εἶναι ἔργα, ὑπόμνημα τῶν πάλαι, ὅτε Μίνω φεύγων ἐκ Σικελίας καὶ Κρήτης εἰς τούτους τοὺς τόπους παρέβαλε.* Herodot. VII, 170. *Λέγεται Μίνω κατὰ ζήτησιν Δαιδάλου ἀπικόμενον ἐς Σικανίην, τὴν νῦν Σικελίην καλευμένην, ἀποθανεῖν βιαίῳ θανάτῳ.* Adde Diod. Sic. IV, 79. Vol. I. p. 322. Wessel., Pausan. I, 21, 4. p. 39. Bekk. id. VII, 4, 6. p. 419. Ceterum Sallustius insolenter ac paullo durius *fugere* simul cum adverbio loci et accusativo obiecti coniunxit, quorum illud intransitivum, hoc transitivum verbi sensum requirit. Fortasse ea re offensus Carrio ex cod. Thos. scripsit *cum Minonis fugeret iram atque opes;* sed eo sententia ita immutatur, ut Daedali fuga non ex Creta, sed ex Sicilia facta esse dicatur. Eundem sensum habet scriptura a Gerlachio in ed. mai. expressa: *quo Min. fugeret iram.* Sed ut probari nequit Daedalum Minois timore Siciliam reliquisse, ita ex eo, quod *opes* Minois fugisse dicitur, patet Cretensem fugam esse intelligendam. — Pro *Minonis* Gerlachius in ed. mai. male scripsit *Minois*, contra disertum Prisciani testimonium, qui *Minonis* a Sallustio eodem modo dictum esse docet, quo Syracusii *ἥρων, ἥρωνος* dicerent pro *ἥρως, ἥρωος*.

Fr. 6. [Deest apud Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 197. ed. min. II, 12. p. 201, 9. Debr. II, 34.] Verba laudavit Servius ad Virg. Aen. VI, 14., libri numero non indicato; sed ad eandem fabulam spectare, quam praecedens Fragmentum, nemo dubitabit. cf. Pausan. X, 17, 4. p. 665. Bekk. *Οἱ δὲ καὶ Δαίδαλον ἀποδρᾶναι τηνικαῦτα Καμίκου διὰ τὴν ἐπιστρατείαν τὴν Κρητῶν, καὶ ἀποικίας ἐς τὴν Σαρδὼ μετασχεῖν τῷ Ἀρισταίῳ νομίζουσιν.* De Daedali Cumas adventu cf. Silium XII, 90 sqq. — Quae in utraque Gerlachii ed. post *Daedalus* legitur *vero* particula, non Sallustii, sed Servii est, suam orationem nectentis; quare cum Debrossio delevimus.

Fr. 7. [Cort. p. 1010. Gerl. ed. mai. Inc. 196. ed. min. II, 11. p. 201, 4. Debr. II, 32.] Locus, a Servio ad Virg. Georg. I, 14. allatus, num plane genuinus sit, dubitari potest; nam eo quod Servius addit *ut Sallustius docet*, significari videtur rem potius, quam verba auctoris cum fide referri. Sed utut est, hoc certe patet, de Aristaeo fabulam a Sallustio in explicanda Sardiniae antiquitate re-

filium matris instinctu Thebas reliquit, et Cretam insulam tenuit primo, adhuc hominibus vacuam; postea, ea relicta, cum Daedalo ad Sardiniam transitum fecit.

8. Apollinis filio et Cyrenes.

latam fuisse; ac Servium satis accurate auctorem suum secutum esse iure colligas ex Silio, qui quum alia ex Sallustio hausit (v. ad Fr. II, 2. et II, 4.), tum locum de Aristaeo ex eodem expressit; cf. XII, 365 sqq. *Fama est quum laceris Actaeon flebile membris Supplicium lueret spectatae in fonte Dianae, Attonitum novitate mali fugisse parentem. Per freta Aristaeum et Sardoos isse recessus: Cyrenen monstrasse ferunt nova littora matrem.* Praeterea etiam Solinus Polyhistor. c. X. Aristaei ita mentionem facit, ut pateat hunc quoque ex Sallustio pendere. Eadem tradit Pausanias X, 17, 3. p. 665. Bekker. Aristaei cultus quomodo in Sardiniam invectus sit ibique obtinuerit, docetur ab Aristotele de Mirabill. Auscultatt. 100. Tom. II. p. 838. ed. Bekker, quem locum, quia et ad universam insulae antiquitatem et ad Fr. II, 4. illustrandum pertinet, totum hic apponemus: *Ἐν τῇ Σαρδοῖ τῇ νήσῳ κατασκευάσματά φασιν εἶναι εἰς τὸν Ἑλληνικὸν τρόπον διακείμενα τὸν ἀρχαῖον, ἄλλα τε πολλὰ καὶ καλὰ καὶ θύλους περισσοῖς τοῖς ῥυθμοῖς κατεξεσμένους. τούτους δ' ὑπὸ Ἰολάου τοῦ Ἰφικλέους κατασκευασθῆναι, ὅτε τοὺς Θεσπιάδας τοὺς ἐξ Ἡρακλέους παραλαβὼν ἔπλευσεν εἰς ἐκείνους τοὺς τόπους ἐποικήσων, ὡς κατὰ συγγένειαν αὐτῷ τὴν Ἡρακλέους προσήκοντας διὰ τὸ πάσης τῆς πρὸς ἑσπέραν κύριον Ἡρακλέα γενέσθαι. Αὕτη δὲ ἡ νῆσος, ὡς ἔοικεν, ἐκαλεῖτο μὲν πρότερον Ἰχνοῦσσα διὰ τὸ ἐσχηματίσθαι τῇ περιμέτρῳ ὁμοιότατα ἀνθρωπίνῳ ἴχνει, εὐδαίμων δὲ καὶ πάμφορος ἔμπροσθεν λέγεται εἶναι. Τὸν γὰρ Ἀρισταῖον, ὃν φασι γεωργικώτατον εἶναι ἐπὶ τῶν ἀρχαίων, τοῦτον αὐτῶν ἄρξαι μυθολογοῦσιν.* Propter soli igitur fertilitatem (cf. Strabo V, p. 343. C. Almelov. Pausan. X, 17, 1. p. 664. Bekk. Silius XII, 375. Mela II, 7.) Aristaeus, numen agri proventibus prospiciens (v. Cic. de N. D. III, 18. ibique Creuzer. p. 564.), a Graecis colonis etiam in Sardinia cultus est, unde fabula de eius in insulam adventu nata.

Fr. 8. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 38. ed. min. II, 6. p. 200, 10. Debr. II, 31.] Apud Probum II, 1, 16. (Corp. Gramm. Lat. Vol. I. p. 107.), qui haec verba laudat, pro *filio* est *filia*, haud dubie corrupte. Nam quum Apollinis et Cyrenes non alia proles nota sit quam Aristaeus, (cf. Serv. ad Virg. Georg. I, 14. IV, 317. Pausan. X, 17, 3. p, 665. et v. Boeckhii Explicatt. ad Pind. Pyth. IX. p. 324.) nihil est verisimilius, quam Sallustium in huius fabula ex-

9. Geryonis.

10. Troiano tempore invadendarum terrarum caussa fuerat navigatio *[uti Sallustius meminit.]*.

ponenda etiam originem eius tetigisse. Quare quum hoc Fragm. cum antecedente artissime cohaerere putandum sit, necessario sequitur auctorem non de *filia*, sed de *filio* Apollinis et Cyrenes dixisse. A rei veritate igitur non discedit Gerlachii coniectura, in ed. min. *filius* pro *filia* scribentis; sed quum Debrossius simpliciore via idem consecutus sit, *filia* in *filio* mutando, consultius duximus huius coniecturam recipere, quum ita depravationis caussa planissime perspiciatur.

Fr. 9. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 157. ed. min. II, 8. p. 200, 12. Debr. II, 35.] *Geryonis* nomen apud Sallustium lectum fuisse refert Servius ad Virg. Aen. VII, 662. Eius mentio haud dubie fuit in Sardiniae antiquitatibus illustrandis, ut cognoscitur ex Pausania X, 17, 5. p. 665. Bekk. *Μετὰ δὲ Ἀριστα῀ον Ἴβηρες ἐς τὴν Σαρδὼ διαβαίνουσιν ὑπὸ ἡγεμόνι τοῦ στόλου Νώρακι, καὶ ὠκίσθη Νῶρα πόλις ὑπὸ αὐτῶν. Ταύτην πρώτην γενέσθαι πόλιν μνημονεύουσιν ἐν τῇ νήσῳ, παῖδα δὲ Ἐρυθείας τε τῆς Γηρυόνου καὶ Ἑρμοῦ λέγουσιν εἶναι τὸν Νώρακα.* De Nora urbe v. Mannerti Geogr. Graec. et Rom. Vol. IX. P. II. p. 489.

Fr. 10. [Cort. p. 1011. Gerl. ed. mai. Inc. 208. ed. min. II, 9. p. 200, 12. Debr. II, 33. et III, 133.] Verba a Servio ad Virg. Aen. I, 299. sine libri indicio sic laudantur, ut magis sententiam spectasse videatur, quam orationis formam. Sed de antiquiorum hominum migrationibus a Sallustio dictum fuisse quum de primis Sardiniae incolis ageret, ex sequente Fragmento apertum fit; quare huic satis certum locum assignasse videmur.

Fr. 11. [Cort. p. 1010. Gerl. ed. mai. Inc. 200. ed. min. II, 10. p. 201, 3. Debr. II, 37.] Hic quoque locus magis ob res, quam ob verba huc pertinet; Servius enim ad versum Virgilii Aen. I, 601. *Quisquid ubique est Gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem*, haec annotavit: „Meminit historiae; multi enim post excidium Troiae orbis diversa tenuerunt, ut Helenus Epirum, Antenor Venetiam, *alii Sardiniam, secundum Sallustium.*“ Eundem Sallustii locum idem respicit ad Aen. I, 242. „Non sine caussa Antenoris posuit exemplum, quum multi Troianorum evaserint periculum, ut Capys, qui Campaniam tenuit, ut Helenus, qui Macedoniam, *ut alii, qui Sardiniam, secundum Sallustium.*“ Quid horum Sallustii sit, nemo dixerit; quare coniecturis omissis satis habemus Servii verbis huc collocandis digitum quasi intendisse ad id, quod auctor in hac Historiarum parte tractavit.

11. Capys Campaniam, Helenus Macedoniam, alii Sardiniam *[secundum Sallustium]* tenuerunt.

12. Tarrhos.

13. Sed ipsi ferunt taurum ex grege, quem prope littora regebat Corsa nomine Ligus mulier.

Fr. 12. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 48. ed. min. Inc. 22. p. 237, 15. Debr. II, 47.] Hanc Sardiniae urbem bis laudat Probus II, 1, 44. et II, 1, 50. p. 123. et 129. ed. Lind. Nomen pluralis numeri fuit *Tarrhi*, ut ex utroque loco patet; *Tarrhos* enim accusativus est, non nominativus, ut censet Mannertus Geogr. Graec. et Rom. Vol. IX. P. II. p. 504. et Cellarius Not. Orb. Ant. Vol. I. p. 773. ed. II; quamquam ille bene coniicit hanc urbem non diversam fuisse ab ea, quae a Ptolemaeo III, 3, 2. *Tarrae* dicitur; v. Mannertum l. l. et p. 485. Ceterum non potest constitui utrum in ipsa insulae descriptione Tarrhorum mentio facta sit, an locus propter Lepidi tumultum ibi excitatum memoratus fuerit. Debrossius certe nullum historiae testimonium secutus est, Lepidum Cosâ fugientem ad Tarrhos navi appulisse narrans.

Fr. 13. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. II, 15. ed. min. II, 4. p. 200, 7. Debr. II, 40.] Quoniam Lepidus cum iis, qui suam caussam secuti erant, rebus in Italia male cedentibus, Sardiniam simul et Corsicam occupaverat, Sallustius secundi libri initio de huius quoque insulae situ, natura et incolis disseruit. Verba laudavit Priscianus VI, 15, 80. p. 274. Kr. Ex eodem Sallustii loco multa desumpsit Isidorus XIV, 6, 41. III. p. 453. ed. Lindem., sed ita, ut nonnullis quidem verbis servatis orationis formam tamen immutaret, id quod supra iam ad Fr. II, 2. observavimus. Quare Isidori verba non ut novum Fragmentum exhibenda putavimus, quemadmodum priores editores fecerunt (v. Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. Inc. 222.), sed ad explicanda et illustranda ea, quae Priscianus attulit, hic subiiciemus. Igitur: „Corsicae insulae exordium, inquit, incolae Ligures dederunt, appellantes eam ex nomine ducis. Nam quaedam *Corsa nomine Ligur mulier*, cum *taurum ex grege*, *quem prope littora regebat*, transnatare solitum atque per intervalla corpore aucto remeare videret, cupiens scire incognita sibi pabula, taurum a ceteris digredientem usque ad insulam navigio prosecuta est. Cuius regressu insulae fertilitatem cognoscentes Ligures ratibus ibi profecti sunt, eamque nomine mulieris auctoris et ducis appellaverunt.“ Haec quamquam magnam argumenti similitudinem habent, tamen non possunt in unum conflari, quod Debrossius fecit (II, 40.), verbis a Prisciano allatis haec Isidori annectens: *cum*

14. Ne illa tauro paria sint.

15. Perrexere in Hispaniam an Sardiniam.

CAP. II.

Bellum Sertorianum. Pompeii in Hispaniam iter et adventus. — Eius ingenium illustratur. — Rerum gestarum narrationi praemittitur descriptio ingenii Hispanorum. — Pugnae apud Italicam, Lauronem, Turiam sive Saguntum, aliae. — Metelli in ulteriorem provinciam recessus. — Incertioris sententiae Fragmenta quaedam ad Sertorium spectantia.

---

16. Narbone per concilium Gallorum.

transnatare solitum etc., cui rei tum structura, tum discrepans laudatorum verborum ratio obstat. Quid Sallustius in describenda Corsica disputaverit, fortasse coniicias ex Solino Polyhistor. c. III. „Corsicam plerique in dicendo latius circumvecti plenissima narrandi absolverunt diligentia, nihilque omissum, quod retractari non sit supervacuum, *ut exordium incolis Ligures dederint, ut oppida ibi exstructa sint, ut colonias ibi deduxerint Marius et Sulla, ut ipsa Ligustici simus aequore alluatnr.*“ Nam quum verborum *ut exordium incolis Ligures dederint* consensus cum Isidoro ostendat, utrumque haec ex Sallustio expressisse, etiam relicua Solini ex eodem auctore desumpta videri possunt. Ceterum Lindemannus in Isidoro p. 453. falso edidit *Ligur mulier*; nam *Ligus m.* a Sallustio scriptum esse Priscianus l. l. disertis verbis testatur.

Fr. 14. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. II, 16. ed. min. II, 5. p. 200, 10. Debr. II, 41.] Verba a Donato ad Terent. Andr. IV, 2, 23. laudata iam priores interpretes ad eandem fabulam de tauro, Corsicam Liguribus monstrante, de qua antecedente Fragm. dictum est, retulerunt. Quod ut aliquam verisimilitudinem habet (nam alio libri II. loco rursus de alio tauro dictum fuisse non probabile videtur), ita de sententiae ratione aeque ac de scriptura prorsus incerta sunt omnia. Nam ex eo, quod Donatus dicit *ne* pro *nedum* esse positum (v. ad Catil. c. XI, 8.) ad nexum eruendum nihil proficias; quem quum ita constituerit Debrossius „Negant alii detectionem Corsicae per mulierem Ligurem, *verentes ne illa tauro parta sit*,“ et in structura *ne* particulae turpiter lapsus est, et in mutandis verbis lusit pueriliter, quamquam Gerlachii assensum Vol. III. p. 79. consecutus.

17. Pompeius cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. [Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi se et milites frequentibus exercitiis praeparasset ad proelia.]

Fr. 15. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 132. ed. min. II, 15. p. 201, 15. Debr. II, 50.] Verba, quae Gerlachius in utraque ed. dicit *incerto* Servii loco exstare, scilicet quia libri et versus numerus *apud Debrossium omissus est*, leguntur ad Virg. Aen. I, 329. Recte autem coniecit Debrossius Perpernae copias esse intelligendas, quae a Pompeio e Sicilia eiectae (v. Fragm. I, 41.) partim in Hispaniam, partim in Sardiniam abierunt, quam ob caussam Fragmentum, quod ex quo libro sit non indicavit Servius, hoc loco exhibuimus, quo de Lepidani belli reliquiis actum fuisse probabile est. *An* particulam, quae ita male habuit interpretes, ut Cortius mutaret in *et*, Debrossius in *aut*, non sollicitandam esse abunde patet ex Servii verbis, qui de variis huius particulae explicationibus agens Sallustii exemplo probat disiunctivam ei inesse potestatem; cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 342. §. 3., qui docte demonstravit *an* interdum prorsus abiecta vi dubitationis ita adhiberi disiungendis duabus notionibus, ut commode cum *sive — sive* particulis commutari possit; cf. Attius in Ione apud Priscian. VI, 1, 3. p. 219. Kr. *Ex taurigeno semine ortam fuisse an humano eam.*

Fr. 16. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 106. ed. min. II, 18. p. 201, 19. Debr. II, 66.] Verborum, quae exstant apud Cledonium p. 1876. ed. Putsch., certam explicationem haud facile inieris, ne libro quidem, in quo lecta sunt, cognito. Sed quum vix alio Historiarum loco *Narbonis* mentio fieri potuerit, quam ubi de Pompeii itinere in Hispaniam egit auctor, satis excusatum putamus, quod Fragmento hunc locum assignavimus, quo Sallustius ad bellum Sertorianum persequendum regressus non potuit non Galliae Narbonensis cum Hispaniensi bello rationem attingere. Nonnulla, quae huic interpretationi fidem faciant, leguntur in Ciceronis oratione pro Fonteio, velut c. 1, 3. *Est in eadem provincia Narbo Marcius, colonia nostrorum civium, specula populi Romani ac propugnaculum, istis ipsis nationibus oppositum et obiectum. — Huic provinciae M. Fonteius praefuit: — maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum imperavit.* ibid. c. 3, 6. *Cn. Pompeius hiemavit in Gallia M. Fonteio imperante.* His igitur cum Sallustii verbis collatis id quidem haud improbabile videatur de concilio Gallorum Narbone a Pompeio habito dici, quamquam de singulis nihil accuratius potest affirmari.

Fr. 17. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 62. ed. min. II, 55.

18. Neque virgines nuptum a parentibus mittebantur, sed ipsae belli promptissumos delegebant.

19. *[Sallustius ait]* Hispanorum morem fuisse, ut

p. 203, 29. Debr. II, 113.] Locum, qui exstat apud Veget. de re mil. I, 9., non praestiterim in *secundo* libro fuisse, quum sententia talis sit, quae in quovis alio obiter potuerit proferri. Sed si in rebus tam incertis satis fuerit aliquam probabilitatem secutum esse, non sine veri specie nobis videmur coniicere Sallustium statim initio huius libri prodidisse, quibus artibus Pompeius, Metello auxilio missus, id efficere studuerit, ut meliore successu contra Sertorium pugnaret. De exercitiis militaribus v. Lipsium de Milit. Rom. V, 14. p. 306 sqq. Nieupoort. de Rit. Rom. V, 5, 8. p. 386. ed. IX. Creuzer. Antiquitt. Rom. §. 256. p. 392. ed. II. *Alacres* Colerus bene interpretatur *expeditos et ad saliendum aptos*. — De vi *velox* vocis cf. annotata ad Iug. c. XVII, 6. p. 104 sq. — *Vecte certare* non alias memoratum legitur inter consueta militum exercitia, neque ex nostro loco colligas certum aliquod exercitationis genus fuisse ab hac voce nuncupatum. Sed quoniam vectis ope magnae moles et impedimenta amovebantur, quod non sine magnis corporis viribus neque sine acri contentione fieri poterat, Sallustius hoc tantum dicit, ubicunque res posceret Pompeium et ipsum manum vecti admovisse, quo militibus probaret, se ingenii pariter atque corporis viribus excellere ac nullis non militiae officiis sustinendis parem esse. Quod quantum valeret ad militum amorem imperatori conciliandum testatur Plutarchus in Mario c. 7., extr. *Ἥδιστον δὲ Ῥωμαίῳ θέαμα στρατιώτῃ στρατηγὸς ἐσθίων ἐν ὄψει κοινὸν ἄρτον ἢ κατακείμενος ἐπὶ στιβάδος εὐτελοῦς, ἢ περὶ ταφρείαν καὶ χαράκωσιν ἔργου συνεφαπτόμενος.* Verba *Neque enim — ad proelia*, quae uncis inclusimus, non Sallustii esse iudico, sed Vegetii. Talis enim observatio quantopere per se ipsa a Crispi ingenio aliena sit, quivis, qui eum accuratius noverit, intelliget. Tum eam suspectam reddit iudicium de Pompeio honorificentius, quam pro Sallustii in eum animo, quippe qui nunquam Pompeium Sertorio parem habuerit. Denique ipsa verba, imprimis *ille* pronomen et locutio *praeparare se ad proelia* interpretem potius Sallustii produnt, quam Sallustium ipsum.

Fr. 18. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 25. ed. min. II, 25. p. 201, 27. Debr. II, 110.] Verba, quae leguntur apud Arusian. v. *promptus*, p. 256. Lind., aperte testantur Sallustium in libro *secundo* de Hispanorum ingenio atque moribus disseruisse, quam ob caussam etiam duo sequentia Fragmenta ex *Incertis* huc traximus. Qua parte libri haec digressio facta sit, decernere non ausim; sed a ve-

in bella euntibus iuvenibus parentum facta memorarentur a matribus.

20. Celtiberi se regibus devovent et post eos vitam refutant.

risimilitudine non abhorrere videtur, auctorem, antequam res a Pompeio et Metello gestas persequeretur, ostendere studuisse, qui factum sit, ut Sertorius tam diu duorum adversariorum impetum sustinere ac frangere posset. — Dictio *nuptum mittebantur* immerito offendit Ursinum, qui maluit *promittebantur*, vel *tradebantur*; nam in *mittere* verbo h. l. non tam valet *ablegandi* notio, quam *tradendi* et ad maritum *deducendi*, cui aliarum gentium mori opponitur Hispanarum virginum consuetudo, sua sponte viros sumentium. — De *promptus* vocis potestate v. ad Catil. c. XLIII, 4. De structura cum genitivo cf. ad Iug. c. LXXXIV, 2. p. 438.

Fr. 19. [Cort. p. 1010. Gerl. ed. mai. Inc. 204. ed. min. II, 26. p. 202, 2. Debr. II, 109.] Verba a Servio ad Virg. Aen. X, 281. allata haud dubie ad eandem rem spectant, ut antecedentia; nam his quoque caussae explicantur, cur Hispani tam fortes atque bellicosi fuerint. Similia ad virtutem incitamina apud alias quoque gentes in usu fuisse interpretes ad h. l. observarunt, coll. Statio Silv. IV, 7, 43. et Tacit. Germ. c. 3. — Pro *memorarentur*, ut recte legitur apud Servium, omnes Sallustii editores perperam scripserunt *memorentur*.

Fr. 20. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 104. ed. min. IV, 86. p. 230, 15. Debr. III, 102.] Haec verba, quae Servio debentur ad Virg. Georg. IV, 218., inde a Carrione omnes editores praeter Debrossium cum alio Fragmento, ibidem IV, 211. (Fr. V, 1.) servato, coniunxerunt in unum, quasi sic vera Sallustii manus expressa esset. Sed quamquam sententiae similitudine efficitur, ut haud incommode haec Fragmenta conflata videri possint, tamen Carrionis coniecturam falsam esse planissime apparet ex Servio, qui disertis verbis monet huius Fragmenti verba de *Celtiberis* esse dicta, alterum ad *Parthos Medosque* spectare. Bis igitur erravit Gerlachius, qui utrumque locum ex Carrionis sententia in unum Fragm. coniunctum Vol. III. p. 132. ad Hispanos tantum refert, in ed. minore autem eundem de solis Asiae populis intelligi voluit. Rem a Sallustio traditam egregie illustrat Valer. Max. II, 6, 11. *Celtiberi etiam nefas esse ducebant proelio superesse, quum is occidisset, pro cuius salute spiritum devoverant*, quae verba ita cum nostris congruunt, ut vix dubitari possit, quin inde expressa sint. Ad eundem Sallustii locum respexit etiam Plutarchus in Sertorio c. 14, p. med. *Ἔθους δ' ὄντος Ἰβηρικοῦ τοὺς περὶ τὸν ἄρχοντα τεταγμένους*

21. Occurrere duci et proelium accendere, adeo uti Metello in sagum Hirtuleio in brachium tela venirent.

συναποθνήσκειν αὐτῷ πεσόντι, καὶ τοῦτο τῶν ἐκεῖ βαρβάρων κατάσπεισιν ὀνομαζόντων, τοῖς μὲν ἄλλοις ἡγεμόσιν ὀλίγοι τῶν ὑπασπιστῶν καὶ τῶν ἑταίρων, Σερτωρίῳ δὲ πολλαὶ μυριάδες ἀνθρώπων κατεσπεικότων ἑαυτοὺς ἠκολούθουν. cf. Strabo III. p. 252. A. Almelov. Similis mos devotionis apud Gallos obtinuit, ut Caesar tradit B. G. III, 22., ubi v. doctam Herzogii commentationem. — *Post eos*, i. e. iis occisis vel mortuis. cf. Hand. de Partice. Latt. Vol. IV. p. 492. §. 4. — *Refutare vitam* est vitam *aspernari*, vita frui nolle; cf. Cic. p. Rabir. c. 16, 44. *Quam bonitatem non modo non aspernari ac refutare, sed complecti etiam et augere debetis.* De verbi potestate v. Forcellini Lex. ed. German.

Fr. 21. [Cort. p. 961. Gerl. ed. mai. II, 43. ed. min. II, 67. p. 204, 17. Debr. II, 119.] Non. XIV, 10. Quamquam nexu sublato priora facta paullum sunt obscura, tamen universum Fragmentum haud difficilem habet explicationem. Nam de pugna apud *Italicam* ineunte anno 75. a. Chr. n. commissa sermonem esse nemo potest dubitare, collato Orosio V, 23. *Postea Hirtuleius cum Metello congressus apud Italicam Baeticae urbem viginti millia militum perdidit; victusque in Lusitaniam cum paucis refugit.* De eadem pugna intelligenda sunt etiam verba Epitom. Liv. lib. XCI. Q. *Metellus proconsul L. Hirtuleium, quaestorem Sertorii, cum exercitu cecidit.* Alia quaedam, sed quibus nulla lux Sallustii verbis affunditur, habet Frontin. de Strategem. II, 1, 2. et II, 3, 5. — Gerlachius Vol. III. p. 82. pro *duci* necessario aut *duces* aut *ducibus* scribendum esse censens in ed. min. vulgatam retinuit; recte, opinor; nam licet ignoretur subiectum verbi *occurrere*, neque constet quisnam *ducis* vocabulo significetur, tamen haec obscuritas, in Fragmentis frequentissima, iustam corrigendi caussam non habet. — *Sagum* in universum appellabatur *vestis militaris*, cf. Nieupoort. de Rit. Rom. VI, 1, 3. p. 409. ed. IX.; sed imperatoris proprium erat *paludamentum*, v. Nieup. l. l., Lips. de Mil. Rom. II, 12. p. 92 sq., Nitschii Antiquitt. Rom. Vol. I. p. 361. ed. III., Gronov. et Duker. ad Liv. XLI, 10, 5. Quo quum duces ad ornatum et ad dignitatem uterentur, facile patet, cur Sallustius, ubi de *pugnae usu* sermo est, id vulgari *sagi* vocabulo appellaverit. — *Venire tela* dicuntur, quae iacta vehementi impetu accidunt; cf. Cic. Tusc. II, 23, 56. *Pugiles ingemiscunt, quia profundenda voce omne corpus intenditur venitque plaga vehementior.* Ovid. Trist. V, 10, 21. Virg. Aen. V, 500. IX, 692., quae exempla Wassio debentur.

22. Quis a Sertorio triplices insidiae per idoneos saltus positae erant; prima, qui fronte venientis exciperent.

Fr. 22. [Cort. p. 978. Gerl. ed. mai. III, 27. ed. min. II, 72. p. 204, 25. Debr. II, 98.] Verba Servius partim refert ad Virg. Georg. II, 98., partim ad Aen. X, 896., sed ita, ut dubitari nequeat, quin Fragmentum ex utroque loco recte conflatum sit. Ita enim Servius ad priorem locum: „Sallustius ait: *Quis a Sertorio triplices insidiae per idoneos saltus positae erant; prima,* — et subaudiendum relinquit *insidia*, quod penitus dicere non possumus." Ad Aen. l. l. vero haec habet: „Item Sallustius: *prima, qui fronte venientes exciperet,* — quum de *insidiis* loqueretur, quas numeri tantum pluralis esse plus quam manifestum est." Eodem respicit Charis. I, 18, 8. p. 54. ed. Lind. (p. 75. ed. Putsch.): „*Insidiae* pluraliter dici debent; sed Sallustius de insidiis *prima* inquit." — Pro *quis a Sertorio* Carrio male edidit *quia Sertorio.* Vulgarem pronominis formam *quibus* Gerl. in utraque ed. contra codd. intulit; cf. ad Iug. VII, 6. p. 44. — Ut structuram exaequaret, Putschius scripsit *prima, quae — exciperet;* sed rectius Gerlachius, in verbo vitium inesse assecutus, in ed. min. exhibuit *qui — exciperent;* pluralem enim per synesin ad *prima* vocem referri in aperto est. — *Fronte* quid esset non capiens Putschius inde fecit *fonte*, quod temere editiones invasit; peius etiam Gerlachius in utraque ed. dedit *forte*, licet Vol. III. p. 101. *fronte* scribendum esse pronunciasset. Ne multa, *fronte venire* est *ex adversum venire;* v. Walch. ad Taciti Agric. c. 34. p. 355. — Librum Historiarum, unde desumptum est Fragmentum, non indicavit Servius; sed quin ad *secundum* pertineat dubitari nequit, quum Debrossius feliciter perspexerit in narratione de obsessa Laurone urbe verba lecta fuisse. Rem plane certam reddit Frontin. Strateg. II, 5, 31., cuius verba, quae nostrum locum egregie illustrant, hic apponemus. „Sertorius, inquit, in Hispania, quum apud Lauronem oppidum vicina castra Pompeii castris haberet, et duae tantummodo regiones essent, ex quibus pabulum peti posset, una in propinquo, altera longius sita, ea, quae in propinquo erat, subinde a levi armatura infestari; ulteriorem autem vetuit ab ullo armato adiri, donec persuasit adversariis tutiorem esse, quae erat remotior. Quam quum petissent Pompeiani, Octavium Graecimum cum decem cohortibus in morem Romanorum armatis, et decem Hispanorum levis armaturae, et Tarquinium (corr. *Tarquitium*, v. Drumanni Hist. Rom. IV. p. 363. not. 43.) Priscum cum duobus millibus equitum ire iubet ad insidias tendendas pabulatoribus. Illi strenue imperata faciunt. Explorata enim locorum natura in vicina silva nocte praedictas copias ab-

23. Receptis plerisque signis militaribus cum Laeli corpore.

24. Inter laeva moenium et dextrum flumen Turiam, quod Valentiam parvo intervallo praeterfluit.

scondunt, ita ut *in prima parte* leves Hispanos, aptissimos ad furta bellorum, ponerent, *paullo interius* sculatos, in *remotissimo* equites. Ne fremitu equorum cogitata proderentur, quiescere omnes silentio servato in horam tertiam diei iubet. Quum deinde Pompeiani securi oneratique pabulo de reditu cogitarent, et ii quoque, qui in statione fuerant, quiete invitati ad pabulum colligendum dilaberentur, emissi primum Hispani velocitate gentili in palantes effunduntur, et convulnerant confunduntque nihil tale exspectantes; prius deinde, quam resisti his inciperet, scutati erumpunt e saltu, et redeuntes in ordinem consternunt vertuntque; fugientibus equites immissi toto eos spatio, quo redibatur in castra, persecuti caedunt ..... Hoc primum proelium inter Sertorium et Pompeium fuit." cf. Appian. B. C. I, 109. *Ἀφικομένου δ' ἐς Ἰβηρίαν (Πομπηΐου), αὐτίκα ὁ Σερτώριος τέλος ὁλον, ἐπὶ χορτολογίαν ἐξιὸν, αὐτοῖς ὑποζυγίοις καὶ θεράπουσι συνέκοψε, καὶ Λαύρωνα πόλιν ἐφορῶντος αὐτοῦ Πομπηΐου διήρπασε καὶ κατέσκαψεν.* De eadem re v. Plutarch. in Sertor. c. 18. Praeterea cf. etiam Fr. Inc. 10.

Fr. 23. [Deest apud Cortium, Gerlachium ed. mai. et min. et Debrossium.] Fragmentum servavit Commentator vetus ad Cicer. or. p. Flacco, apud Ang. Maium in Auct. Class. Tom. II. p. 16., ubi haec leguntur: „Sed enim quod paternum amicum Cn. Pompei Laelium dicit, opinor ad tempus belli Sertoriani esse referendum, quo ibidem Laelius pater huius ab Hirtuleianis interfectus est, *ut ait Sallustius*, receptis plerisque signis militaribus cum Laeli corpore." Verba, quae diductis litteris exprimenda curavimus, num sola Sallustii sint, an nonnulla etiam ex antecedentibus ei tribui debeant, in incerto relinquendum est; sed quin recte ad *secundum* Historiarum librum ea retulerimus non potest dubitari, quum in primo de Pompeio nondum dictum fuerit. Rursus autem ambiguum est, quanam pugna Laelius a Hirtuleianis caesus sit; quare nihil aliud potest constitui, quam ante pugnam ad Segoviam, qua occiderunt Hirtuleii (v. Flor. III, 22, 7.), Laelium interfectum esse, qui in pugna Lauronensi adhuc legati munere fungeretur, teste Frontino Strategem. II, 5, 31.

Fr. 24. [Cort. p. 957. Gerl. ed. mai. II, 12. ed. min. II, 42. p. 202, 18. Debr. II, 121.] Fragmentum plene exstat apud Priscian. VI, 2, 9. p. 224., qui praeterea priorem eius partem usque ad *Turiam* vocem laudat libro V, 2, 6. p. 169. Ad eundem Sallustii lo-

25. Avidis ita promptisque ducibus, ut Metellus ictu tragulae sauciaretur.

26. Sed Metellus in volnere.

cum respexerunt etiam Probus II, 1, 15. p. 105. et Phocas de Nom. et Verbo II, 1. p. 324., perverso iudicio *Turiam* neutro genere a Sallustio positum contendentes; qui error, unde fluxerit quamquam scite a Prisciano l. l. demonstratum est, tamen eius sententiam tam parum intellexit Gerlachius Vol. III. p. 78., ut etiamnum *Turiae* fluminis genus incertum esse statuat. — Verba ipsa haud dubie sunt de *pugna Turiensi* intelligenda, de qua v. quae dicemus ad Fr. III, 1, 6. — De *Valentia* urbe v. Ukert. Geogr. Graec. et Rom. Vol. II. P. I. p. 413 sq. — Structuram adiectivi pluralis neutro genere cum genitivo compositi illustravimus ad Catil. c. LIX, 2. p. 314. Nota autem insignem dicendi brevitatem, qua *inter laeva moenium* etc. dictum est pro *inter moenia, quae erant a parte laeva, et flumen Turiam, quod erat a dextra.*

Fr. 25. [Cort. p. 961. Gerl. ed. mai. II, 44. ed. min. II, 68. p. 204, 20. Debr. II, 133.] Verba bis laudat Nonius, IV, 432. p. 398, 7. Merc. *avidisque, ita promptis ducibus, ut* etc., et XVIII, 8. p. 553, 27. *avidissimis atque promptis ducibus, ut* etc. Scripturam utroque loco corruptam emendavimus ex cod. Par. A. Vulgo in Sall. edd. legitur *avidisque ita promptisque ducibus* etc. *Avidi* duces dicuntur *pugnandi confligendique: prompti* sunt, qui strenue pugnam capessunt. Quod ad rem ipsam attinet, Freinshemius in Supplem. Livv. XCI, 26. huius Fragmenti priorem partem cum posteriore Fr. II, 21. in unum conflatam de pugna apud Italicam intellexit; quod falsum esse iam Douza vidit, quum ex Plutarcho clare pateat in pugna ad *Saguntum* tragula vulneratum fuisse Metellum; cf. Sertor. c. 21., in. Ἐν δὲ τοῖς Σεγουντίνων (scrib. Σαγουντίνων) πεδίοις εἰς τὰς ἐσχάτας ἀπορίας κατακεκλεικὼς τοὺς πολεμίους ἠναγκάσθη συμβαλεῖν αὐτοῖς καταβαίνουσιν ἐφ' ἁρπαγὴν καὶ σιτολογίαν. Ἠγωνίσθη δὲ λαμπρῶς παρ' ἀμφοτέρων, καὶ Μέμμιος μὲν, ὁ τῶν ὑπὸ Πομπηΐῳ στρατηγῶν ἡγεμονικώτατος, ἐν τῷ καρτερωτάτῳ τῆς μάχης ἔπεσεν, ἐκράτει δὲ Σερτώριος, καὶ φόνῳ πολλῷ τῶν ἔτι συνεστώτων ἐωθεῖτο πρὸς αὐτὸν τὸν Μέτελλον. Ὁ δὲ παρ' ἡλικίαν ὑποστὰς καὶ περιφανῶς ἀγωνιζόμενος παλεταὶ δόρατι. Eandem pugnam memorat etiam Appianus de B. C. I, 110. p. 157. ed. Schweigh. Οὐ πολὺ δὲ ὕστερον ἀγῶνα μέγαν ἠγωνίσατο περὶ Σαγουντίαν (scrib. Σάγουντον) ἐκ μεσημβρίας ἐπὶ ἄστρα, κ. τ. λ. — *Tragula* genus quoddam erat teli missilis, de quo cf. Herzog. ad Caes. B. G. I, 26. et V, 48.

Fr. 26. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. II, 45. ed. min. II, 69.

27. Saguntini, fide atque aerumnis incluti prae mortalibus, studio maiore quam opibus (quippe apud quos etiam tum semiruta moenia, domus intectae parietesque templorum ambusti manus punicas ostentabant) . . .

28. Saguntium.

p. 204. 21. Debr. II, 136.] Verba, quae exstant apud Donatum ad Terent. Andr. II, 1, 10., non multum videntur ab iis remota fuisse, quae antecedente Fragmento continentur; certe argumenti similitudo non obest, quominus utrumque iuxta collocetur.

Fr. 27. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 119. ed. min. II, 59. p. 204, 6. Debr. II. 132.] Fragmentum, quod conservavit Hieronym. ad Habacuc. c. 9., perquam corrupte olim sic edebatur: „Saguntini, fide atque aerumnis incluti, per mortalium studium maiores quam opibus; quippe qui etiam tum semiruta moenia, domus intectae parietesque templorum ambusti manus Punicas ostentabant.“ Exiguam his afferebat medelam Putschii emendatio *quippe quis*, in qua relicui editores omnes acquieverunt. Primus Gerlachius verba ipsa mendis purgata ex melioribus Hieronymi libris exhibuit, sed perversa interpunctione, commate, quo post *mortalibus* distinximus, post *incluti* posito, structuram aeque ac sententiam rursus mirum quantum obscuravit. Nam quomodo *prae mortalibus* cum sequente sententia comparativa coniungi possit, nemo, ac minime Gerlachius ipse dixerit; at iisdem verbis ad *incluti* relatis existit commodissima sententia haec: *fidei atque aerumnarum famâ mortales longe praecedentes*. Quamvis liber Historiarum ab Hieronymo non indicatus sit, tamen vix dubium est, quin verba in narratione de pugna Turiensi, quae etiam dicitur apud Saguntum (v. ad III, 1, 6.), lecta fuerint. Quoniam praedicatum deest, difficile est sententiam constituere; sed quum non improbabile sit Metellum post pugnam cum parte copiarum Saguntum se recepisse, coniicio Sallustium fere tale quid dixisse: Saguntini, fidissimi Romanorum socii, studio maiore quam opibus (quippe qui ex ingenti calamitate sua vires nondum receperant) pro Romanis nitebantur ac saucios milites et laboribus confectos reficiebant curabantque. Sed utcunque est (nam etiam aliud dici potuisse facile concedo), hoc tamen constat verba *quippe apud quos — ostentabant* in parenthesi fuisse, cui inferendae *quippe* saepissime inservit; v. quae annotavimus ad Vell. II, 15, 1. p. 135.

Fr. 28. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 28. ed. min. II, 54, p. 203, 28. Debr. II, 96. et II, 131.] Unicum hoc vocabulum refert Charis I. 21, 191. p. 82. Lind. (p. 115. Putsch.], quo probet *Saguntium* pro *Saguntinorum* a Sallustio dictum esse. Gerlachius Vol. III,

29. At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus magna gloria concurrentium undique virile et muliebre secus per vias ac tecta omnium visebatur. Eum quaestor C. Urbinus aliique, cognita voluntate, 2 quum ad coenam invitassent, ultra Romanorum ac mor-

p. 125. hanc formam a *Saguns* descendere ratus, tamen, quia neque *Aruns*, neque *Taguns* recte conferri possint, exempla huius terminationis desiderat. Facile credo. Sallustius enim non tam ineptus fuit, ut *Saguns* nomen usurparet, sed hoc sibi permisit, ut pro consueta *Saguntinus* forma diceret *Saguntius*, quemadmodum, ut hoc utar, et *Crustuminus* dicebatur et *Crustumius*, genitivum plur. autem faceret *Saguntium* pro *Saguntiorum*, quemadmodum *liberum*, *socium*, *modium*, *Rutulum*, *Celtiberum* dicebatur pro *liberorum*, *sociorum* etc. cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. lat. II, 1. p. 69. sq. Drakenb. ad Liv. XXII, 22, 5. — Fragmentum eiusdem loci esse atque praecedens dubitari non potest.

Fr. 29. [Cort. p. 960. Gerl. ed. mai. II, 41., ed min. II, 52. p. 203, 6. Debr. II, 139.] Fragmentum, quod servavit Macrobius Saturn. II, 9., hoc loco collocandum putavimus, quia consentaneum videtur Metellum non nisi rebus prospere gestis Hirtuleiisque victis et occisis ac Sertorio ad cedendum coacto tantum fastum sumpsisse luxuriaeque supra modum se dedisse; cf. Plutarchi locum infra ad §. 5. ascriptum. Ceterum ut tempus, quo regressus est Metellus, non potest accurate definiri, ducibus in illo bello saepe loca mutantibus, ita quae pars Hispaniae a Sallustio significetur pariter incertum est; nam valde ambiguis finibus distinxisse Romanos *ulteriorem Hispaniam* a *citeriore* abunde demonstravit Ukertus in Geogr. Graec. et Rom. Vol. II. P. I. p. 304—7.; in universum tamen ea Hispaniae pars intelligenda videtur, cui Baeticae nomen fuit. — *Gloria* h. l. non est *gloriatio* Metelli, ut Gerlachius censet, sed *officiosa honoris significatio*, qua Hispani Metellum redeuntem excipiebant; quae vocis potestas quamquam insolens est, tamen a genitivi ratione subiectiva excusationem habet; nam ut *amor civium* non solum significat amorem, quo cives fruuntur, sed etiam quo diligunt aliquem, ita *gloria concurrentium* non tantum est gloria, qua ab aliis ornati concurrentes gaudent, sed etiam qua alios afficiunt ipsi. Ceterum ex hac ipsa caussa perspicitur vitiose apud Macrobium scriptum esse *concurrentibus*; veram scripturam tuetur Nonii auctoritas, qui III, 193. p. 222, 21. verba *At Metellus — visebatur* attulit. — *Secus* iam Carrio exhibuit pro *sexus*, quod perperam et apud Macrobium et in aliquot Nonii codd. legitur; nam Sallustium scripsisse *secus*

talium etiam morem curabant, exornatis aedibus per aulaea et signa, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis; simul croco sparsa humus, et alia, in modum

probatur testimonio Probi Instit. Gramm. II, 1, 41. p. 131. „*Secus* duas res significat, adverbium separandi, et sexum; Sallustius: *virile ac muliebre secus*.“ cf. Charis. I. 16, 49. p. 11. Lindem. (p. 61. Putsch.) „*Secus* neutri generis est nomen, ut et Sallustius *virile secus* dicit, hoc est *virilis sexus*, quod per omnes casus integra forma declinatur.“ Quod ad usum vocis attinet, Charisius l. l. pariter atque Gronovius ad Liv. XXVI, 47, 1. et Cortius ad h. l. eius rationem non perspexerunt, quorum opiniones bene refutavit Drakenborchius ad Livii l. l. Nimirum *secus* vox, quam illi vel indeclinabilem esse, vel genitivi aut ablativi potestatem habere dicunt, non nisi cum adiectivis *virile et muliebre* coniuncta accusativo tantum casu ponitur, cuius ea vis est, ut praecedens nomen accuratius definiat; cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 462. Kruegeri Gramm. lat. §. 323. not. 3. p. 428. Tacit. Annall. IV, 62, 2. *Affluxere avidi talium imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti virile ac muliebre secus, omnis aetas.* — *Visebatur* Gerlachius Vol. III, p. 81. pessime interpretatur *honoris et officii caussa adibatur*, provocans ad Donati auctoritatem, qui ad Terent. Hecyr. I, 2, 113. docet *visere* officii esse. Quod ut per se verum est, ita minime convenit cum Sallustii verbis antecedentibus; nam quomodo Metellus officii caussa *per vias ac tecta omnium adiri* potuerit, praeter Gerlachium vix quisquam assequatur. Verba hunc sensum habent: quum Metellus in ulteriorem Hispaniam regrederetur, undique confluebant, qui *eum redeuntem* vel in via vel ex aedibus *spectarent*, honori eius hoc tribuentes.

§. 2. *Eum quaestor — quum ad coenam invitassent*) In omnibus Sallustii edd. haec ita leguntur: *quum quaestor — eum ad coenam invitaverant.* Sed quum apud Macrobium, unicum huius Fragmenti fontem, verba ita exstent, ut in contextu expressimus, ab hac scriptura tum propter externam fidem, tum quia linguae usu magis commendatur, non recedendum putavimus; nam ut insolens est oratio a *quum* incipiens demonstrativo subsequente, ita inversa ratio longe est tritissima et ad nectendam orationem aptissima. — Pro *invitassent* omnes Sallustii edd. tenent *invitaverant*, quod per se non est damnandum; sed coniunctivus non solum Macrobii codicibus sustentatur, sed etiam propter caussae notionem cum condicionis vi quodammodo coniunctam huic loco melius convenit; cf. Liv. II, 27, 8. *Desperato consulum senatusque auxilio, quum in ius duci debitorem vidissent, undique con-*

templi celeberrumi. Praeterea quum sedenti transenna demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti imponebat, tum venienti ture

volabant; neque decretum exaudiri consulis prae strepitu et clamore poterat, neque, quum decresset, quisquam obtemperabat. — *Ac* ante *mortalium* itidem reposuimus ex Macrobio pro *et*, quod Sallustii editores invexerunt. — *Curabant* h. l. significat: ei splendide recipiendo lauteque habendo curam impendebant. — *Aulaea*, i. e. vela picta auroque distincta, parietibus inserviebant tegendis lectisque consternendis, quorum usum Romani acceperant ex aula Attali regis, his luxuriae instrumentis referta; cf. Serv. ad Virg. Georg. III, 25. et ad Aen. I, 701. Varro de vita populi Rom. lib. III. apud Non. XIV, 4. p. 537, 16. Merc. Ad hunc Sallustii locum respexit Valer. Max. IX, 1, 5. *Quid sibi voluit Metellus Pius tunc, quum in Hispania adventus suos ab hospitibus aris et ture excipi patiebatur? quum Attalicis aulaeis contectos parietes laeto animo intuebatur? quum immanibus epulis apparatissimos interponi ludos sinebat? quum palmata veste convivia celebrabat, demissasque lacunaribus aureas coronas velut coelesti capite recipiebat?* — *Signa* scripsimus ex Ciacconii emendatione, pro *insignia*, ut falso est in Macrobii et Sallustii edd. omnibus. Non intelliguntur enim notae honorum aut magistratuum, vestibus additae aut singulari vestium genere aliisve rebus conspicuae, sed *tabulae pictae*, *statuae*, *opera coelata*, quae omnia, haud raro communi *signorum* vocabulo appellata, imprimis ad luxum divitum Romanorum pertinebant, cf. Catil. XI, 6. ubi v. Herzog. Rem iam per se certam conficit locus Pseudo-Sallustii, qui, quum totam fere orationem vocibus ac sententiis composuerit mirifica diligentia ex vero Sallustio collectis, hunc quoque locum simul cum alio Catilinae XII, 3. expressit in Ep. ad Caesarem de Rep. ord. I, 8, 1. *Nam domum aut villam exstruere, eamque signis, aulaeis, aliisque operibus exornare, id est non divitias decori habere.* — *Ad ostentationem histrionum* non est: ad iactationem sive gloriationem h., sed ad exhibendam histrionum artem. De hoc oblectationis inter convivia genere cf. Creuzer. Antiqq. Rom. §. 287. p. 436. ed. II. et interprr. ad Liv. XXXIX, 6, 8. — *Crocus* intelligendus est tritus et vino dilutus, quo theatra et templa perfundebantur suavissimi odoris gratia; cf. Spartian. Adrian. c. XIX. *In honorem Traiani balsama et crocum per gradus theatri fluere iussit.* Plura v. apud Forcellinum in Lex. h. v. — Verba *et alia* non pendent ex praegresso *sparsa*, sed cum ellipsi *facere* verbi dicta sunt, cuius h. l. eadem ratio est, quae obtinet in tritissima formula *nihil*

quasi deo supplicabatur. Toga picta plerumque amiculo 4
erat ei accumbenti; epulae quaesitissumae, neque per
omnem modo provinciam, sed trans maria ex Mauretania
volucrum et ferarum incognita antea plura genera. Qui- 5

aliud, quam; cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 86, 13. et Gramm. lat. nostr. §. 159, 5. p. 602. Bremi. ad Nep. Agesil. c. II, 4. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. XXXI, 24, 3. Sensus est igitur: et alia facta sunt, quae fieri tantum mos est in templo celeberrumo.

§. 3. *transenna*) Apud Macrobium legitur *in transenna*, structura pariter atque sensu incommodo; quare praepositionem, haud dubie librariorum errore ortam, delevimus, quam neque Nonius habet II, 859. p. 180, 20. Merc., neque Servius ad Virg. Aen. V, 488., qui haec verba attulerunt. Ceterum hic rectius quam ille *transennam* interpretatur *funem extensum;* nam aliena est ab h. l. *fenestrae* significatio, quam Nonius voci tribuit, loco Ciceronis de Orat. I, 35, 162. non intellecto seductus. — De passivo sensu participii *machinatus* v. ad Catil. c. XLVIII, 7. p. 225. — *Tonitrua* in theatris arte facta commemorat etiam Phaedrus Tabb. V, 7. *Aulaeo misso, devolutis tonitrubus, Dii sunt locuti.* — *Capiti*, pro quo apud Macrobium est *ei*, constanter tenent Servius et Nonius ll. ll., quibus accedit tertium testimonium Nonii IV, 135. p. 286, 15. Merc. Ita autem *capiti* refertur ad praegressum *sedenti* participium, ut eo quasi per appositionem pars designetur, cuius totum participio continetur, quae dicendi ratio, a grammaticis *σχῆμα κατ' ὅλον καὶ μέρος* dicta, Graecis, et maxime poetis, multo est usitatior, quam Latinis; cf. Matthiae Gramm. gr. §. 421. not. 5. p. 776 — 7. et §. 389. 3. h. p. 715—6. — Pro *thure*, quod in omnibus edd. legitur, scripsimus *ture*, secundum testimonium Charisii p. 58. Putsch. et Servii ad Virg. Georg. I, 57. cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. P. I. p. 200. De more viris principibus adulandi caussa *ture supplicandi* egerunt quum Freinshemius ad Curt. V, 1, 20. et Casaubon. ad Sueton. Calig. c. XIII, tum Beierus ad Cic. de Off. III, 20, 80. p. 335. *Omnibus vicis statuae* (sc. positae sunt Mario); *ad eas tus, cerei* (sc. oblati). Seneca de Ira III, 18. *M. Mario ture et vino Romanus populus supplicabat.*

§. 4. *toga picta*) Eandem Valer. Max. IX, 1, 5. vocat *vestem palmatam*, i. e. palmae foliis distinctam; palmae enim quum victoribus graeco more praemio dari coepissent (v. Liv. X, 47, 3.), *palmata vestis*, sive tunica sive toga, inter insignia fuit imperatorum *triumphantium*, cf. Nitschii Antiquitt. Rom. Vol. I. p. 355. et 359. ed. III., unde facile Metelli fastus intelligitur, quem accurate tetigit Plu-

bus rebus aliquantam partem gloriae demiserat, maxume apud veteres et sanctos viros, superba illa, gravia, indigna romano imperio existumantes.

tarchus in Sertorio c. 22. dicens illum *ἐσθῆτα θριαμβικὴν* gessisse. Ceterum *toga picta* per se non plane eadem est quae *palmata*, sed ita differunt, ut *picta*, quippe aliis quoque figuris intextis vel acu factis ornata, latius pateat *palmatamque* comprehendat, haec vero species sit pictae. Quare quum non quidem omnis picta toga simul esset palmata, sed omnis palmata etiam picta, in promptu est quonam modo haec vocabula inter se permutata fuerint, quamquam de ea re inter viros doctos nonnulla fuit dissensio, ut patet ex Nieupoort. de Ritubus Rom. p. 405. ed. IX. Festi errorem, quem amplectitur Gerlachius ad h. l., *pictam* togam non diversam esse a *purpurea*, iam satis refutavit Dacierius p. 563. ed. Lindemann. *Amiculo* dativo positum hic significat *loco amiculi* vel *pro amiculo*; quippe superbia Metelli eo vel maxime cernebatur, quod splendidissima veste etiam ibi utebatur, ubi alii amiculum i. e. quotidianum vestimenti genus gerebant. — Verba *neque per omnem — plura genera* durius pendent ex vocabulo *quaesitissumae*: quod quum ad *epulae* relatum aperte adiectivum sit, tamen sequentium verborum constructio ita comparata est, ut nonnisi ex verbo *quaerere* pendere possint, quod tacite ex adiectivo eruendum est. Per synesin igitur cogitabis *quaerebantur*. — *Maurctania* cur scripserimus pro *Mauritania*, quod in codd. et edd. est, patebit ex annotatione ad Iug. c. XVI, 5.

§. 5. *demiserat*) Noli putare hoc dictum esse pro *amiserat*. Insolentius quidem, sed tamen perquam scite auctor hoc verbo utitur, ut declaret Metellum *ipsum sua culpa* gloriam imminuisse et eam quasi ex summa fecisse inferiorem. — *Viri veteres* sunt *ob aetatem severiores* et a levitate adolescentium, quibus luxuriosa Metelli superbia placebat, alieni. — De vi vocis *sanctus* v. ad Iug. c. LXXXV, 40. p. 462. — *Gravia* hic cum vituperatione dictum valet *pestifera* sive *noxia*: cf. Iug. XXXVIII, 10. *Quae quamquam gravia et flagiti plena erant, tamen pax convenit.* — Ceterum totum hunc de fastu Metelli locum Plutarchus in Sertorio c. 22. (T. II. p. 611. ed. Sintenis.) ita expressit, ut luculento sit documento Sallustium in Plutarchi fontibus non postremum locum obtinuisse. Verba autem, quibus ille ex Historiarum libro secundo mores Metelli adumbravit, haec sunt: *Νικήσας ποτὲ μάχῃ Μέτελλος τὸν Σερτώριον οὕτως ἐπήρθη καὶ τὴν εὐτυχίαν ἠγάπησεν, ὥστε αὐτοκράτωρ ἀναγορευθῆναι, θυσίαις δ' αὐτὸν αἱ πόλεις ἐπιφοιτῶντα καὶ βωμοῖς ἐδέχοντο. Λέγεται δὲ καὶ στεφάνων ἀναδέσεις προσίεσθαι καὶ δείπνων σοβαρωτέρων ὑποδοχάς, ἐν οἷς ἐσθῆτα θριαμβικὴν ἔχων ἔπινε, καὶ Νῖκαι*

30. Sed Metellus in ulteriore provincia.

31. Quem ex Mauretania rex Leptasta proditionis insimulatum cum custodibus miserat.

32. Ut alii tradiderunt, Tartessum Hispaniae civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadir habent.

πεποιημέναι δι' ὀργάνων ἐπιδρόμων χρύσεα τρόπαια καὶ στεφάνους διαφέρουσαι κατήγοντο, καὶ χοροὶ παίδων καὶ γυναικῶν ἐπινικίους ὕμνους ᾖδον εἰς αὐτόν. Ἐφ' οἷς εἰκότως ἦν καταγέλαστος κ. τ. λ.

Fr. 30. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. II, 52. ed. min. II, 22. p. 201, 24. Debr. II, 104.] Donatus ad Terent. Phorm. I, 4, 15. haec verba refert non laudato Historiarum libro, ut Fragm. incertis annumerari debeat. Sed non dubitavimus superiori Fragmento subiungere ob memoratam *ulteriorem* provinciam. Sine ulla caussa Debrossius pro *provincia* scripsit *Hispania*, nec minus temere Gerlachius in ed. min. *sed* mutavit in *at*, non curans quod Donatus diserte tradit per *sed* particulam apud Sallustium finem imponi superiori sententiae; cf. Gramm. lat. nostr. §. 140, 3. b. p. 465.

Fr. 31. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. II, 17. ed. min. II, 28. p. 202, 6. Debr. II, 18.] Verba a Prisciano V, 2, 5. p. 169. Kr. laudata quamquam certam explicationem non habent, obscuro, ad quem relativum pertineat, hoc tamen dubitari non potest, quin ad Sertorii res spectent, qui et antequam in Hispania bellum gereret, in Mauretania contra Ascalim bellantibus auxilio fuerat, et in longo contra Romanos certamine semper Mauros in exercitu habuit; cf. Plutarch. in Sertor. c. 2, 7. 12, 6. 13, 32. 19, 23. ed. Sint. Debrossius inepte *Leptasta* mutavit in *Ascalisiphtha*, nomen ab ipso confictum ex pessime intellectis Plutarchi verbis (Sert. IX, 7.) *οἱ Κίλικες εἰς Λιβύην ἀπέπλευσαν Ἄσκαλιν τὸν Ἴφθα κατάξοντες.*

Fr. 32. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 29. ed. min. II, 27. p. 202, 4. Debr. II, 10.] Verba duobus locis attulit Priscianus, V, 3, 18. p. 179. et VI, 9, 45. p 249. Kr., ubi de genere nominum agens haec habet: „in *ir* masculina sunt. Unum proprium civitatis invenitur *Gadir*, quod quidam femininum esse putaverunt, sed Sall. neutrum esse ostendit in II. Histor., accusativum nominativo similem ponens. Nam si esset femininum, *Gadirem* dixisset." De origine nominis Punica sive Phoenicia cf. Avieni Descript. orb. v. 610 sqq. „Gaddir prima fretum solida supereminet arce, Attollitque caput geminis inserta columnis. Hic Cotinusa prius fuerat sub nomine prisco, Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni. Barbara quin etiam *Gaddir* hanc lingua frequentat; Poenus quippe locum *Gaddir* vocat undique clausum." Gades igitur quum etiam graece *τα Γάδειρα* sive *ἡ Γά-*

33. Antequam egressus Sertorius instruere pugnae suos.

34. Titurium legatum cum cohortibus XV in Celtiberia hiemem agere iussit praesidentem socios.

35. Hi saltibus occupatis Termestinorum agros invasere, frumentique ex inopia gravi satias facta.

δειρα vocarentur, patet nomen urbis ab ipsis incolis usurpatum *Gadir* fuisse, unde Romani *Gades* fecerunt. — Quid narrans Sallustius Tartessi mentionem fecerit, quamquam dici non potest, tamen certum videtur huius urbis commemorationem in Sertorii rebus locum habuisse. Debrossius, qui hoc Fragmentum duobus locis (I, 50. et II, 10.) exhibuit, priore loco in narratione de foedere cum Gaditanis facto lectum fuisse alucinatur, socium stultitiae nactus Gerlachium Vol. III. p. 79.

Fr. 33. [Cort. p. 957. Gerl. ed. mai. II, 8. ed. min. II, 35. p. 202, 13. Debr. II, 22.] Locus exstat apud Arus. p. 237. Lind. Pro *egressus*, quod Lindemannus e cod. Gud. edidit, in Sallustii edd. est *regressus*, quemadmodum habet cod. Maii Ambros. *Instruere*, quod in utroque cod. est, Sallustii editores mutarunt in *instrueret;* sed in abrupta et prorsus obscura sententia nihil potest de verborum structura constitui.

Fr. 34. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. II, 50. p. 203, 2.] Verba primus edidit Lindemannus ex cod. Gud. Arusiani p. 252. De Metello agi in Hispania contra Sertorium bellum gerente in promptu est; incertum vero, quamquam non improbabile, Titurium eundem esse, qui postea Caesaris legatus in Gallia re male gesta periit; cf. Caes. B. G. V, 26—38. — *Praesidere*, quod hic et Fr. III, 76. significat *tutari* sive *praesidio esse*, Sallustius primus videtur cum accusativo coniunxisse, quem casum Tacitus illum secutus frequentius usurpat; cf. Annall. IV, 5, 1. *Italiam utroque mari duae classes Misenum apud et Ravennam praesidebant.* — ibid. c. 72, 3. *Haud spernenda civium sociorumque manus litora Oceani praesidebat.* —

Fr. 35. [Cort. p. 966. Gerl. ed. mai. III, 13. ed. min. III, 87. p. 223, 28. Debr. III, 23.] Verba exstant apud Non. II, 791. p. 172, 11. Merc.; qui quum ea ex *secundo* Hist. libro laudet, non intelligitur, cur Sallustii editores in *tertium* transtulerint. — Pro *hi* in aliquot Nonii codd. est *in*, quod Sallustii esse non potuit constructione plane perversa; Mercerius coniecit *his*, quo, ut in re incerta, nihil lucramur. — Pro *occupatis Termestinorum* duo codd. Nonii tenent *occupatus tamen externorum*, unus *occupatis Tmextrinorum*, unus

36. Ad haec rumoribus advorsa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant.

37. Quae pecunia ad Hispaniense bellum Metello facta erat.

occupatis termextrinorum a me. Mercerius, quem omnes Sallustii editores secuti sunt, ex coniectura scripsit *occupatis, tum externorum.* Sed longe meliore eaque praestantissima coniectura locum sanavit Lipsius ad Tacit. Ann. IV, 45, 1. proposita, quam in textu expressimus. Nam quum luce clarius sit *populi* nomine opus esse ad vocem *agros* accuratius definiendam, Lipsius acutissime vidit in corruptis vocibus *Tmextrinorum* et *termextrinorum* latere *Termestinorum*, quorum civitas (v. Forbigeri Geogr. antiq. Vol. III, p. 100.) inter Cluniam et Numantiam sita fuit. Cuius emendationis veritas ut sua sponte in oculos incurrit, ita circumspectum non fugiet Mercerii coniecturam duobus vitiis laborare, altero, quod ablativis absolutis *tum* perperam subiicitur, altero, quod *externorum agri* absurde dicuntur. Nam qui sunt illi *externi?* An internis oppositi? an aliis? At quibus? Nemo dixerit. Ad Sertorianum bellum spectare verba perspicuum est; sed utrum Sertoriani Termestinorum agros invaserint, an Pompeiani, non potest decerni. *Ex* h. l. de tempore dictum valet *post*; cf. ad Iug. XXXVI, 3. p. 213. — De *satias* forma v. Drakenb. ad Liv. XXVII, 49, 8. XXX, 3, 4. et annotat. nostram ad Iug. XXXI, 20. p. 180.

Fr. 36. [Cort. p. 960. Gerl. ed. mai. II, 40. ed. min. II, 65. p. 204, 13. Debr. III, 101.] Verba, quae servavit Nonius IV, 403. p. 385, 3. Merc., de Sertorio esse intelligenda verissime iudicavit Debrossius. Extremis enim belli Sertoriani annis, ubi timor nobilium exulum paullatim cessaverat, multorum animi a duce suo alienari coepere, Perperna imprimis instigatore; cf. Plutarch. in Sertor. c. 25. (Vol. II. p. 614. Sint.) *Ἐν δ' Ἰβηρίᾳ τῶν περὶ Σερτώριον συγκλητικῶν καὶ ἰσοτίμων, ὡς πρῶτον εἰς ἀντίπαλον ἐλπίδα κατέστησαν, ἐπανέντος τοῦ φόβου, φθόνος ἥπτετο καὶ ζῆλος ἀνόητος τῆς ἐκείνου δυνάμεως*; et paullo infra calumniantibus Perpernae sermonibus relatis: *Τοιούτων ἀναπιμπλάμενοι λόγων οἱ πολλοὶ φανερῶς μὲν οὐκ ἀφίσταντο δεδοικότες αὐτοῦ τὴν δύναμιν, κρύφα δὲ τὰς πράξεις ἐλυμαίνοντο καὶ τοὺς βαρβάρους ἐκάκουν κολάζοντες πικρῶς καὶ δεσμολογοῦντες, ὡς Σερτωρίου κελεύοντος.* — *Rumores* h. l. sunt clandestini invidiosi sermones; *declinare* autem valet *trahere, vertere,* vel *interpretari*; eodem fere modo auctor locutus est Iug. XCII, 2. *Omnia non bene consulta modo,*

Cap. III.

Bellum contra piratas in Pisidia et Pamphylia a P. Servilio gestum.

---

38. Nisi quia flumen Durda Tauro monte defluens.
39. Fessus in Pamphyliam se receperat.
40. Lyciae Pisidiaeque agros despectantem.

verum etiam casu data in virtutem trahebantur. Tacit. Ann. XIV, 38, 3. *Iulius Classicianus Suetonii adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat.* — *Corrumpebant* non pertinet ad praecedentia, sed ad obiectum aliquod, quod interrupta oratione excidit, velut *exercitum*, vel *bonam Sertorii famam*, vel simile quid. — Hanc Fragmenti explicationem a Debrossio proditam Gerlachius Vol. III. p. 80. in dubium vocat, quia idem Lucullo acciderit, „cuius fortia facta Pompeii fautores maligne interpretarentur.“ Id per se verum, ac si liber Fragmenti ignoraretur, haud foret negligendum; sed idem fit falsissimum ac prorsus absurdum, quum verba sint ex *secundo* libro, quo auctor ne incepit quidem de Luculli rebus gestis agere, nedum sinistros eius inimicorum sermones hic referret, quod *quinto* demum libro potuit fieri.

Fr. 37. [Cort. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 46. ed. min. I, 49. p. 190, 5. Debr. III, 21.] Locus exstat apud Donat ad Ter. Phorm. I, 1, 4. sine libri notatione. Pecunia, de qua hic agitur, haud dubie ab adversariis intercepta fuit, aut alio modo eius usus Metello ereptus. Quod quando acciderit, vix constitui potest.

Fr. 38. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 23. ed. min. II, 86. p. 205, 26. Debr. II, 89.] Verba, quae exstant apud Priscian. VI, 2, 10. p. 224. Kr., in narratione de Servilii bello contra piratas locum habuisse ex Tauri montis mentione intelligitur, quamquam res ipsa est obscurissima. Pro *quia* in edd. est *qua*; fluminis nomen ignotum in optimis Prisciani codd. est *Durda*; edd. vulgo habent *Lurda*.

Fr. 39. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 90. ed. min. II, 93. p. 206, 6. Debr. II, 87.] Servius ad Virg. Aen. VIII, 232. haec affert libro Historr. non laudato, *fessus* explicans *egens consilii*. Intelligendus videtur piratarum dux a Servilio pressus.

Fr. 40. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 95. ed. min. II, 94. p. 206, 7. Debr. II, 86.] Verba debentur Servio ad Virg. Aen. I, 424. Quamvis libro non significato intelligitur ex locorum natura de bello piratico haec dicta fuisse. *Despectantem* relatum videtur ad Taurum montem, Lyciam Pamphyliamque ambientem.

Cap. IV.

Bellum contra Macedones et Dardanos a C. Scrib. Curione gestum.

41. Eodem anno in Macedonia Gaius Curio, principio veris cum omni exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit modis pecunias Appio dictas coegit.

42. Primam modo Iapydiam ingressus.

43. Stobos.

Fr. 41. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. II, 14. ed. min. II, 74. p. 205, 2. Debr. II, 154. et III, 107.] Ex hoc Fragmento, quod debetur Nonio IV, 122. p. 280, 20. Merc., intelligitur Sallustium post multas alias res expositas ad narrationem belli in Macedonia et confinibus terris ab Appio Claudio et C. Curione gesti accessisse, quae caussa fuit, cur Fragmenta, quae ad illud bellum pertinere viderentur, hoc demum loco collocanda putaverimus. — Appius Claudius, qui a. 78. a. Chr. n. Macedoniam provinciam sortitus erat (v. Hist. Fr. I, 81. 82.), duobus annis post mortuus successorem habuit C. Scribonium Curionem, cf. Oros. V, 23. Eutrop. VI, 2. Is quum a. 75. p. Chr. n. in *provinciam abiisset*, eius profectio in *Dardaniam* non videtur hoc, sed sequentis anni vere i. e. anno 74. facta esse, quam Gerlachius Vol. III. p. 78. non liquere dicit, utrum ad annum 76. an ad 75. pertineat. — *Omni* ante *exercitu*, quod in Sall. editt. deest, meliorum Nonii codicum auctoritate, in quibus etiam Paris. A., restituimus. — Pro *Appio* in tribus Nonii codd. est *Appia*, unde Rothius verissime coniecit *Appio*, quippe qui ante Curionem Macedoniam praesideret. A Nonii pariter atque Sallustii editoribus haec vox plane omissa est. *Modis*, quod in plurimis Nonii libris deest, Carrio ex uno codice restituit. — *Pecunias dictas* Nonius parum commode interpretatur *promissas*: rectius Cortius explicat *constitutas*, *praescriptas*, *imperatas*, coll. Phaedro, Fabul. IV, 5, 46. *Et dictam matri conferent pecuniam.*

Fr. 42. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 51. ed. min. IV, 11. p. 226, 4. Debr. II, 71. et III, 113.] Servius, qui ad Virg. Georg. III, 475. haec verba affert, librum non indicavit. Sed quum illis annis, quos Sallustius in Historiis illustravit, vix cuiquam aliquid negotii in Iapydia, Illyrico confini, esset, praeter iis ducibus, qui in Macedonia bellum gererent, non improbabile est huius terrae mentionem esse factam, quum auctor de Curionis rebus gestis ageret. Fieri tamen potuit, ut iam primo libro continerentur, Appio in iisdem

CAP. V.

Res urbanae. — Contentiones de restituenda potestate tribunicia. — Annonae caritas, eaque ortus plebis tumultus. — C. Cottae consulis oratio. — Terrae motus.

---

44. Ut actione desisteret.

45. Quia corpore et lingua percitum et inquietem nomine histrionis vix sani Burbuleium appellabat.

terris bellis occupato. — Pro *primam* Cortius contra codicum fidem habet *primum*, quo sensus prorsus pervertitur; nam *prima Iapydia* de ipsis finibus et quasi introitu Iapydiae intelligenda est, cui sententiae etiam *modo* particula convenit. Non minus falso Debrossius II, 71. habet *prima*. — Celerum *Iapydia* scripsimus, ut poscit constans scriptorum usus, cf. Forbiger. Geogr. antiq. Vol. III. p. 836; Servius et Sall. edd. tenent *Iapidia*.

Fr. 43. [Deest apud Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 186. ed. min. Inc. 58. p. 239, 1. Debr. II, 155.] Probus p. 1462. Putsch. (Corp. Grammatt. Latt. Vol. I. p. 120. Lindem.) hoc urbis nomen sine libri notatione affert, satis mire observans *Stobos* apud Sallustium legi numero semper plurali. Eam urbem Macedoniae notissimam in Curionis expeditione memoratam fuisse in aprico est.

Fr. 44. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. II, 19. ed. min. II, 80. p. 205, 14. Debr. I, 45.] Tenue Fragmentum, ab Arusiano v. *desistere* p. 224. Lind. servatum, quomodo intelligendum sit, non certum quidem, sed tamen non plane obscurum est. Ex quo enim potestas tribunicia per Sullam fracta ac paene sublata fuit, paucis annis post acerrimae contentiones exoriebantur ad eam restituendam; cf. Schlosseri Hist. antiquitatis univ. Vol. II. P. 2. p. 393. et Drumanni Hist. Rom. Vol. IV. p. 384 sqq. Quibus plebeiorum conatibus quum nobilitas initio vehementer obsisteret, et quovis modo eos impedire studeret, non improbabile est his verbis spectari ad optimatium artes machinationesque, quibus tribunum aliquem moverent, *ut actione desisteret*. Quamquam non nego verba etiam de omittenda aliqua accusatione, quam quis potenti alicui viro intenderet, capi posse.

Fr. 45. [Cort. p. 960. Gerl. ed. mai. II, 35. ed. min. II, 81. p. 205, 14. Debr. II, 76.] Verba attulit Priscian. VI, 11, 58. p. 256. Kr., ut probaret *quies* pariter atque *inquies* adiectivum esse trium generum; cf. ad Fr. I, 8. Temere igitur Gerlachius in ed. min. scripsit *inquietum*; temere idem in ed. min. *appellabat* mutavit in *appella-*

46. Canina, ut ait Appius, facundia exercebatur.

47. Publiusque Lentulus Marcellinus eodem auctore

ret: codd. enim omnes vel *appellabant* tenent, ut olim perperam in Prisciani et Sallustii edd vulgabatur, vel *appellabat*, quae vera est scriptura. Nomen proprium, quod in vulgatis edd. scribebatur *Barbuleium*, in Prisciani codd. partim est *Burbulegium*, partim *Burbuleium*, quam formam analogia aliorum nominum commendatam Valerii Maximi auctoritate recipiendam duximus. Is enim apposite libro IX, 14, 5. haec habet, quibus noster locus aliquantum lucis accipit: *M. Messalla consularis et censorius Menogenis, Curio omnibus honoribus abundans Burbuleii, ille propter oris aspectum, hic propter parem corporis motum, uterque scenici nomen coactus est recipere.* Igitur qui hoc dicterio peteretur, fuit *Scribonius Curio*, a. 76. a. Chr. n. cum Cn. Octavio consul, qui eum peteret, *Cn. Sicinnius*. Ad utrumque pertinet lepidus Ciceronis locus in Bruto c. 60, 216. *Motus* (*in dicendo*) *erat* (*Curioni*) *is, quem et C. Iulius in perpetuum notavit, quum ex eo in utramque partem toto corpore vacillante quaesivit, quis loqueretur ex lintre? et Cn. Sicinnius, homo impurus, sed admodum ridiculus. Is quum tribunus plebis Curionem et Octavium consulem produxisset, Curioque multa dixisset sedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis et multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus: Nunquam, inquit, Octavi, collegae tuo gratiam referes; qui nisi se suo more iactavisset, hodie te istic muscae comedissent.* Quibus locis inter se collatis facile intelligitur *corpore percitum* dici, qui corpus vehementer iactaret, huc illuc fluctuaret et vacillaret, *lingua percitum*, qui multa temere effunderet et verba praecipitaret. — Causalis enunciationis ratio, *quia* particulâ indicata, quamquam non admodum commoda videtur, tamen tolerari potest, praesertim quum, quomodo haec verba cum praecedentibus cohaeserint, non constet. Non diffiteor tamen valde mihi placere, quod Colerus ad Valerii Max. l. l. p. 607. coniecit: *quem corpore — percitum.*

Fr. ~~46~~. [Cort. 100~~1~~. Gerl. ed. mai. Inc. 18~~1~~. ed. min. III, 5. p. 215, 26. Debr. V, 7~~1~~.] Verba exstant apud Non. I, 298. p. 60, 25. Merc. *Canina facundia* quum sit mordacium rabularum de foro turbulentorumque hominum, adversarios proterva dicacitate lacessentium ac lacerantium, non improbabile videtur Sallustium his verbis, primum ab Appio usurpatis, notasse Sicinnii imprimis similiumque tribunorum insolentiam, illo tempore bonos cives exagitantium. cf. Plut. in Crass. c. 7, extr. (Vol. II. p. 5~~11~~. Sint.) *Ὁ πλεῖστα πράγματα παρασχὼν τοῖς καθ' αὑτὸν ἄρχουσι καὶ δημαγωγοῖς, Σικίννιος, πρὸς τὸν εἰπόντα, τί δὴ μόνον οὐ*

quaestor in novam provinciam Curenas missus est, quod ea, mortui regis Apionis testamento nobis data, pruden-

σπαράττει τὸν Κράσσον, ἀλλὰ παρίησι, χόρτον αὐτὸν ἔχειν φησὶ ἐπὶ τοῦ κέρατος. Ad Sallustii locum respexit Quintil. XII, 9, 9. et Hieronymus Ep. ad August., uterque Appium verborum auctorem laudans; Lactantius vero Inst. div. VI, 18, 26. eadem de Cicerone adhibens accuratius addit *sicut Sallustius ab Appio dictum refert.* Sed ridiculo errore priores Sallustii editores Fragmentum sic exhibuerunt: *Cicero caninam facundiam, ut Appius inquit, exercuit*, Lactantii locum ita capientes, quasi is Ciceronem ob caninam facundiam *a Sallustio notari* diceret, neque assecuti Lactantium non eius testimonio de Cicerone uti, sed dictionem tantum, qua Tullium vituperat, a Sallustio mutuari. Ineptam Fragmenti deformationem non solum Nonii auctoritas redarguit, apud quem *exercebatur* est, non *exercuit*, sed etiam hoc, quod Ciceronis per illa tempora commemorandi neque locus fuit, neque, si fuisset, iusta caussa, cur Sallustius illi *caninam facundiam* obiectaret.

Fr. 47. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et min. et Debr.] Fragmentum recens accessit ex folio palimpsesto Toletano, de quo v. Praef. — Palimpsesti scripturam PQLENTULUSMARCELL .... recte viderunt Mommsenius p. 197. et Kreyssigius in Curis secc. p. 7. significare *Publiusque Lentulus Marcellinus*, particula copulativa indicante haec cum iis, quae intercederunt, artissime cohaesisse. Falso enim Pertzius, quum infeliciter demonstratum ivisset P paragraphi esse notam, Q litteram pro *Quinti* praenominis compendio habuit, truncatumque vocabulum MARCELL sic supplevit, ut *Marcelli f.*, i. e. *Marcelli filius*, scriberet. Cui facto tum Romanorum consuetudo obstat, qui filium a patre plerumque adiecto *praenomine* paterno distingunt (cf. Fastos consulares, et Drakenb. ad Liv. III, 25, 3.), ac nonnisi ubi *cognomen* patris *illustre est*, ab hoc discrimen ducunt (v. Sigon. ad Liv. IV, 45, 5.), tum historia repugnat, siquidem Marcelli, qui adoptione in Lentulorum familiam transierant, non amplius Marcelli, sed *Marcellini* dicti sunt, de quo nominum immutandorum more v. ad Fr. IV, 50.

eodem auctore quaestor) Palimpsesti scripturam EODEM ACTORE, quem librarii errorem sive negligentiam Pertzius p. 12. et Huschkius p. 285. inconsulto tuentur, Kreyssigius Comment. p. 19. recte emendavit, ita poscente loquendi usu; cf. locos ab eo allatos Liv. XXIV, 43, 9. ubi v. Gronov. XXXV, 9, 8. XXXVII, 47, 2. Cic. in Pison. 15, 35. *Eodem auctore* igitur significat *eodem suadente et annitente*, sive *eiusdem suasu et opera*. Quis ille fuerit, non liquet; certo fuit vir magnae in senatu auctoritatis, fortasse Catulus, aut Lucullus, aut alius patriciorum tum potentium;

tiore quam illas per gentis et minus gloriae avidi im-

de Pompeio vero, quem Kreyssigius Comment. p. 19. nominat, cogitari non potest — *Quaestorem* Idem in Curis secc. p. 8. recte intellexit esse talem, qui *pro praetore* esset, i. e. cum potestate propraetoris in provinciam missus; cf. ad Catil. c. XIX, 1. p. 90 sq.

in novam provinciam Curenas missus est) Quae VV. DD. de tempore, quo Lentulus in novam provinciam Cyrenen ierit, commentati sunt, omnia eo concidunt, quod Rothii et Heerwagenii invento (v. Praef.) patefactum est totum Fragmentum Toletanum ad res anni 75. a. Chr. n. (679. a. u. c.), quo L. Octavius et C. Cotta coss. fuerunt, pertinere. Res autem sic se habet. Anno a. Chr. n. 96. Ptolemaeus Apio mortuus Cyrenas Romanis testamento reliquit, teste Obsequente c. 109. *Cn. Domitio C. Cassio coss. Ptolemaeus rex Aegypti* (vel potius Cyrenarum) *Cyrenis mortuus S. P. Q. Romanorum heredem reliquit.* Eam hereditatem senatus sic adiit, ut Cyrenensibus libertatem et ut suis institutis uterentur permitteret; cf. Livii Epit. LXX. *Ptolemaeus, Cyrenarum rex, cui cognomentum Apioni fuit, mortuus heredem populum Romanum reliquit, et eius regni civitates senatus liberas esse iussit.* Sed quum tyranni Cyrenis exstitissent, qui summa libidine civitatem tractarent, cf. Plut. in Lucull. c. 2. *Κυρηναίους καταλαβὼν ἐκ τυραννίδων συνεχῶν καὶ πολέμων ταραττομένους.* Romanis, ut suspicari licet, caussam quaerentibus, qua illam regionem imperio suo adderent, Cyrene anno 75. a. Chr. n. in provinciae formam redacta est; cf. Appian. B. C. I, 111. *Τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους, ἕκτης ἑβδομηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος οὔσης, δύο μὲν ἐκ διαθηκῶν ἔθνη Ῥωμαίοις προσεγίγνετο, Βιθυνία τε Νικομήδους ἀπολιπόντος, καὶ Κυρήνη, Πτολεμαίου τοῦ Λαγίδου βασιλέως, ὃς ἐπίκλησιν ἦν Ἀπίων*, quem locum Kreyssigius Comment. p. 26. recte sic cepit, ut statueret non ad idem tempus Appianum retulisse Ptolemaei et Nicomedis *mortem ac testamentum*, quo errore Pertzius p. 11. eum insimulavit, sed hoc prodidisse, *uno eodemque anno Bithyniam et Cyrenen ex regum illorum testamento provincias Romanas factas esse.* In summo igitur Appiani cum Sallustio consensu inconsulto Franzius in Corp. Inscr. Vol. III. p. 560. b. illius fide spreta Eutropio VI, 11. auctore probare studuit anno demum 67. a. Chr. n. Cyrenen in provinciae formam esse redactam; quamquam ne Eutropius quidem, id. quod Franzius opinatur, tradit. Nam quum, postquam narravit subactam fuisse per Metellum Cretam, (quod factum a. 67.) ita pergat: „quo tempore Libya quoque Romano imperio per testamentum Apionis accessit;" quivis videt *quo tempore* non esse *eodem anno*, sed *paucis* (i. e. octo) *annis ante.* — *Curenas*, quod palimps. praebet pro *Cyrenas*, non certum quidem, sed

perio continenda fuit. Praeterea diversorum ordinum ....

tamen cum Kreyssigio ferendum putamus. Nam quum Latinorum *u* breve quandam soni similitudinem cum υ graeco haberet, quemadmodum vocabula *Sulla*, *Romulus*, *Capua* graece scribuntur *Σύλλας*, *Ῥωμύλος*, *Καπύη*, ita etiam inverso modo fieri potuisse videtur, ut Latini pro υ graeco *u* ponerent. In Taciti cod. Med. certe *Suria* saepe exstat pro *Syria*, neque dissimile est, quod apud Liv. XXXIV, 62, 12. in cod. Bamberg. aliisque *Bursa* legitur pro *Byrsa*.

quod ea) Ita Pertzius recte scripsit, licet dimidia tantum Q littera in palimpsesto compareat. Idem *regis Apionis* bene restituit ex palimpsesti vestigiis REGISAPI(... Locis de Apione supra allatis adde Iustin. XXXIX, 5. Tacit. Ann. XIV, 18. — Non minus certe Pertzius lacunam palimpsesti NOBISD. . . explevit *nobis data*: sed sequentis versus restituti recteque intellecti laus Kreyssigio debetur. Nam quum Pertzius mirifico errore PERGENTIS pro participio *pergere* verbi habuisset, lacunam praecedentis versus *inde* voce explevit, ratus his verbis prioris magistratus sive quaestoris decessionem e Cyrene significari. Sed *ex provincia pergere* quum nemo Latinorum dixerit, proprio in ea re *decedendi* vocabulo obtinente (v. ad Iug. XX, 1. p. 126. Kuehner. ad Cic. Tusc. II, 26, 61. p. 230. Fabri ad Sall. Iug. XXXVI, 4.), aliud Sallustium scripsisse necesse est. Sollerter igitur Kreyssigius assecutus PERGENTIS esse *per gentes*, in lacuna fuisse coniecit *illas*, quo sensus prodit longe aptissimus. Nam quum pateat Sallustium caussam afferre, cur Lentulus Cyrenas sit missus, in eo positam fuisse tradit, quod, quum domestici magistratus illas civitates, *ut sunt orientis populorum ingenia ad tyrannidem prona*, imprudentius et ambitiosius rexissent, per quaestorem Romanum Cyrene prudentiore quam inquilinorum et minus gloriae avido imperio continenda esset. Quae verba simul haud obscure significant cur Cyrene in provinciae formam redacta fuerit, et aperte ostendunt Lentulum non fuisse prioris magistratus successorem, quem Pertzii errorem Huschkius quoque p. 282. et Mommsenius p. 198. amplexi sunt. Quem Sallustius paullo obscurius significat Cyrenarum praefectum non satis prudentem gloriaeque avidiorem, teste Plutarcho de mulier. virt. c. 19. fuit Nicocrates, qui tyrannide occupata crudelissime in cives saeviit, eiusque frater Leander, illo occiso vim summam stolide insolenterque exercens. — *Per gentis*, i. e. *inter gentes*; cf. locos a Kreyssigio allatos Tacit. Ann. XII, 12, 1. *Ita dignum maioribus suis et familia Cassia ratus, per illas quoque gentes celebratu.* XIII, 55, 2. *Aderatque iis clarus per illas gentes — Boiocalus.* — De accusativi terminatione in *is*, quam codex antiquissimus incorruptam praebet, cf. ad Fr. I, 51, 20. III, 1, 1. III, 73, 10. 19.

48. Multique commeatus interierant insidiis latronum.

. *imperio continenda fuit*) Quum in palimpsesto tantummodo exstet IMPERIOCO . . . NENDAFUIT, Pertzius lacunam sic supplevit, ut scriberet *imperio componenda fuit.* Sed quamquam recte dicitur *res*, *rempublicam*, *terram componere* (cf. Cic. de Legg. III, 18, 42. Liv. XLV, 16, 2. Tacit. Ann. II, 4, 1. quos locos Kreyssigius in Comment. p. 22. attulit), tamen ab hoc loco *componere* verbum alienum est, ubi quaestoris romani imperium cum superioris magistratus domestici imperio comparatur, qui certe Cyrenen non composuerat. Melius, et ita, ut de veritate emendationis dubitari non possit, Kreyssigius l. l. reposuit *continenda;* nam quum summus Cyrenensium magistratus modum, qui senatui romano placeret, non tenuisset, sed nimia licentia egisset et in cives insolenter saeviisset, senatus quaestorem misit, qui novam provinciam *prudentiore imperio* non componeret, sed coerceret, i. e. *contineret.* Usum *continere* verbi Kreyssigius bene illustravit allatis exemplis his: Liv. XLV, 37, 2. *Eadem severitas imperii, quam nunc oderunt, tunc eos continuit.* Id. XXIX, 36, 10. *M. Cornelius cos. non tam armis, quam iudiciorum terrore Etruriam continet.* XXXIX, 28, 2. *Multum ad reliquos Macedones continendos exemplum pertinebat*, ubi v. Drakenborch. Caes. B. G. V, 3, 6.

Praeterea diversorum ordinum) Quod in palimps. conspicitur PRAETERI .... UERSORUM ORDINU. Pertzius satis bene supplevit, nisi quod *praeter ea* scripsit pro *praeterea.* Correxit id quidem Kreyssigius Comment. p. 22.; sed quod sententiam, quae intercidit, talem fere fuisse suspicatur: *Praeterea diversorum ordinum certamina exarserunt*, id non modo incertum, sed ne probabile quidem est. Hoc enim si dixisset Sallustius, nullo pacto ex superiore sententia, qua de rebus Cyrenensibus dixit, per *praeterea* particulam, qua similis generis res adiiciuntur prioribus, transitum facere potuisset ad Romanorum *discordias domesticas.* Quare, quum etiam ex columnae tertiae Fragmento, quo tumultus plebis narratur, colligi possit ordinum certamine eum tumultum non esse ortum, hic quoque de alia re, quae ignoratur, illa verba dicta esse debent.

Fr. 48. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 28. ed. min. III, 81. p. 223, 21. Debr. II, 142.] Hoc Fragmentum, quod exstat apud Nonium VI, 9. p. 449, 29. Merc., inde a Douza coniunctim edebatur cum praemisso altero, quod falso ex II libro relatum in III (Fr. 37.) transtulimus re ipsa flagitante. Nam quod ille putat a grammaticis divulsa esse verba olim cohaerentia: *at Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat, multique commeatus interierant insidiis latronum*, — eius rei neque externum aliquod argumentum est, et internum vehementer repugnat, siquidem de Lu-

49. . . is saevitia. Qua re fatigata plebes forte

cullo in II libro ne verbo quidem actum est, ut taceam posteriorem enunciationem, quae alteram continet famis caussam, absurde adiici priori, qua fames iam *machinata* dicitur *regis cura*. — Quod locum huic Fragmento assignavi inter primum ac secundum Fragmentum Toletanum, audacius quidem videri possit; sed qui, quae ratio intercedat inter sequens Fr. et orationem Cottae, reputaverit, non multum, opinor, dubitabit, quin haec verba eâ columnae secundae parte, quae intercidit, lecta fuerint. Tertiâ enim palimpsesti Toletani columnâ quum de tumultu plebis factoque in consules impetu dicatur, necesse est in antecedentibus caussas eius tumultus fuisse commemoratas. Ad eas respiciens Cotta in oratione ad populum animosque irritatos sedare studens docet *praesentes miserias* (§. 1.), *domi bellique impeditissimam rempubl.* (§. 6.), *infesta Italiae maritima* (§. 7.), *fortunam communem asperam* (§ 8.) sine sua culpa accidisse, hortaturque ut *adversa tolerent* (§. 13.), neve *pacis opulentiam* quaerant, quum omnia aspera sint (§. 14.). Is afflictus autem rerum urbanarum status maxime constabat *fame*, qua iam diu laborabatur, variis caussis effecta. Has igitur quum aperte tetigerit Sallustius, ut ostendunt verba sequentis Fr. *qua re fatigata plebes*, quam maxime probabile est inter alia etiam *commeatus a latronibus interceptos* eum commemorasse, ad quam rem etiam Cotta §. 7. 11. et 14. respicit. *Latrones* utrum intelligendi sint *terrestres*, an *maritimi*, non plane liquet; quamquam enim illo sensu frequentius dicuntur, tamen dubitari nequit, quin etiam praedones ita dicti fuerint, quum *latrocinii* quoque et *latrocinandi* vocabula de piratica usurparentur; cf. Vell. II, 73, 3. Cic. de Rep. II, 4. — Pro *interierant* Gerlachius, Douzam et Carrionem secutus, scriptum fuisse coniicit *interfecti erant*, quae coniectura non, ut ille ait, probabilis, sed prorsus inepta est. Nam quod eam lemmate articuli commendari putant, primum non viderunt id sic habere: „*interfici* et *occidi* et inanimata posse, veteres vehementi auctoritate posuerunt;“ tum eos fugit Nonii exempla non haec modo, sed etiam similia *intercundi* et *perimendi* verba complecti, quae, si sibi constare vellent, pariter pro corruptis habere et in eorum locum *interficere* vel adeo *occidere* substituere debebant; denique vim harum dictionum tam parum assecuti sunt, ut neque varia dicendi genera discernerent, neque perspicerent, etiamsi licet in iocoso et familiari sermone pro *consumptis commeatibus* dicere *interfectos commeatus*, tamen neutiquam licere *commeatus*, *qui interierunt*, *interfectos* dicere.

Fr. 49. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et min. et Debr.] Fragmentum recens accessit ex Palimpsesto Toletano, col. III.

consules ambo, Q. Metellum, cui postea Cretico cogno-

Quum in antiquo folio initium mancum sit, Pertzius enunciationis reliquias . . ISSAEUITIA supplevit *intolerabilis saevitia*, cogitans de discordantium ordinum certaminibus patriciorumque in plebeios summa iniquitate, non multum dissentiente Kreyssigio in Curis secc. p. 22. Nobis plane alia sententia subesse videtur. Non agitur enim in praecedentibus de patriciorum saevitia, ut clare ostendimus ad Fr. 48, sed de miserrimo rerum urbanarum statu summaque, qua plebs premebatur, annonae gravitate. Quare . . *is* reliquias *famis* vocis putamus, ac Fragmento praecedente cum hoc coniuncto tale quid Sallustium scripsisse coniicimus: *multique commeatus interierant insidiis latronum, ut in dies magis ingravesceret famis saevitia.* Quae quamquam nolumus praestare singula, nemo tamen erit, quin videat sententiam ita effectam commode cum sequentibus coire.

Qua re fatigata plebes) *Qua re*, i. e. aucta inopia et annonae caritate. — *Fatigari* quoniam dicuntur, qui rem molestam non amplius tolerare valent, *plebes fatigata* est *pl. ad desperationem adducta.* — *Consules ambo* sunt L. Octavius, qui paullo post memoratur, et C. Aurelius Cotta. Cuius rei ignoratio, felicissimo Rothii et Heerwagenii invento sublata, quot quantosque virorum doctorum errrores in hoc Fragmento explicando genuerit, dici non potest; sed ne acta agere arguamur, iis refellendis abstinebimus. — De accusativi forma *ambo* v. ad Iug. XXI, 4. p. 135. — Pro *Q. Metellum* Kreyssigius primo *atque Q. Metellum*, deinde Weissenbornii coniecturam secutus *Q. que Metellum* scripsit, ratus eum esse *candidatum praetorium*, qui statim post memoratur. Sed id falsum esse mox docebimus.

cognomen inditum, et candidatum) Palimpsesti scripturam non satis in nonnullis litteris perspicuam Pertzius sic legit, ut scriberet *cognomen fuit, vel candidatum.* Quae verba quum ita comparata sint, ut *vel* particula nullo pacto a Sallustio profecta esse possit, Kreyssigius in Comment. p. 25. sagaciter ex dubiis litterarum apicibus lectionem eruit sensu pariter atque oratione commodissimam; quae, quin veram auctoris manum referat, quum dubitari non possit, nollem Kreyssigius in Epist. p. 11. et 17. Heerwagenii coniecturam *cognomentum fuit, candidatum* suae emendationi praetulisset. — Q. Metellum fuisse *candidatum praetorium* consentiens est opinio virorum doctorum omnium, qui de hoc Fr. egerunt; sed quantumvis doctrinae atque acuminis huic opinioni confirmandae impenderint, opera frustra fuit. Nimirum Q. Metellus neque fuit a. 75. a. Chr. n. candidatus praetorius, neque fuisse Sallustius dixit, quippe qui aperte tradat, in *quattuor* viros summae in civitate digni-

men inditum, et candidatum praetorium sacra via de-

tatis, ambos consules, Q. Metellum, qui postea Creticus cognominatus est, *et unum eorum, qui praeturam tum peterent*, forte sacra via una euntes impetum esse factum. Caussa, cur VV. DD. *candidato praetorio* singularem hominem significari non putarent, haud dubie in eo est quaerenda, quod Sallustius eius nomen non addidit; sed omisit, quia in magno praetorum numero, octo enim creabantur, singuli per se minus videbantur notabiles. Distingui autem Metellum a candidato praetorio luce clarius ostendit particulae copulativae ratio, quae deest ante *Metellum*, adest ante *candidatum*: quod inverso modo se habere deberet, si criticorum sententia veritate niteretur. Quam recte enim Kreyssigius locum male affectum emendaverit, vel maxime ex eo elucet, quod vidit in inepta UEL particula, quam Palimpsestum non habet quidem, sed habere videtur, latere *et* voculam, U autem pertinere ad praecedentes litteras IT, unde sponte ducimur ad *inditum*, quo nihil potest esse certius.

sacra via deductos) Palimps. SACRAUIADE . . CTIS. Quod Pertzius inde eruit, criticis fere omnibus unice probatum, *sacra via de tectis*, prima specie quidem placet, re ipsa absonum est. *De tectis* enim pugnabatur tantummodo vel urbe aliqua vi capta, incolisque in promiscua caede omnium tela, quae desperatio suggereret, in hostes infestos de superiore domorum parte iacientibus, vel ubi inter ipsos cives cruentum certamen exarserat, diversis partibus ita incitatis, ut acerrima pugna quasi in capta urbe cieretur. Sed quis sibi persuadeat in paucos homines placide quieteque sacra via euntes subitum de tectis impetum esse factum? Haec rei absurditas quum iam per se ostendat perverse coniungi verba *de tectis invadit*, tum *forte* adverbium documento est aliud a Sallustio quam *de tectis* scriptum esse, siquidem sententia vocibus *forte — invadit* coniunctis supra modum inepta fit. *Forte* igitur quum aliud quam *invadit* verbum poscat, certum est librarium negligentia in terminatione vocis peccasse, ac *deductos* esse scribendum, quod, antequam vidi Huschkium in Kreyssigii Epist. p. 18. in id incidisse, iam Casselius, V. D., sagaci coniectura repertum mecum communicavit. Quam in more fuerit apud Romanos tum patronos tum viros dignitate praecellentes et de domo in forum et ex foro domum honoris et officii caussa deducere, res notissima est; cf. Cic. de petit. cons. c. 9. *Magnam affert opinionem, magnam dignitatem quotidiana in deducendo frequentia.* Id. de Senect. 18, 63. ubi v. Gernhard. Quum igitur *forte* consules ambo, Q. Metellus, et candidatus praetorius sacra via *deducerentur*, i. e. cum comitatu suo incederent, plebs eos invasit.

cum magno tumultu invadit) Palimps. CUMMAGNOTU . ULTU-

ductos cum magno tumultu invadit, fugientisque secuta ad Octavi domum, quae propior erat, in ..... lum pervenit.

MINUADIT. — *Tumultum* quin calami lapsu librarii debeatur, non est dubium. Ceterum non cogitandum est de invasione armis, lapidibus, tegulis facta; sed plebs consules cum ceteris ita invasit, ut eos circumveniret, globo facto premeret, conviciis minis atque exsecrationibus insectaretur, aliis omnibus terreret, quae ira fieri amat, parumque abesset, quin manus illis iniiceret; cf. de simili re Iug. c. XXXIV, 1. *Invadere* igitur quum absolute positum sit, male Huschkius apud Kreyssig. Epist. p. 18., seductus M littera librarii negligentia *tumultu* voci adiecta, scribendum coniecit *tumultu minis invadit.*

fugientisque) In Palimps. est FUGIEN . . . Q. Pertzii errorem *fugientemque* supplentis correxit Kreyssigius; pariter enim ut *deductos* hoc quoque participium ad omnes, qui supra nominati sunt, pertinet. — *Octavi domum* fuisse eam, quae postea Scauri fuit, magnificentia sua illustris, Kreyssigius in Commentat. p, 28. satis probabiliter suspicatur. De eius situ cf. Ascon. ad Cic. or. p. Scaur. p. 27. Orell. *Demonstrasse vobis memini me, hanc domum in ea parte Palatii esse, quae, quum ab sacra via descenderis, et per proximum vicum, qui est ab sinistra, prodieris, posita est.* Aedificata a Cn. Octavio, anno 165. a. Chr. n. cos., de quo v. Drumanni Hist. Rom. Vol. IV. p. 221 sqq., haud dubie hereditate pervenerat ad L. Octavium tum consulem.

quae propior erat) Palimps. corrupte Q.PROPRIOREERAT; sed non melior scriptura, quam Pertzius inde elicuit *qui propraetore erat*, ratus ita Octavii personam accuratius definiri. Nam ut taceam praetoris vocabulum nunquam compendio PRT scribi, quis unquam propraetoris in urbe Roma partes fuisse audivit? His Pertzii erroribus castigatis Kreyssigius in Comment. p. 29. feliciore coniectura locum sanavit, recte assecutus Q. non *qui* sed *que* i. e. *quae* significare, *propriore* autem duplici dormitantis scribae errori deberi, alias quoque obvio; ita enim peccasse interdum librarios, ut initialem proximi vocabuli litteram praecedenti adiicerent, multis exemplis probavit Drakenborch. ad Liv. XL, 7, 8; *propior* vero atque *propius* haud raro corruptum esse in *proprior* et *proprius* Kreyssigius l. l. demonstravit aliquot exemplis ex Livii codd. petitis. Comparativi ratio, id quod Heerwagenius recte vidit in Kreyssigii Epist. p. 20, eo constat, quod Octavii domus cum Cottae comparatur, quae minus erat propinqua fugientibus.

in . . . . . lum pervenit) Quum praeter has litteras nihil

50. *Oratio C. Cottae consulis ad populum.*

Dein Cotta in hunc modum disseruit:

Quirites, multa mihi pericula domi militiaeque, multa

ex antiquae scripturae vestigiis erui possit, mirum est, quod Pertzius tanquam re certa scripsit *in propugnaculum pervenit*, sensu pariter alienum atque fide destitutum. Inde ducta Kreyssigii coniectura (Cur. sec. p. 21 sq.) *in eius coenaculum pervenit* non displiceret, siquidem haud improbabile videtur, multitudinem fugientes secutam non solum in domus Octavianae vestibulum et atrium irrupisse, sed etiam in superiorem eius contignationem sive coenaculum, quo consules ambo cum ceteris se recepisse consentaneum est, scalis ascendisse; sed quoniam ea coniectura iusto fundamento caret, nihil ei tribuendum censeo. Huschkii vero medela p. 277. proposita *ingenti pugna civium pervenit* non solum probabilitate externa non est melior, sed eo nomine multo deterior, quod, ut supra docuimus, pugna civium in illo tumultu plane non fuit.

Fr. 50. [Cort. p. 999—1002. Gerl. ed. mai. Inc. 17. ed. min. II, 97. p. 206. Debr. II, 145.] Haec oratio exstat in codd. Vatt., Ursin., Ciaccon. et Balliol., de quibus v. Praef. Praeterea initii exigua quaedam vestigia supersunt in Palimpsesti Toletani (v. Praef.) col. IV, quae litteris maiusculis expressa hic subiiciemus:

UALIN . . . . . .
INCO . . . . . .
SERUit: Quirites, multa
MIHI pericula domi mili-
TIAEQ. multa advorsa fue-
REQuorum alia tolera-
BIPArtim reppuli deo-
ruM auxiliis.

Quae tenues columnae IV. reliquiae cum cohaererent cum maioribus secundae et tertiae columnae Fragmentis, eo non solum horum locus monstratus est, sed patefactum etiam, quae caussa huius fuerit orationis. Tumultu enim in sacra via coorto quum valde pressus Cotta consul in Octavii domum confugere cogeretur, ubi primum furor defervit multitudinis, prodiit populumque oratione delinire studiit, hoc imprimis agens, ut et rerum adversarum, quibus civitas conflictaretur, se insontem esse doceret, et paratum se ostenderet ad animam pro republica vovendam, si mortem suam, quam ei videntur minati esse, praesentibus incommodis mederi posse crederent; sin minus, tolerarent forti animo adversa et reipublicae consulerent. — Oratio quum anno 75. a. Chr. n. habita sit, quo anno C. Cotta consul fuit, luce clarius est, ad *secundum* librum

advorsa fuere, quorum alia toleravi, partim reppuli deorum auxiliis et virtute mea, in quis omnibus neque ani-

eam pertinuisse, quippe quo res annorum 76. 75. et 74. continerentur. Perperam igitur olim Carrio et Colerus, nuper Gerlachius atque Orellius eam tertio libro assignarunt, quamquam Gerlachius, quum Vol. III. p. 118. gravissimum huius sententiae argumentum ex rebus vanissimis, *loco* orationis, in codd. et ed. Venet. ante M. Licinii orationem scriptae, et *nomine* Cottae, duxisset, in ed. min. ad sanitatem reversus secundo eam libro posuit. — C. Cottam praestantissimis oratoribus annumeratum fuisse Cicero multis locis testatur; cf. Brut. c. 49, 183. *Nulla aetate uberior oratorum fetus fuit. Ex his Cotta et Sulpicius cum meo iudicio tum omnium facile primas tulerunt.* — ibid. c. 56, 204. *Nihil tam dissimile, quam Cotta Sulpicio, et uterque aequalibus suis plurimum praestitit.* Id. ibid. §. 207. *Cottam miror summum ipsum oratorem Aelianas levis oratiunculas voluisse existumari suas.* Id. ibid. c. 88, 301. *Hortensius, quamquam inciderat in Cottae et Sulpici aetatem, qui annis decem maiores, excellente tum Crasso et Antonio dein Philippo et post Iulio, cum his ipsis dicendi gloria comparabatur.* Id. p. Caecin. 33, 97. *Ego hanc caussam, quum agerem contra hominem disertissimum nostrae civitatis Cottam, probavi.* — Eius dicendi genus politum quidem, elegans et limatum fuit, sed parum vehemens et concitatum, et ad persuadendum aptius, quam ad commovendum; cf. Cic. Brut. c. 55, 202. et v. Ellendt. Histor. eloq. rom. §. 30. p. 82. ed. II.

Dein Cotta — disseruit) Haec verba ipsi Cottae orationi praemissa Heerwagenius in Kreyssigi Epist. p. 19. feliciter e Palimpsesti Toletani vestigiis eruit. Sed pro eo, quod in lacuna posuit *hoc modo disseruit*, Kreyssigium l. l. secuti scripsimus *in hunc modum disseruit*, quippe quae verba a Prisciano XVIII, 24, 202. p. 199. Kr. ex Sallustio laudata [v. Cort. p. 1002. Gerl. ed. mai. Inc. 23. ed. min. Inc. 14. p. 237, 10. Debr. V, 24. V, 47.] ex hoc ipso loco desumpta videantur. Minus probabiliter Rothius in Museo philol. Rhen. Vol. VIII. p. 439. Palimpsesti reliquias sic supplevit: *in contione hoc modo disseruit.* Si quid enim video, Cotta non in contione post aliquod tempus advocata, sed statim tumultu utcunque composito orationem hanc habuit, id quod etiam ex peculiari eius indole colligi posse videtur.

§. 1. *alia — partim*) De his vocibus, quae sibi respondent, v. ad Iug. c. XXXVIII, 3. p. 219. *Partim* cum genitivo vel *ex* aut *de* praepositione iunctum vim habet adiectivi partitivi vel nominativo vel accusativo positi; cf. Cic. de Off. II, 21, 72. *Eorum beneficiorum partim eiusmodi sunt, ut ad universos civis pertineant, partim singulos ut attingant.* Id. de Orat. II, 22, 94. — *Toleravi* per-

mus negotio defuit, neque decretis labos. Malae secun-
2 daeque res opes, non ingenium mihi mutabant. At contra

tinet ad *advorsa*, qua voce Cotta haud dubie exilium suum intelligi vult, *reppuli* ad *pericula domi militiaeque*, quibus tum contentiones civiles tum belli aspera significat. — In Palimps. pro *toleravi* scriptum est *tolerabi*, de qua litterarum V et B permutatione, in antiquissimis codd. haud rara, v. Freund. ad Cic. orat. p. Mil. p. 34. Kreyssig. ad Sall. Fr. Vatic. p. 37. Drakenb. ad Liv. II, 29, 12. Alschefski ad VI, 2, extr. et cfr. infra ad Fr. II, 81. III, 77, 2. — *Que* particulam, quam Carrione auctore plerique editores omiserunt, non solum codd. Vatt. sed etiam Palimps. tuentur; Debrossius praeterea commate in vulgata scriptura post *domi* posito sententiam prorsus pervertit *domi* ad *pericula* referens, *militiae* trahens ad *advorsa*. — De ratione pluralis numeri *auxiliis*, ubi etiam dici poterat *auxilio*, v. supra ad I, 10. et Gramm. lat. nostram §. 116, 1. not. 3. p. 224 sq. cf. Cat. VI, 5. LII, 29. — Pro *in quis omnibus*, quod codd. tenent, Weissius pessime scripsit *inque his omnibus*. — *Neque animus* Orellius et Faber inconsulto mutarunt in *nunquam animus*, seducti corrupta lectione ed. Venet., in qua est *in quae is omnibus unquam*. Codicum scripturam recte retinuit Gerlachius. — *Negotium*, quod *decretis* opponitur, praegnanti sensu dictum pro *difficili negotio* vel *rebus asperis* (cf. Cat. c. II, 2.), *decreta* autem sunt *capta consilia* sive *proposita*; igitur sensus est: neque animus defuit ad consultandum, quid res asperae poscerent, neque industria et constantia ad exsequendum, quae facienda decrevissem. A vero autem aberravit Weissius postrema sic interpretatus: neque peperci labori, quo *vestra decreta* perficerem. — Verba *opes*, *non ingenium* quum Gerlachius pro nominativis haberet, commate post *res* posito *mutabant* intransitivo sensu dictum esse contendit; quod quamquam interdum fit (v. ad Iug. c. XXXVIII, 10. p. 224.), tamen ab hoc loco propter sententiam perplexam, claudicantem ac paene absurdam, quae ita efficitur, prorsus est alienum. Mirum autem in re planissima editores quosdam, quod ante oculos est, non vidisse; scilicet verba *opes non ingenium* accusativo posita sunt, subiectum enunciationis *res* voce continetur, unde hic sensus prodit: malae secundaeque res effecere, ut non semper easdem opes haberem, quippe malis rebus exiguas, secundis amplas; sed ingenium, quod ex rebus non pependit, semper idem fuit; sive: prout res vel malae vel secundae erant, opes mihi variae fuerunt, modo exiguae, modo magnae; sed ingenium, non cum rebus mutatum, semper idem fuit.

§. 2. *in his miseriis*) Quas intelligat miserias, supra demonstravimus, in urbe annonae caritatem et gravissimam animorum irritationem, foris afflictum ac paene desperatum imperii romani sta-

in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere. Praeterea senectus, per se gravis, curam duplicat, cui misero, acta iam aetate, ne mortem quidem honestam sperare licet. Nam si parricida vostri sum, et bis genitus 3

tum. — *Senectus per se gravis*, qua curam sibi duplicari ait Cotta, non nimis stricto sensu capienda est; proprie enim senex dici non potuit, qui tum annos natus esset novem et quadraginta; cf. Fischeri Tabb. chronol. hist. rom. p. 147. et Ellendtii Hist. eloq. rom. §. 29. not. 84. p. 78. ed. II. Videtur igitur Cotta, qui sane non amplius iuvenis esset, praematuram senectutem eo consilio commemorasse, ut populi misericordiam eo facilius commoveret. — *Cui* referri ad supplendum pronomen *mihi* vix est, quod moneatur. — Pro *acta iam aetate*, quod omnes codd. tuentur, Carrio scripsit *senecta iam aetate*, ratus, quod Servius ad Virg. Aen. XI, 165. Sallustium refert his verbis usum esse, ea non aliunde quam ex hoc loco esse desumpta. Sed ut taceamus multis aliis locis virorum *senecta iam aetate* mentionem iniici potuisse, non solum codicum auctoritas Carrionis scripturae adversatur, sed etiam hoc, quod ipsa sententia propter praecedens *senectus* misere languet. Quare Orellius, Faber et Gerlachius in ed. min. recte scripturam e Servio petitam repudiarunt. Nihilominus Doederlinus in Synonym. Lat. Vol. IV. p. 94. aliquam ei fidem tribuens coniecit *cui misero, seni, acta iam aetate*, quae coniectura ingeniosi ceteroquin et circumspecti critici quum omni fundamento destituatur, merito infelix putanda est.

§. 3. *parricida vostri*) De vi *parricida* vocis v. ad Cat. c. XXXI, 8. p. 149. Quid Cotta parricidii crimine hic intelligi velit, ipse sequentibus verbis *deos penatis — vilia habeo* accuratius declarat; quare *et* particula explicativam vim habet, de qua v. ad Cat. XIX, 2. p. 92. — Genitivi *vostri* rationem illustravimus ad Cat. c. XXXIII, 2. p. 154 sq. — *Bis genitum* se Cotta dicit, quia adversariorum factione anno 90. a. Chr. n. in exilium pulsus octo annis post in patriam revocatus fuerat, ut reditu suo quasi iterum natus videretur, quum, qui civitate carerent, vix numerarentur inter vivos. Similiter Cicero de se loquitur, quum in patriam esset restitutus; cf. Epp. ad Attic. IV, 1, extr. *Alterius vitae quoddam initium ordimur*. Id. ib. VI, 6, extr. *Amicorum litterae me ad triumphum vocant, rem a nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν nostram non negligendam*. Id. p. red. in Sen. 11, 27. *Illum diem P. Lentulus mihi fratrique meo liberisque nostris natalem constituit*. Ceterum *genitus* participium hic habere vim enunciationis concessivae in promptu est. — *Hic* utrum simpliciter loci potestatem habeat, ut sit *in urbe Roma*, an de tempore ac rerum condicione dictum va-

hic deos penatis meos patriamque et summum imperium vilia habeo, quis mihi vivo cruciatus satis est, aut quae poena mortuo? quin omnia memorata apud inferos sup-
4 plicia scelere meo vici. A prima adulescentia in ore

leat *in hoc rerum statu*, de quo usu v. Daehnium ad Nep. I, 3, 3. coll. annotatione nostra ad Cat. c. LII, 11. p. 267., non plane liquet; mihi tamen posterior ratio accommodatior videtur. — Pro *quin*, quod tum Vatic. 1., tum Carrionis et Ursini codd. tenent, olim ex Vatic. 2. edebatur *quum*, quod non modo soloecum est, sed etiam sententiam reddit valde elumbem interrogatione usque ad *vici* protracta. Contra nervos orationi addi, si extrema verba correctionem et exaggerationem praecedentis interrogativae sententiae continent, nemo est quin sentiat. — *Omnia supplicia scelere meo vici* i. e. omnia supplicia minora sunt pro scelere meo. Simili modo Caesar de Catilinae sociis dicit Cat. LI, 8. *Magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat.*

§. 4. *in ore vostro*) V. annotata ad Iug. XXXI, 10. p. 181. Fr. I, 92. — Ad *voluere* ex primaria enunciatione, ut saepe fit, ubi praecedit relativa sententia, infinitivus *uti* supplendus est; cf. §. 5. *Vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim.* Iug. XLIX, 2. *Quae ab imperatore decuerint, omnia suis provisa*; ubi v. quae p. 277. annotavimus. cf. etiam supra ad I, 51., 10. et Gramm. lat. nostr. §. 159, 5. p. 603. — Pro *callidam facundiam* Ursinus maluit *caninam facundiam*, opinatus verba a Nonio allata, quae supra Fr. 46. exhibuimus, ex hoc loco desumpta esse. Id negat quidem Rupertus, sed tamen *callidam facundiam* nihil aliud significare censet quam *caninam*. Utrumque falsum; nimirum *callida fac.* hic intelligenda est perfida, ambigua, utrique parti inserviens et adulans, quia Cotta hoc maxime agit, ut probet nunquam se mala fide egisse in populum, nunquam eius caussam, dum callide eam tueri se simularet, inimicae factioni prodidisse. — *Privata gratia* est, quae a privatis vel singulis initur; quae quum opponatur inimicitiis *pro republ.* susceptis, totius loci sententia haec est: propter bonum publicum eas partes in republica secutus sum, quae mihi maximas multorum inimicitias genuerunt, non curans privatam gratiam mihi ita perire, licet eius essem avidissimus. — Verba *quis victus cum illa simul* aperte spectant ad Cottae exilium, cuius *caussam* inimicitias suas pro republ. susceptas et reipublicae ipsius lacerationem fuisse dicit; quod non assecutus Cortius interpolationem ed. Venet. *qui victus* perperam retinuit. Ad hunc locum imperita est et historiae inscientia insignis annotatio Gerlachii Vol. II. p. 120. haec: „Videtur Cotta caussam nobilium contra Saturnini

vostro privatus et in magistratibus egi; qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt; neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad malefaciundum exercui; avidissumus privatae gratiae maxumas inimicitias pro republica suscepi; quis victus cum illa simul, quum egens alienae opis plura mala exspectarem, vos,

et Sulpicii insaniam defendisse, quibus saepius opponitur; cf. Cic. Brut. 57. 59. 63." Cotta enim quum anno 90. a. Chr. n. in exilium abiret, Saturninus autem iam anno 100. interfectus esset, Sulpicius vero demum anno 88. republica perniciosis legibus exagitata occideret, eorum insania ille neque potuit in exilium actus esse, neque omnino cum iis contentiones exercuit, qui Saturnino oppresso rempublicam nondum attigisset adolescentulus XXIV annorum, cum Sulpicio vero coniunctissime viveret. Tum Saturnino cum et Sulpicio saepius *opponi* novum inventum est Gerlachii, mira vanitate tria eius rei testimonia ex Bruto citantis, quorum nullo Saturninus memoratur, in omnibus autem, pariter ut innumeris aliis Bruti ac trium de Oratore librorum locis, Sulpicius et Cotta ita laudantur, ut appareat *ipsos* sibi minime fuisse inimicos, sed *dicendi genus* eorum fuisse valde dissimile ac paene contrarium. — Lege Varia Cottam civitate excidisse luculenter tradit Appian. B. Civ. I, 37. (Vol. II. p. 54. ed. Schw.) *Οἱ ἱππεῖς ἐπίβασιν ἐς συκοφαντίαν τῶν ἐχθρῶν τὸ πολίτευμα τοῦ Δρούσου τιθέμενοι Κόϊντον Οὐάριον δήμαρχον ἔπεισαν εἰσηγήσασθαι κρίσεις εἶναι τῶν τοῖς Ἰταλιώταις ἐπὶ τὰ κοινὰ φανερῶς ἢ κρύφα βοηθούντων, ἐλπίσαντες τοὺς δυνατοὺς ἅπαντας αὐτίκα εἰς ἔγκλημα ἐπίφθονον ὑπάξεσθαι, καὶ δικάσειν μὲν αὐτοί, γενομένων δ' ἐκείνων ἐκποδὼν, δυνατώτερον ἔτι τῆς πόλεως ἐπάρξειν. Τὸν μὲν δὴ νόμον ἀπαγορευόντων τῶν ἑτέρων δημάρχων μὴ τίθεσθαι, περιστάντες οἱ ἱππεῖς σὺν ξιφιδίοις γυμνοῖς ἐκύρωσαν· ὡς δ' ἐκεκύρωτο, αὐτίκα τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν βουλευτῶν ἐπεγράφοντο κατήγοροι. Καὶ Οὐηστίας μὲν οὐδ' ὑπακούσας ἑκὼν ἔφευγεν, ὡς οὐκ ἐκδώσων ἑαυτὸν ἐς χεῖρας ἐχθρῶν· καὶ Κόττας ἐπ' ἐκείνῳ παρῆλθε μὲν ἐς τὸ δικαστήριον· σεμνολογήσας δὲ ὑπὲρ ὧν ἐπεπολιτεῦτο καὶ λοιδορησάμενος τοῖς ἱππεῦσι φανερῶς, ἐξήει τῆς πόλεως καὶ ὅδε πρὸ τῆς ψήφου.* Cum Appiano in summa rei consentit Valer. Max. VIII, 6, 4. *Q. Varius trib. plebis legem adversus intercessionem collegarum perrogavit, qua iubebat quaeri quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent.* cf. Ascon. in Cic. or. p. Corn. p. 73. Orell. *Bello Italico, quum multi Varia lege inique damnarentur, quasi id bellum illis auctoribus con-*

Quirites, rursus mihi patriam, deos penatis cum ingenti
5 dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix satis gra-
tus videar, si singulis animam, quam nequeo, conces-
serim; nam vita et mors iura naturae sunt; ut sine de-
decore cum civibus, fama et fortunis integer agas, id
6 dono datur atque accipitur. Consules nos fecistis, Qui-

flatum esset. Ea lege Cottam accusatum fuisse cognoscitur etiam ex Cic. Brut. c. 56, 205. *Cottae oratio pro se lege Varia quae inscribitur, cam L. Aelius scripsit Cottae rogatu.* Tectam caussam illius accusationis tangit Cicero de Orat. III, 3, 11. *C. Cotta, quem Crassus florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi depulsus per invidiam tribunatu non multis ab eo tempore mensibus eiectus est e civitate.* Scilicet quum Cotta exstremo anno 91. a. Chr. n. tribunatum in proximum annum peteret, v. Cic. de Orat. I, 7, 25., eius aemuli, quo petitionem irritam redderent, lege Varia usi sunt ad eum circumveniendum, quippe quae facillimam viam praeberet ad omnes, quoscunque vellent, aggrediendos. — Verba *cum ingenti dignitate* quamquam pro circumscriptione adverbii haberi possunt, ut idem fere significent atque *honorificentissime*, tamen rectius *obiecti* potestate intelliguntur, quod praecedentibus per *cum* particulam adiicitur, quum in promptu sit *consulatus dignitatem* a Cotta significari.

§. 5. *iura naturae sunt*) In Vat. 2. et ed. Ven. est *iure naturae sunt*, quod quamquam a reliquorum codicum scriptura sensu parum differre videtur, tamen prorsus alienam sententiam habet. Non agitur enim de eo, quod vel *iure* naturae sit, vel *iniuria* ei tribuatur; sed Cotta, ut demonstret vitam se pro acceptis beneficiis dare non posse, distinguit inter ea, quae naturae necessitati parent, et liberas hominum actiones; ad illa vitam et mortem pertinere, ad has decus et fortunae integritatem a civibus datam; illa hominum non esse dona, sed iura naturae, has solas dono dari posse. Quoniam igitur vera dona opponuntur iis, quae dona esse nequeunt, inde perspicuum est ad eam notionem exprimendam iustum substantivum requiri, adverbiali dictioni locum non esse. Quare *iura* unice verum. — *Nam* refertur ad praecedens *nequeo.*

§. 6. *Consules nos fecistis*) Pluralis non de utroque consule videtur intelligendus, sed de Cotta solo; cf. ad Iug. XVII, 7. p. 106. et Gramm. lat. nostr. §. 110. not. 4, 6. p. 226. — *Arma*, quae vox in Gerlachii ed. min. deest, haud dubie casu excidit. — *Imperatores Hispaniae* sunt Metellus et Pompeius. — *Sertori per montis fuga* superbia romana dicitur a Cotta Sertorii proprium ac Romanis mo-

rites, domi bellique impeditissuma republica. Namque imperatores Hispaniae stipendium, milites, arma, frumentum poscunt; et id res cogit, quoniam defectione sociorum et Sertori per montis fuga neque manu certare

lestissimum ac damnosissimum belli gerendi genus, de quo sic refert Plutarchus in Sertor. c. 12, extr. (Vol. II. p. 600. ed. Sint.). *Οὐκ εἶχεν ὁ Μέτελλος ὅ τι χρήσαιτο προσπολεμῶν ἀνδρὶ τολμητῇ, πάσης ἐξαναδυομένῳ φανερᾶς μάχης, πᾶσαν δὲ μεταβαλλομένῳ μεταβολὴν εὐσταλίᾳ καὶ κουφότητι τῆς Ἰβηρικῆς στρατιᾶς, αὐτὸς ὁπλιτικῶν καὶ νομίμων ἀσκητὴς γεγονὼς ἀγώνων καὶ στρατηγὸς ἐμβριθοῦς καὶ μονίμου φάλαγγος, ὥσασθαι μὲν εἰς χεῖρας ἐλθόντας πολεμίους καὶ καταβαλεῖν ἄριστα γεγυμνασμένης, ὀρειβατεῖν δὲ καὶ συνηρτῆσθαι διώξεσι καὶ φυγαῖς ἀπαύστοις ἀνθρώπων ὑπηνεμίων καὶ λιμὸν ἀνέχεσθαι καὶ δίαιταν ἄπυρον καὶ ἄσκηνον, ὥσπερ ἐκεῖνοι, μὴ δυναμένης.* — *Manu certare* Cortius recte explicat iusto proelio, pede collato certare, cominus congredi; v. ad Iug. c. LVII, 4. *Cupere proelium manibus facere.* — *Utilia* omnino sunt omnia ad alendum exercitum et ad bellum necessaria; cf. Iug. c. LXXXVI, 1. *Marius commeatu, stipendio, armis aliisque utilibus navis onerat.* Eadem saepius dicuntur *utensilia*; cf. Tacit. Ann. I, 70, 4. *Pernoctavere sine utensilibus, sine igni*, ubi v. Gronov. Liv. III, 42, 5. *Exutus omnibus utensilibus miles Tusculum se fide misericordiaque victurus hospitum contulerat.* Ceterum verba *utilia parare* per chiasmum referuntur ad remotiorem ablativum, de quo verborum ordine v. ad Cat. LXI, 9. p. 326. et ad Iug. VII, 5. p. 43.

§. 7. *in Asia*) i. e. in provincia romana, cui Asiae nomen fuit. Ea complectebatur Mysiam et Hellespontum cum Troade, Aeolidem, Ioniam, Doridem cum Rhodo insula, Lydiam, Phrygiam et Cariam. — *Ob nimias opes Mithridatis*, sc. quas ille ita parabat, ut appareret eum primo quoque tempore bellum esse sumpturum. De eius apparatu v. Appian. B. Mithr. c. 69. (Vol. I. p. 743. Schw.). *Μιθριδάτης μὲν οὖν — πᾶσαν ἐπενόει παρασκευὴν, ὡς ἄρτι δὴ κριθησόμενος περὶ ἁπάντων. Καὶ τὸ λοιπὸν τοῦ θέρους καὶ τὸν χειμῶνα ὅλον ὑλοτομῶν ἐπήγνυτο ναῦς καὶ ὅπλα, καὶ σίτου διακοσίας μεδίμνων μυριάδας ἐπὶ θαλάσσῃ διετίθει. σύμμαχοί τε αὐτῷ προσεγίγνοντο, χωρὶς τῆς προτέρας δυνάμεως, Χάλυβες, Ἀρμένιοι, Σκύθαι, Ταῦροι, Ἀχαιοὶ, Ἡνίοχοι, Λευκόσυροι, καὶ ὅσοι περὶ Θερμώδοντα ποταμὸν γῆν ἔχουσι τὴν Ἀμαζόνων λεγομένην. Τοσαῦτα μὲν ἐπὶ τοῖς προτέροις αὐτῷ περὶ τὴν Ἀσίαν προσεγίγνετο· περάσαντι δ' ἐς τὴν Εὐρώπην Σαυροματῶν οἵ τε Βασίλειοι καὶ Ἰάζυγες, καὶ Κόραλλοι, καὶ Θρᾳκῶν ὅσα γένη παρὰ τὸν Ἴστρον ἢ*

7 possunt, neque utilia parare. Exercitus in Asia Ciliaque ob nimias opes Mithridatis aluntur, Macedonia plena hostium est, nec minus Italiae marituma et provinciarum, quum interim vectigalia parva et bellis incerta vix par-

Ῥοδόπην ἢ τὸν Αἷμον οἰκοῦσι, καὶ ἐπὶ τοῖσδε Βαστάρναι, τὸ ἀλκιμώτατον αὐτῶν γένος. Τοσάδε μὲν δὴ καὶ τῆς Εὐρώπης τότε προσελάμβανεν ὁ Μιθριδάτης. Καὶ μυριάδες ἐκ πάντων ἐς τὸ μάχιμον αὐτῷ συνελέγοντο τεσσαρεςκαίδεκα μάλιστα πεζῶν, καὶ ἱππεῖς ἐπὶ μυρίοις ἑξακισχίλιοι. πολὺς δὲ καὶ ἄλλος ὅμιλος ὁδοποιῶν καὶ σκευοφόρων εἵπετο καὶ ἐμπόρων. — De *Macedonia plena hostium* v. annotata ad Fr. 41. 42. 43. — *Italiae marituma et provinciarum* infestabantur a piratis, ut dictum est ad Fr. 48. cf. Cic. p. l. Manil. c. 12. Plutarch. in Pomp. c. 24. — De usu et ratione particularum *quum interim* v. Gramm. lat. nostr. §. 147. 4. not. 2. a. p. 508 sq. collata annotatione ad Iug. c. XII, 5. p. 64. Hist. Fr. III, 1, 2. — *Partem sumptuum* Faber pro *dimidia parte sumptuum* dictum censet, quod mihi non persuasit. Nam quae affert huius significationis exempla ex Livio VIII, 4, 11. et c. 24, 14. petita, vulgarem explicationem facile admittunt; qui autem speciosior est ad probandum locus Ciceronis p. Mur. c. 20, 42. *multi viri fortes et prope pars civitatis offensa est*, vitio affectus videtur et sic emendandus: *et proba pars civ. off. est.* Nostri loci ratio expedita est, si tenueris *partem* in universum significare *id*, *quod toto minus est.* Quare hoc dicit Cotta: vectigalia neutiquam *omnes* sumptus praestant, eorumque exiguam tantum partem sustinent. Difficultatis autem significatio non magis in *vix* particula quam in *sustinere* verbo inest, quod legitime de iis rebus dicitur, quae negotium facessunt hominibus, et quamvis contentione adhibita tantummodo imperfecte fiunt; cf. quae de simili usu verbi *tolerare* diximus ad Catil. c. XXIV, 3. p. 119. Alienum igitur est, quod Gerlachius Vol. III. p. 121. *sustinent* interpretatur *suggerunt*, *suppeditant*, *praebent.* — *Ita*, quod Ciacconius mirifice pro *praeterea* positum censet, valet *his rebus ita comparatis*, cf. Cat. VIII, 4. Iug. LXXXVII, 3. et v. ad Cat. VII, 6. p. 41.; id non assecutus Havercampius male coniecit *sustinentia: classe* etc. — *Quae commeatus tuebatur* constans est et sanissima omnium codd. lectio, in editt. olim in hunc modum depravata *qua commeatus vehebatur.* Totius loci sensus, quem Cortius parum perspexit *tuebatur* imperite censens pro *tueatur* positum esse, hic est: classis, quae *olim sufficiebat* commeatibus tuendis, iam, vi imperii tot difficultatibus districta, in tam multas minutasque partes dividenda fuit, ut commeatibus tuendis par esse non possit.

tem sumptuum sustinent; ita classe, quae commeatus tuebatur, minore quam antea navigamus. Haec si dolo aut 8
socordia nostra contracta sunt, agite, ut monet ira, supplicium sumite; sin communis fortuna asperior est, quare indigna vobis nobisque et republica incipitis? Atque ego, 9
cuius aetati mors propior est, non deprecor, si quid ea

§. 8. *contracta*) *Contrahi* ubi idem est, atque *gigni*, *oriri* vel *effici*, semper fere de re mala, iniqua vel molesta dicitur; cf. ad I, 45, 19. — *Agite, ut monet ira* omnes codd. praebent, pro qua verissima scriptura variae corruptelae editiones invaserunt; ante Carrionem enim vulgatum fuit *agite uti libet et ita;* in aliis exstat *agite, et uti libet, ita*, in aliis *agite uti lubet, ita*, quae omnia nimis longe a codicum auctoritate recedunt. Eam ex parte quidem secutus est Cortius, sed tamen *agite* sine iusta caussa omisit. Dubium est autem, utrum haec vox particulae cohortativae naturam induerit, ut *agite dum* valeat, an propria verbi potestate retenta significet *facite*. Nobis haec posterior ratio probatur, quia oratio multo gravior fit, si generali sententiae *agite ut monet ira* subiicitur definitior *supplicium sumite*. — *Fortuna communis* sc. omnium, et vestra, et nostra, qui pariter affligimur; *asperior* sc. solito; cf. Gramm. lat. nostram §. 124, 4. b. not. 9. e. p. 328.

§. 9. *cuius aetati mors proprior est*) Comparativus refertur ad omissum comparationis membrum, sic fere supplendum: *quam vegeta ac florens iuventus;* — *aetas* autem per metonymiam dictum pro eo, qui aliqua aetate est; quare *cuius aetati* significat *cui seni*. — *Non deprecor*, sc. mortem. — Verba *ingenio corporis*, quae in omnibus exstant codicibus, plurimum difficultatis crearunt editoribus, multisque sat infelicibus coniecturis sunt tentata. In vulgatis enim ante Carrionem edd. est *ingenuo corpori;* Cortius coniecit *ingenui corporis;* Orellius *in senio corporis*, quamquam huius coniecturae in ed. omnium Sallustii operum postea eum poenituit; Gerlachius in textu ed. mai. vulgatam secutus in Commentt. Vol. III. p. 122. proposuit *neque morbis aegro corpore*, idem tamen in ed. min. ad codicum scripturam se recepit; Wassius denique scribi voluit *neque mors ingenuo corpori — finem vitae fecerit*. Haec omnia refellere longum est; sufficiet veram scripturae codicum sententiam aperuisse, quo falsa esse editorum commenta sponte apparebit. Igitur *ingenium corporis*, quod editores concoquere non potuerunt, nihil aliud est, quam *natura et indoles corporis*, quo sensu *ingenium* de quavis re dicitur; cf. supra Fr. I, 61. *Oceani duas insulas constabat suopte ingenio alimenta mor-*

vobis incommodi demitur; neque mox ingenio corporis honestius, quam pro vostra salute, finem vitae fecerim.
10 Assum en Gaius Cotta consul; facio quod saepe maiores asperis bellis fecere, voveo dedoque me pro republica,
11 quam deinde cui mandetis circumspicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, quum fortunae et maris et

talibus gignere. III, 17. *Pugna ingenio loci prohibebatur.* Tacit. Ann. VI, 41, 1. *Clitarum natio locorum ingenio sese tutabatur.* Plin. H. N. XIV, 1. *Mores coeli solique ingenia.* Mela I, 7. *Leptis altera nomine atque ingenio par priori.* Corporis autem ingenium quum tale sit, ut lege naturae ei mors sit proposita, verborum Cottae haec mens est: *neque, quum post breve tempus naturae lege mihi moriendum sit, hic finis vitae tam honestus fuerit, quam si pro vestra salute eam voverim.* Quod autem pro *naturali morte obire* dicitur *finem vitae facere*, id factum quadam dicendi sive brevitate sive concinnitate, quam comparativae sententiae natura genuit; nam quum *vitae sponte finem facere pro salute civitatis* et *vitae finem invenire lege naturali* inter se comparetur respectu honestatis, quoniam illa sententia pro consilio orationis praevalet, verbo ei conveniente auctor utrumque membrum complexus est. Quod quum quandam analogiam zeugmatis habeat, tum eo mitigatur, quod, quemadmodum simplex *finire* verbum non solum *finem facere*, sed etiam *finem habere* significat, ita composita dictio *finem facere* pariter transitivo et intransitivo sensu usurpari potuisse videatur.

§. 10. *Assum en Gaius Cotta*) De *en* particula, quae monstrat rem praesentem vel ante oculos positam, v. Handium de Particc. lat. Vol. II. p. 367. — Ad verba *quod saepe maiores asperis bellis fecere* Orellius apte contulit Cic. Tusc. I, 37, 89. *Mors si timeretur, non L. Brutus arcens cum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in proelio concidisset; non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos, se hostium telis obiecissent; non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hispania vidisset, Paullum et Geminum Cannae, Venusia Marcellum, Litana Albinum, Lucania Gracchum.* — In verbis *quam deinde cui mandetis circumspicite* relativa enunciatio, quae vim adversativae sententiae (*sed eam*) sustinet, cum interrogativa in unam confusa est; cf. Cic. Orat. c. 56, 190. *Elegit ex multis Isocratis libris triginta fortasse versus Hieronymus, peripateticus imprimis nobilis; quo quid potest esse turpius?*

§. 11. *et maris*) Pro hac omnium codd. scriptura ante Carrionem insulsa interpolatio *et pacis* editiones occupavit, a Debrossio

belli ab aliis acti ratio reddunda, aut turpiter moriundum sit. Tantummodo in animis habetote non me ob scelus 12
aut avaritiam caesum, sed volentem pro maxumis beneficiis animam dono dedisse. Per vos, Quirites, et glo- 13
riam maiorum, tolerate advorsa, et consulite reipublicae. Multa cura summo imperio inest, multi ingentes 14

quoque et Weissio retenta. Respicit Cotta ad infestata a praedonibus maria commeatusque interceptos, quo annonae caritas in urbe tantaque in consulem ira exorta erat; v. ad Fr. II, 48. — *Belli ab aliis acti* auctor consulto et perquam apte dicit, quamquam *bellum gerere* sollenni usu dicitur. Ita enim differunt *agere* et *gerere* verba, ut illud latiore sensu usurpetur de rebus *movendis* atque *impellendis*, quo unice constat notio *actionis*, (cf. Cic. de N. D. I, 37, 102. *Haec oratio non modo deos spoliat motu et actione divina, sed etiam homines inertes efficit*), hoc vero astrictius dicatur de iis, quae quis aggreditur et quasi *in manus sumpta tractat.* Quamquam igitur hoc discrimine observato de multis utrumque verbum adhiberi potest, velut *negotia agere* et *gerere*, tamen *rem gerere* de pugna, *res gestae* de factis militaribus et civilibus, *rem publicam gerere* de civitate administranda, et ipsum *bellum gerere* proprie dicitur, quoniam in his omnibus certa ac definita ratio certumque rei tractandae consilium cognoscitur. Sed hoc ipsum vitio ducum in bello desiderari Cotta significat, tantummodo *actum* dicens, quod *gestum* esse oportebat; indefinito enim et quasi *ἀδιαφόρῳ agere* vocabulo in malam partem usus bellum *sine successu administratum et cum detrimento reipublicae tractum* intelligi vult. — Ceterum tres genitivi non sunt eiusdem generis, ut putavit Cortius multique alii, qui commate post *fortunae* distinxerunt, sed *et maris et belli* attributa sunt *fortunae*, qua voce, quae sola pendet ex verbis *ratio reddunda*, *incertus* vel potius *infaustus eventus* significatur.

§. 13. *Per vos, Quirites, et gloriam maiorum*) Ante Ciaconium post *vos* edebatur *igitur;* quod quum in nullo codice exstet, plurimi editores, excepto Debrossio et Weissio, apertam interpolationem merito eiecerunt. — In obtestatione ipsa *vos* non obiectum est ex omisso verbo pendens, sed continuo ex *per* aptum eam vim habet, ut ipsos Romanos, quos Cotta alloquitur, testes precum faciat; quippe quorum *praesens* maiestas pronomine declarata gloriae *maiorum* opponatur. Usus eandem personam testandi, ad quam oratio dirigitur, quamquam non admodum frequens est, tamen idoneis exemplis non caret; cf. Iug. XIV, 25. *Patres conscripti, per vos, per liberos atque parentis vestros, per maiestatem populi ro-*

labores, quos nequicquam abnuitis, et pacis opulentiam quaeritis, quum omnes provinciae, regna, maria terraeque aspera aut fessa bellis sint.

51. Neque apud Sallustium, neque apud Livium, neque apud Fenestellam ullius alterius ab eo latae legis mentio, praeter eam, quam in consulatu *tulit re-*

muni, subvenite mihi, ubi v. annotata p. 91. Liv. XL, 9, 7. *Per te patriumque nomen — ita me audias precor.* De omisso obtestandi vel orandi verbo v. Hand. de Partice. lat. Vol. IV. p. 440. 5. Mützell. ad Curt. IV, 55, 24. p. 345. et Gramm. lat. nostr. §. 159, 5. p. 602., unde patet, quam imperite in antiquis edd. et nuper in Weissiana *precor* post maiorum inculcatum sit.

§. 14 *Multa cura summo imperio inest*) i. e. multa cura iis suscipienda est, qui summum imperium tenent; quibus verbis Cotta satis callide populum maiestatis suae admonet. — De adiectivis *multi ingentes* sine copulativa particula positis v. Gramm. lat. nostr. §. 120, 3. Additam. 2. b. p. 290. — Verbis *pacis opulentiam quaeritis* Cotta tangit querelas de annonae gravitate; v. Fr. II, 48, 49. — *Aspera* valet *difficultatum ac periculorum plena;* v. ad Iug. c. XXIX, 1. p. 164. — *Fessa* hic est *exhausta opibus* et sumptibus imperii sustinendis imparia.

Fr. 51. [Deest op. Cort. Gerl. ed. mai. Inc. 219. ed. min. II, 83. p. 205, 17. Debr. II, 146.] Fragmentum est apud Ascon. Ped. ad Cic. p. Corn. p. 66. ed. Orell., sed ita, ut appareat eum non tam ipsa verba Sallustii accurate referre, quam res modo ab illo narratas respicere. Lacunosa Asconii verba explevimus variorum criticorum inventis. *In consulatu* scripsimus ex Madvigii emendatione pro vulgato *in concione*, quod ineptum est; — *tulit repugnante* debetur Hotomanno, cetera omnia Manutio. Egit autem Sallustius eo Historiarum loco, unde haec desumpta sunt, de C. Cotta, qui consul lege sua, quae *Aurelia* vocatur, initium fecit tollendae Corneliae, restituendaeque tribuniciae potestatis, qualis olim fuisset. De eadem lege intelligenda sunt verba in oratione M. Licinii, Fr. III, 82, 8. *Nisi forte C. Cotta, ex factione media consul, aliter quam metu iura quaedam tribunis plebei restituit.* cf. Ellendt. Hist. eloq. rom. §. 30. p. 81. ed. II. — Nobilitatem talem legem quovis modo impedire studuisse ut per se consentaneum est, ita patet etiam ex loco Ciceronis Fragm. or. p. Corn. p. 78. Or. *Inimicissimi C. Cottae fuerunt, quod is consul paullum tribunis plebis non potestatis, sed dignitatis addidit.* Quam ingrata autem lex Aurelia perlata fuerit nobilibus, cognoscitur praeterea ex eo, quod eius

pugnante nobilitate, magno populi studio, ut iis *qui tribuni plebis* fuissent, alios quoque magistratus *capere liceret*, quod lex a dictatore Sulla paucis *ante annis* lata prohibebat.

52. Ventis per cava terrae praecipitatis rupti aliquot montes, tumulique sedere.

suasor Q. Opimius paullo post iudicio circumventus est; cf. Cic. in Verr. I, 60, 155. *Petita multa est apud Verrem praetorem a Q. Opimio, qui adductus est in iudicium, — quod in tribunatu dixisset contra alicuius hominis nobilis voluntatem. De quo iudicio si velim dicere omnia, multi appellandi laedendique sunt; — tantum dicam, paucos homines, ut levissime appellem, arrogantes Verre adiutore Q. Opimium per ludum et iocum fortunis omnibus evertisse.* Pauci illi homines arrogantes intelligendi sunt Q. Catulus, Q. Hortensius, C. Curio; cf. Ascon. ad h. l. et Drumanni Hist. rom. Vol. III. p. 87. — De Sullae lege tribunicia v. Wiltichii librum de reip. rom. forma a Sulla commutata p. 58—81.

Fr. 52. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 26. ed. min. II, 77. p. 205, 11. Debr. II, 67. III, 68.] Isidor. XIV, 1, 2. (Corp. Gramm. lat. Vol. III. p. 433.) *Ventis — praecipitatis* scripsimus secuti Ottonem l. l.; libri enim corrupte vel *venti — praecipitati* vel *venti — praecrupti*, vel *venti — citati*. Ex eodem Historiarum loco Servius ad Virg. Georg. II, 479. affert *venti per cava terrae citati* reliquis omissis. Quae quum haud dubie memoriter laudata sint, nullam vim habent ad Isidori verba constituenda, nisi quod Servii testimonio probatur Sallustium non *concava*, quemadmodum Otto ex uno cod. dedit, sed *cava* scripsisse. *Praecipitari*, quod vulgo significat deorsum ferri, hic valet *cum vi prorumpere*. — Fragmentum probabiliter pertinuit ad narrationem de ingenti terrae motu, quo Reate a. 76. a. Chr. n. afflictum est, cuius rei memoriam conservavit Iul. Obsequens de Prodigg. c. 120. *Reate terrae motu aedes sacrae in oppido agrisque commotae, saxa, quibus forum stratum erat, discussa, pontes interrupti, ripae labentis fluminis in aquam provolutae, fremitus inferni exauditi, et post paucos dies, quae concussa erant, corruerunt. Saxum vivum quum provolveretur, in praecipiti rupe immobile stetit.* Liber, unde desumptum est Fragmentum, quum neque ab Isidoro neque a Servio indicatus fuerit, *secundo* attribuendum putavimus, qui res illius anni complectitur, ubi consentaneum est auctorem illud factum, quum de rebus urbanis atque Italicis ageret, retulisse. Neque tamen ita certa res est, ut non etiam de *quarto* libro et de urbe Roma (v. Fr. IV, 51.) cogitari pos-

CAP. VI.

Bellum Mithridaticum tertium. — De Mithridatis genere et maioribus, tum quo ingenio ac moribus fuerit, exponitur. — Belli initia et adiutores. — M. Cottae clades ad Chalcedonem.

---

53. A Dario Artabanes originem ducit, quem conditorem regni Mithridatis fuisse *[confirmat Sallustius Crispus.]*

sit, collatis iis, quae ex Phlegontis *Χρονικῶν συναγωγῆ* Photius refert in Bibl. cod. 97. p. 84. a. 12. ed. Bekker. *Ἐν τῇ ροζ΄ Ὀλυμπιάδι ἐνίκα Ἑκατόμνως Μιλήσιος στάδιον — Λεύκολλος δὲ Ἀμισὸν ἐπολιόρκει — καὶ προῆγεν ἐπὶ Καβείρων, ὅπου διεχείμαζε. Καὶ σεισμοῦ ἐν Ῥώμῃ γενομένου πολλὰ ταύτης συνέπεσε.* Quae quamquam ita dicta videntur, ut terrae motus Romae a. 71. a. Chr. fuisse statuendum sit, nihilominus tamen fieri potuit, ut, quum singuli anni Ol. 177. a Phlegonte non discernantur, eadem res, quam Obsequens narrat, hic quoque significetur, illo terrae motu tam late patente, ut et Reate et Roma eodem concuteretur. Quare in certiore temporis notatione, quam Obsequens habet, acquiescendum iudico.

Fr. 53. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. III, 34. p. 217, 14.] Ex Sallustio haec attulit Ampel. lib. mem. c. 30, extr., res magis quam verba secutus. In *secundo* autem Historiarum libro hoc cum reliquis Fragmentis ad Mithridatis genus et personam spectantibus ponendum fuit, quoniam summam habet veri similitudinem Sallustium haec non mediae narrationi illius belli interposuisse, sed antequam ingens illud certamen cum exitio Mithridatis finitum enarrandum aggrederetur, de regis Romano imperio infestissimi genere, ingenio et moribus nonnulla, ut ei in talibus mos est (cf. Cat. c. V., Iug. c. V sqq., c. XVII sqq., c. LXIII., c. XCV.), praemisisse. Equis viris quidem contendit Gerlachius Vol. III. p. 154. *tertio* demum libro de Mithridatis genere et maioribus mentionem factam esse, neque omnino iam secundo libro de exorto bello agi potuisse; sed eius sententia et falsa opinione de rebus secundum annos dispositis nititur, et vana esse iis secundi libri Fragmentis convincitur, quae ad cladem Romanorum ad Chalcedonem acceptam spectant. Quae clades quum primo belli anno facta sit, necesse est etiam ea, de quibus antea dicendum erat, velut de Mithridatis persona, de eius apparatibus belli ac de bello ipso erumpente, *secundo* libro exposita esse. — Ex eodem fonte,

54. Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus, matre veneno interfecta.

55. Mithridates *[auctore Sallustio]* et fratrem et sororem occidit.

unde Ampelius sua habet, i. e. ex Sallustio, hausta videntur, quae tradit Florus III, 5, 1. *Ponticarum gentium atque regionum rex antiquissimus Aeetas; post Artabazes, a septem Persis oriundus: inde Mithridates, omnium longe maximus.* cf. Appian. B. Mithr. c. 112, in. *Καὶ ὁ Μιθριδάτης ἀπέθνησκεν ἐκκαιδέκατος ὢν ἐκ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπου Περσῶν βασιλέως.*

Fr. 54. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 101. ed. min. III, 35. p. 217, 16. Debr. III, 3.] Verba exstant apud Serv. ad Virg. Aen. V, 295. sine libri nota; sed ea huc pertinere ad Fr. superius demonstravimus. — *Extrema pueritia*, i. e. pueritiam nondum plane egressus. Idem alii tradunt, ex quibus Strabo X. p. 732. A. Almel. aetatis anno undecimo, Eutropius VI, 12, extr., duodecimo, Appian. B. Mithrid. c. 112, in. vel undecimo vel duodecimo, Memno ap. Phot. p. 230. b. ed. Bekker. decimo tertio regnum eum adiise memorant. — *Regnum ingredi* hic est *suscipere, adire*: cf. Quintil. VI, 1, 35. *Cicero persuasit, nihil esse utilius, quam pridie Kalendas Ianuarias ingredi consulatum.* — De *matre veneno interfecta* cf. Appian B. Mithr. c. 112, extr. *Φονικὸς δὲ καὶ ὠμὸς ἐς πάντας ἦν, καὶ τὴν μητέρα ἔκτεινε, καὶ τὸν ἀδελφὸν, καὶ τῶν παίδων τρεῖς υἱοὺς καὶ τρεῖς θυγατέρας.* Memno ap. Phot. l. l. *Φονικώτατος δ' ἐκ παιδὸς ὁ Μιθριδάτης ἦν. τὴν γὰρ ἀρχὴν τρισκαιδεκαέτης παραλαβὼν μετ' οὐ πολὺ τὴν μητέρα δεσμωτηρίῳ κατασχὼν βίᾳ καὶ χρόνῳ ἐξανάλωσε, καὶ τὸν ἀδελφὸν ἀπέκτεινε.*

Fr. 55. [Deest apud Cort., Gerl. et Debr.] Fragmentum, quod recens accedit ex Schol. Gronov. ad Cic. p. l. Man. c. 9, 22 Vol. II. p. 439. Orell., artissime cohaeret cum superiore; nam quo loco auctor matrem a Mithridate interfectam narravit, eodem sine dubio etiam ceterorum propinquorum caedem ab illo factam commemoravit. De fratre idem testatur Appianus et Memno ll. ll. Sorores duas, non unam, a Mithridate interfectas esse tradit Plut. in Lucull. c. 18.

Fr. 56. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 55. ed. min. III, 36. p. 217, 18. Debr. III, 4.] Locus exstat apud Quintil. VIII, 3, 82., allatus ut exemplum brevitatis, quae plura paucis complectatur. Ea cernitur in verbis *perinde armatus*, quorum sensus hic est: armis usus vulgarem excedentibus modum et ingenti corporis magnitudini congruentibus. Eodem modo locutus est Flor. I, 13, 4. *Gallorum gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipsa corpo-*

56. Mithridates corpore ingenti perinde armatus.

57. Quos advorsum multi ex Bithynia volentes occurrere, falsum filium arguituri.

rum mole, perinde armis ingentibus, adeo — terribilis fuit, ut plane nata ad hominum interitum videretur. De Mithridatis armatura cf. Appian. B. Mithr. c. 112, extr. *Τὸ σῶμα ἦν μέγας μὲν, ὡς ὑποδεικνύουσιν ὅσα ὅπλα αὐτὸς ἔπεμψεν ἐς Νεμέαν τε καὶ Δελφοὺς, εὔρωστος δὲ, ὡς μέχρι τέλους ἱππεῦσαί τε καὶ ἀκοντίσαι, καὶ χίλια στάδια τῆς ἡμέρας περιμενόντων αὐτὸν ἐκ διαστημάτων ἵππων δραμεῖν.* Quo Appiani loco cum Sallustianis verbis comparato facile intelligitur prorsus infelicem esse Lipsii coniecturam, qui ad Vellei. II, 18, 1. *perinde et animatus* scribendum censuerit.

Fr. 57. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. II, 18. ed. min. II, 95. p. 206, 8. Debr. III, 9.] Hoc Fragmentum, a Prisciano X, 2, 12. p. 481. Kr. servatum, ad Mithridatis res pertinere colligitur ex Bithyniae commemoratione, quam rex Ponticus initio belli invaserat (v. Appian. B. Mithr. c. 71, in.); quare locus quidem, ubi poneretur, dubius esse non potuit. Ceterum sensus verborum longe est obscurissimus et vix eruendus. Nam quo pertineat *quos* relativum, aut qui intelligendi sint *multi ex Bithynia*, aut quo sensu *volentes* sit accipiendum, praeterea utrum *occurrere* an *accurrere*, quod in aliquot codd. est, scribi debeat, denique quis sit *falsus filius* et quae eius arguendi caussa aut qui modus, nemo facile dixerit. Douza quidem *falsum filium* intelligendum censens *Nicomedis filium ex Nysa susceptum*, de quo loquitur Mithridates in epistola ac Arsacem Fr. IV, 19, 9., Fragmento hoc significari putat, multos Bithynos, qui a Romanis, regnum illud mortuo Nicomede occupantibus, gratiam inire studerent, contra eos, qui Nicomedis filii partes sequerentur, occurrisse, eumque non legitimum mortui regis filium, sed spurium esse arguisse. Sed haec incertiora sunt, quam quibus multum tribuas, quamquam Gerlachius Vol. III. p. 79. simpliciter amplexus est, ne eo quidem offensus, quod Douza mirifico errore Nysam, quae Nicomedis uxor fuit, pro eius filio habet. Hoc quidem errore vitato Debrossius quoque Vol. II. p. 38. Douzae in universum sequitur sententiam, eatenus tantum ab eo discrepans, quod Pseudo-Nicomedem quendam ab ipso Mithridate subornatum fingit, quem Bithyni falsum esse defuncti Nicomedis filium arguerint; quippe legatis Roma ad eam fraudem cognoscendam missis *hos advorsus multos ex Bithynia occurrisse*. Unde haec omnia scire potuerit Debrossius equidem nescio. — *Volentes* Kreyssigius in Comment. de C. Sall. Crispi Histt. lib. III. Fragmm. p. 44. opponi censet detrectantibus militiam, quod illo quidem loco verum, hic, ut in re dubia, non affirmaverim.

58. Ibi Fimbriana seditione, qui regi per obsequelam orationis et maxume odium Sullae graves carique erant.

Fr. 58. [Cort. p. 960. Gerl. ed. mai. II, 37. ed. min. II, 96. p. 206, 9. Debr. III, 10.] Verba, quae exstant apud Non. III, 151. (p. 215. Merc.), quam constructionem habeant grammaticam nexu orationis sublato non potest certo definiri. Minor de ipso eorum argumento dubitatio est; nam de *L. Magio* et *L. Fannio* sermonem esse, qui ex Fimbriae exercitu in illis locis remanserant et Mithridati auctores bellandi erant, claris scriptorum testimoniis intelligitur. cf. Oros. VI, 2, med. *Fannius et Magius de exercitu Fimbriae profugi Mithridati se adiunxerunt: quorum hortatu Mithridates cum Sertorio per legatos in Hispaniam missos foedus pepigit.* Appian. B. Mithr. c. 68. p. 741. Schweigh. *Δύο δ' αὐτοῦ (Σερτωρίου) τῶν στασιωτῶν Λούκιοι Μάγιός τε καὶ Φάννιος, Μιθριδάτην ἔπειθον συμμαχῆσαι τῷ Σερτωρίῳ.* Cic. in Verr. I, 34, 87. *Verres myoparonem pulcherrimum de decem Milesiorum navibus electum L. Magio et L. Fannio, qui Myndi habitabant, vendidit. Hi sunt homines, quos nuper senatus in hostium numero habendos censuit; hoc illi navigio ad omnes populi Romani hostes usque a Diamio, quod in Hispania est, ad Sinopam, quae in Ponto est, navigaverunt.* De Fimbriana seditione accurate egit Appian. B. Mithrid. c. 52 et 53; cf. Strabo XIII. p. 887. C. Almel. Plutarch. in Lucull. c. 7. (Vol. II. p. 446. Sint.) et Schlosser. Hist. antiq. Vol. II. P. 2. p. 377.; inde intelligitur cur maxume per *odium Sullae* Mithridati cari fuisse dicantur; Fimbriani enim, a Cinna sub Valerio Flacco consule, quem Fimbria postea interfecit, in Asiam missi *ad Sullam praevertendum*, Marianarum erant partium. — *Obsequela orationis* est adulatio et favoris captatio; de ea re cf. Plutarch. in Sertor. c. 23. (Vol. II. p. 612. Sint.) *Ὥρμητο (ὁ Μιθριδάτης) διαπρεσβεύεσθαι πρὸς αὐτὸν (Σερτώριον) ἐπηρμένος μάλιστα ταῖς τῶν κολάκων ἀλαζονείαις, οἳ τὸν μὲν Σερτώριον Ἀννίβᾳ, τὸν δὲ Μιθριδάτην Πύῤῥῳ παρεικάζοντες οὐκ ἂν ἔφασαν Ῥωμαίους πρὸς τηλικαύτας ὁμοῦ φύσεις τε καὶ δυνάμεις ἐπιχειρουμένους διχόθεν ἀντισχεῖν, τοῦ δεινοτάτου στρατηγοῦ τῷ μεγίστῳ τῶν βασιλέων προσγενομένου.* *Graves* pertinet ad *auctoritatem*, qua erant apud regem, *cari* ad eius *benevolentiam*, qua fruebantur. Utrumque testatur Appianus B. Mithr. c. 70, extr. regem in oratione, qua accenderet militum animos, his verbis usum dicens: *Οὐχ ὁρᾶτε δ' αὐτῶν, ἔφη, καὶ τοὺς ἀρίστους (ἐπιδεικνὺς Οὐάριόν τε καὶ τοὺς Λουκίους) πολεμίους μὲν ὄντας τῇ πατρίδι, συμμάχους δ' ἡμῖν;*

Fr. 59. [Cort. p. 961. Gerl. ed. mai. II, 42. ed. min. II, 51.

59. Ruuntque pars magna suismet aut proxumorum telis, ceteri vicem pecorum obtruncabantur.

60. E muris canes spartis demittebant.

p. 203, 6. Debr. III, 26. et V, 18.] Non. IX, 5. p. 497, 25. Merc. Pro *ruuntque* vitiose in codd. est *ruinaquae*, quod Colerus dudum bene correxit; neque enim audiendus Gerlachius, qui Vol. III. p. 82. *ruuntque* parum probabilem coniecturam dicit. — *Vicem* non minus certa emendatio Mercerii est, ab omnibus Sallustii editoribus neglecta; nam falsum esse *vice*, quod omnes Nonii codd. tenent, intelligitur ex lemmate totius articuli, quod sic se habet: „*accusativus* vel *nominativus* pro ablativo." Igitur Sallustius *vicem* dixit pro *vice*, quod sane usitatius est; sed neque accusativus sine exemplo; cf. Cic. Epp. ad Attic. X, 8, 7. *Nisi forte me Sardanapali vicem in suo lectulo mori malle censueris.* — *Ruunt* i. q. *cadunt, concidunt.* — Verba desumpta esse ex narratione de trepidatione atque fuga Romanorum ad Chalcedonem facta iam Debrossius vidit, recte assecutus huc pertinere locum Appiani B. Mithr. c. 71, in. (Vol. I. p. 746. ed. Schw.). *Ἐπιόντος δὲ καὶ τῇ Χαλκηδόνι τοῦ Μιθριδάτου Κόττας μὲν ὑπὸ ἀπραξίας οὐ προῆει, Νοῦδος δὲ, ὁ ναύαρχος αὐτοῦ, σὺν μέρει τινὶ στρατοῦ τὰ ὀχυρώτατα τοῦ πεδίου καταλαβὼν καὶ ἐξελαθεὶς ἔφυγεν ἐπὶ τὰς πύλας τῆς Χαλκηδόνος διὰ θριγκίων πολλῶν, πάνυ δυσχερῶς. Ἀμφὶ δὲ τὰς πύλας ὠθισμὸς ἦν ἐσπηδώντων ὁμοῦ· ὅθεν οὐδὲν τοῖς διώκουσιν αὐτοὺς βέλος ἠτύχει.* In re tam perspicua Gerlachius nihilominus in ed. min. Fragmentum ad incognitam aliquam Sertorii pugnam retulit, scilicet quia ei fatale est aliorum ineptissima quaeque commenta religiose amplexari, prudenter inventa obstinate repudiare.

Fr. 60. [Cort. p. 960. Gerl. ed. mai. II, 39. ed. min. II, 92. p. 206, 5. Debr. III, 16. et 33.] Nonius II, 833. p. 177, 22. Merc. verba Fragmenti sic refert: *e muris canes sportis dimittebant*, quae sana esse nequeunt. Ac levissima quidem corruptela in *dimittebant* inest, pro quo *demittebant* scribendum esse editores dudum viderunt; cf. annotata ad Iug. I, 4. et CII, 11. Difficilior quaestio de voce *canes;* quae quum proprie intellecta prorsus absurdam sententiam praebeat, Lipsius in Epistt. Quaestt. IV, 14. coniecit *cives*, quod fere omnes editores amplexi sunt. Sed fateor non solum rem, sed etiam vocabulum mihi valde displicere; nam si qui de muris demittebantur, quod ipsum valde mirum et vix credibile est, quid attinebat eos *cives* dicere, quum ii, qui eos demitterent, et ipsi cives essent? Mihi nulla omnino mutatione opus videtur, sed locus interpretatione expediendus. Suspicor enim *canes* non animalia significare; sed quemadmodum *aries*, *equus*, *ericius*, *corvus*, *scorpio*, *lupus*, *grus*,

61. Turmam equitum castra regis succedere, et properationem explorare iubet.

CAP. VII.

Fragmenta incertioris explicationis spectantia ad Pompeium, ad Sertorium, ad pugnas et res bellicas, ad terrarum urbiumque naturam atque situm, denique ad facta singularia.

---

62. Nam Sullam consulem de reditu eius legem fe-

testudo militaria erant vocabula, ita *canis* quoque de aliquo machinae vel instrumenti genere, quo quid exceptum vel sublime tollebatur vel de loco superiore demittebatur, dictum videtur. Rem per se haud improbabilem confirmat Isidor. XX, 15, 4. „Lupus, qui et *canicula*, ferreus harpax, quod, si quid in puteum decidit, rapit et extrahit." Quodsi *canes* h. l. harpagones significant, consequitur *sportis* falsum esse, scribendumque *spartis*, i. e. funibus sparto factis. Iam si quaeris, cur Fragmentum hoc loco collocandum putaverimus: fecimus permoti loco Appiani B. Mithr. c. 71, med. (Vol. I. p. 746. ed. Schw.), qui de Romanis Chalcedonem compulsis haec narrat: *Ὡς δὲ καὶ περὶ τῶν πυλῶν δείσαντες οἱ φύλακες τὰ κλεῖθρα καθῆκαν ἐς αὐτὰς ἀπὸ μηχανῆς, Νοῦδον μὲν καὶ τῶν ἄλλων ἡγεμόνων τινὰς ὑπὸ καλῳδίοις ἀνιμήσαντο· οἱ δὲ λοιποὶ μεταξὺ τῶν τε φίλων καὶ τῶν πολεμίων ἀπώλλυντο.* Verum si tetigimus, verba Sallustii sic fere supplenda sunt: e muris canes spartis demittebant, *quibus Nudum ac nonnullos alios duces subducerent.*

Fr. 61. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. III, 98. p. 224, 12.] Fragmentum recens accedit ex Arusiano p. 260. ed. Lind. s. v. *successit*; quod quum ex *secundo* libro laudetur, *castrorum regis* mentio ostendit ad Mithridatem haec verba spectare. Ceterum qui dux romanus turmam equitum exploratum miserit, non potest dici; nam de Lucullo non licet cogitare, quippe cuius res tertio demum libro expositae fuerint. Gerlachius Fragmentum non solum ex libidine in tertium librum transtulit, sed etiam prorsus incredibiliter iis interposuit, quibus censet in narratione belli servilis locum fuisse.

Fr. 62. [Cort. 957. Gerl. ed. mai. II, 3. ed. min. II, 21. p. 201, 22. Debr. I, 44.] Haec verba a Gellio X, 20. servata difficiliorem habent, quam primo aspectu videtur, explicationem. Nam

rentem ex composito tribunus plebis C. Herennius prohibuerat.

licet Gellius, quum antea docuisset veteres *plebiscita* et *privilegia* translato nomine *leges* appellasse eademque omnia etiam indistincto vocabulo *rogationes* dixisse, addat: „Sallustius quoque proprietatum in verbis retinentissimus consuetudini concessit, et privilegium, *quod de Cn. Pompeii reditu ferebatur*, legem appellavit," tamen neque de caussa eius legis, neque de reditu Pompeii, neque de prohibita ex composito lege constat; longe maxime autem obscurum est, quo libri secundi loco ea res a Sallustio commemorata fuerit, quum neque ad Sertorianum bellum, neque ad res urbanas eorum annorum, qui libro II. continentur, pertineat. De revocato ex Africa Pompeio per Sullam, adolescentis nimiam iam potentiam et gloriam suspectantem, verba intelligenda esse recte collegerunt interpretes ex Plutarchi Pomp. c. 13, 1. (Vol. III. p. 58. ed. Sint.): *Ἐπανελθόντι εἰς Ἰτύκην Πομπήϊῳ γράμματα κομίζεται Σύλλα προστάττοντος ἀφιέναι μὲν τὴν ἄλλην στρατιὰν, αὐτὸν δὲ μεθ' ἑνὸς τάγματος περιμένειν αὐτόθι τὸν διαδεξόμενον στρατηγόν. Ἐπὶ τούτοις ἀδήλως μὲν αὐτὸς ἤχθετο καὶ βαρέως ἔφερεν, ἐμφανῶς δὲ ὁ στρατὸς ἠγανάκτει*; sed quod Gerlachius Vol. III. p. 78. secutus Pighii Annall. III. p. 270. dicit. „ne Pompeius cum exercitu victore ex Africa in urbem rediret, Sullam hoc instituisse, ut, quam ipse *in illius gratiam ferret legem*, ei tribunus plebis intercederet," id neque cum proprio vocabuli usu potest conciliari, et sententiam habet confusam et a Sallustii verbis alienissimam. Nam *privilegium* liberae reipublicae tempore non erat lex in alicuius gratiam lata, sed potius qua aliquid incommodi extra ordinem in singularem personam irrogaretur, cf. Heineccii Syntagma Antiqq. romm. I, 2, 60. p. 75 sq. ed. Haub.; quae autem illa gratia fuerit, qua Sulla secundum Gerlachii opinionem Pompeium ornare voluerit, et quomodo eâ per tribunum impeditâ Pompeii reditus prohiberi potuerit, nullo pacto intelligitur. Rem ambiguam satis probabiliter expedivit Drumannus in Hist. Rom. Vol. IV. p. 334 sq. Sulla enim, rumoribus de suspecta Pompeii fide sollicitus, eum exercitum dimittere et cum una legione successoris adventum exspectare iussit, et quo gravior huic iussui auctoritas esset, de ea re legem ad populum tulit. Sed quum postea accepisset Pompeium nihil seditiosi agitare, animum mutavit suum, ac ne ipse legem paullo ante a se latam tolleret, Herennium tribunum perpulit, ut is, quominus perferretur, intercederet. Ita et suae auctoritati cautum putavit, neque Pompeium offendit, cui permissum, ut populi voluntate cum exercitu in Italiam rediret; cf. Cic. p. l. Man. c. 21, 61. *Pompeius bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit.*

63. Noctu diuque stationes et vigilias tentare.
64. Neque subsidiis, uti soluerat, compositis.
65. Ad hoc pauca piratica actuaria navigia.

Fr. 63. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 27. ed. min. II, 43. p. 202, 20. Debr. II, 57.] Charis. II, 14, 130. p. 123. ed. Lindem. (p. 185. Putsch.). De quonam duce haec dicta sint, quamquam non patet, — nam de multis dici potuere —, tamen commode possunt de Sertorio intelligi; cf. Plutarch. in Sertor. c. 10. — De vocibus *noctu diuque* v. ad Iug. c. XLV, 5. p. 255. — De discrimine *stationum* et *vigiliarum* cf. Kreyssig. in Commentat. de C. Sall. Cr. Histt. lib. III. Fragmm. p. 50. (Fr. III, 77, 4.) Liv. IX, 24, 5. *Fore, ut minus intentae in custodiam urbis diurnae stationes ac nocturnae vigiliae essent.*

Fr. 64. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 30.; ed. min. II, 44. p. 202, 21. Debr. IV, 99.] Priscian. IX, 10, 54. p. 468. Kr. haec verba affert propter antiquam perfecti formam *solui* pro *solitus sum*, qua Sallustius Catonis exemplo usus est; de eadem cf. eundem VIII, 11, 61. p. 403. et Varron. de L. L. IX, 61. p. 233. ed. Müller. *Sequitur ut, quoniam est s o l e o, oporteat dici s o l u i, ut Cato et Ennius scribunt, non, ut dicit volgus, s o l i t u s s u m.* De negligentia ducis alicuius, qui milites non, ut mos militiae est, in subsidio collocasset, Fragmentum capiendum esse in promptu est; sed Debrossius Vol. II. p. 468. portentosam effinxit et prorsus barbaram verborum interpretationem, agi ratus de publicanis, qui cives Asiae vectigalibus praeter solitum morem impositis vexarent; scilicet *subsidia* putavit esse gallicum *subside*, *compositis* autem non differre ab *impositis*.

Fr. 65. [Cort. p. 960. Gerl. ed. mai. II, 47. ed. min. II, 88. p. 206, 1. Debr. II, 8. et IV, 35.] Apud Nonium, qui XIII, 9. p. 535, 2. Merc. haec affert, pro *piratica* legitur *piraticae*, quod praeeunte Mercerio correximus, quia abstracto vocabulo, quo vitae genus significatur, nulla societas cum *navigii* voce esse potest. Praeterea Putschio auctore vulgo post *piraticae* additur *adiungit*, quod ille in Ms. Nonii codice exstare dicit; sed quum in nullo codicum, qui quidem collati sunt, compareat, omisimus. Non minus perversa Debrossii est interpolatio, qui *et* post *adiungit* intulit. — *Actuaria navigia*, quae etiam *actuariae* dicebantur, Nonio auctore sunt *naviculae celeres*. — De pluribus attributis sine copulativa particula positis v. Gramm. lat. nostr. §. 120, 3. Additam. 2. a. aa. p. 289. De Sertorio Fragmentum intelligit Gerlachius Vol. III. p. 83; verum esse potest; sed de aliis quoque cogitari posse quis negaverit?

Fr. 66. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl.

66. Parva legio flumen transducta castra dilatavit.

67. At illi, quibus res incognita erat, ruere cuncti ad portas, inconditi tendere.

ed. min. II, 46. p. 202, 23.] Fragmentum recens accedit ex Arus. cod. Gud. v. *transductus*, p. 265. Corrupte in cod. est *Parco legio*. Quod ex coniectura dedimus *parva legio*, incertum quidem est, sed propter *dilatavit* verbum aliquid habere videtur probabilitatis. Hoc enim, si quid video, dixit Sallustius, legionem illam, ne hostes paucitatem suam intelligerent, *maiora castra, quam pro exiguo militum numero, fecisse.* cf. Liv. XXVII, 46, 2. *Neque dilatari castra opus esse.*

Fr. 67. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. II, 54. ed. min. II, 91. p. 206, 4. Debr. IV, 96.] Serv. ad Virg. Ecl. II, 4. In plerisque codicibus est, ut vulgo in edd. legitur: *at illi, quibus vires aderant, ruere cuncti ad portas, incondita tenere;* duo postrema vocabula in duobus codd. leguntur *inconditi tenere*, in uno *inconditi temere.* Ab his multum differt, quod exstat in Ursini codice: *at illi, quibus res incognita erat, ivere cuncti ad portas, incognita tendere.* Haec tanta diversitas unde orta sit, ut difficile dictu est, ita patet neutram scripturam esse integram, sed tamen verum per utramque ita diffusum, ut, quid Sallustius scripserit coniectura erui possit. Iam falsum esse *quibus vires aderant* quum ipsa dictio ostendit, quae ne latina quidem est, tum intelligitur ex universa Fragmenti sententia, quippe quo trepidatio in obsessa aliqua urbe repentino malo vel improviso impetu orta describatur; optime autem huic sententiae convenire verba *quibus res incognita erat* demonstratione non eget. — Plurimorum codd. scriptura *ruere* verissima et rei valde accommodata; *ivere* autem, quamquam sensu multo deterius, litterarum apicibus vix diversum est, et haud dubie legentis errore ortum. — *Incognita tendere* falsum esse ipse Virgilianus locus ostendit, siquidem universa Servii explicatio et ipsum Sallustii exemplum unice ad Virgilii vocem *incondita* spectet; sed vitiose neutrum genus ex Virgilii loco traductum ad Sallustii verba. Quae quum praecedentia *cuncti ruere* accuratius illustrent, simul intelligitur *tendere*, non *tenere*, a Sallustio scriptum esse; sensus enim est *confusi ac sine ordine properare.* — Non minus quam in verbis codices turbant in notatione libri; pauci tantummodo habent *lib. II. Histor.*: alii vitiose praebent *lib. V.* vel *lib. VI.*; in plurimis legitur *in Iugurthino*, quod Putschius scite coniecit profectum esse ab imperitis librariis, qui *Historiarum* prorsus ignari

68. Ille festinat subsidiis principes augere et densere frontem.

69. Terror hostibus ex fiducia sui incessit.

70. Circumventi a dextera, unde ferrum erat, saxa aut quid tale capita affligebant.

primo Historiarum libro Catilinam, secundo Iugurtham significari crederent.

Fr. 68. [Deest apud Cort. et Gerl. ed mai. — ed. min. Inc. 68. p. 239, 14. Debr. V, 30.] Eutychius II, 14. in Corp. Gramm. lat. Vol. I. p. 192. ed. Lind. haec verba refert propter *densere* verbum, raro, ut ille dicit, lectum; cf. Tacit. Ann. II, 14, 2. *Denserent ictus, ora mucronibus quaererent*, ubi v. Kiessling. Quia Fragmentum ex *secundo* libro laudatur, propterea Gerlachius ad *Incerta* retulit.

Fr. 69. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. II, 39. p. 202, 15.] Fragmentum recens accedit ex Arus. v. *incessit*, p. 242. Lind. *Ex* h. l. non caussae sed temporis significatione positum idem fere est atque *post*; cf. ad Catil. IV, 1. p. 22.

Fr. 70. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. II, 51. ed. min. II, 71. p. 204, 23. Debr. II, 151.] Verba ab Arusiano v. *afflictus* p. 215. Lind. servata, valde obscura sunt et vix explicanda. In Ang. Maii codice Ambr. est *circumventi dextra*; pro quo quum cod. Gud. habeat *circumventis dextera*, Lindemannus scriptum fuisse coniecit *circumventi a dextera*; tum pro *unde ferrum erat*, ut est in cod. Ambr., Gud. habet *nuda ferrum erat*; denique pro *capita*, quod Gud. praebet, in cod. Ambr. est *capiti*, unde Maius fecit *caput*. Ex his scripturae discrepantiis aeque difficile est veram lectionem constituere, ac iustam sententiam extricare. Coniicio tamen sermonem esse de militibus inermibus, qui, quum fraude ita essent in angustias adducti, ut ab una parte iniquitate loci, ab altera ab armatis hostibus premerentur, saxis se defenderent et quovis modo sibi consulerent. Quod si verum est, verba *unde ferrum erat* significant *unde armati ingruebant* sive *ubi armati stabant*; quae sententia quamquam insolenter expressa est, tamen eo excusatur, quod inermibus *ferro instructi* opponuntur. Simul ex eo, quod *unde* positum est, pro quo etiam *ubi* dici poterat, intelligitur *a dextera* recte a Lindemanno correctum esse, quia adverbia sic sibi respondent. *Capita affligebant* sc. hostium armatorum. — Alio modo Fragm. sibi emendandum videri mihi significavit Casselius, V. D. Ratus enim non locum, ubi pugnaretur, sed homines, qui pugnarent, a Sall. describi, sic verba scribenda esse coniecit: *circumventi dextera (nuda ferro erat) saxa aut quid tale capita affligebant.* Quae ita in paren-

71. Suos equites hortatus vado transmisit.

72. Ictu eorum, qui in flumine ruebant, necabantur.

73. Neque inermis ex proelio viros quemquam agnoturum.

thesi positæ sunt verba, attributi vi referenda sunt ad *dextera*, sc. *manu*, ac simul caussam continent, cur circumventi saxis se defenderint. — Ceterum quae nobis aliisque merito obscura videntur, planissima et expeditissima fuerunt Debrossio, qui in Hist. Rom. Vol. I. p. 636 sq. mirifica sagacitate assecutus est, agi de Curionis expeditione Dardanica (v. supra Fr. 41.), cuius una legio, quum seditionem agitasset, et sequi ducem recusasset, ignominiae caussa armis ademptis in conspectu armati exercitus stramenta secare ac fossas facere cogeretur (v. Frontin. Strategem. IV, 1, 43.); quam ignominiam adeo aegre eos tulisse, ut saxa caput affligerent. Quanta arte Debrossius hoc ex Sallustii verbis elicuerit, ut cognoscere possint lectores, ipsam eius interpretationem apponere iuvat: Les légionnaires donnèrent les marques du plus grand désespoir. Ils demandèrent d'être plutôt punis de mort; ils voulaient se tuer eux-mêmes. *Environnés de toute part et sans armes, de la même main qu'on leur avait désarmée* (quippe scripsit *dextera*, sine *a*, et *unde ferrum aberat*), *ils ramassaient à terre des cailloux ou autres choses pareilles dont ils se frappaient la tête.*

Fr. 71. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. II, 49. ed. min. II, 47. p. 202, 24. Debr. II, 25.] Arus. haec habet v. *transmitto*, p. 265. Lind. Pro *transmisit*, quod est in cod. Ambr. et Gud., olim legebatur *transmittit*.

Fr. 72. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. II, 50. ed. min. II, 70. p. 204, 22. Debr. II, 23.] Donatus ad Ter. Adelph. III, 2, 21. his verbis utitur, ut probet *ruere* verbum activam vim habere in Terentiano loco: *ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem et prosternerem*. Quae potestas quamquam apud comicum plana est, tamen, quum obiectum desit apud Sallustium, *ruebant* potius intransitivo sensu sic videtur capiendum, ut significet *cum vi procedere*, sive *magno impetu grassari;* cf. Tacit, Ann. VI, 35, 1. *Variae hinc bellantium species, quum Sarmatae, omisso arcu, contis gladiisque ruerent*. — De quanam pugna haec verba intelligenda sint, prorsus obscurum. Gerlachius tamen scit rem in aliquo certamine Metelli cum Sertorio factam esse; quod quibus argumentis probet, ipse viderit.

Fr. 73. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 31. ed. min. II, 45. p. 202, 22. Debr. II, 125.] Priscian. X, 3, 19. Vol. I. p. 486. ed. Kr. hoc loco utitur, ut participii formam *agnoturus* probet; cf. Diomed.

74. Omnia sacrata corpora in rates imposuisse.

75. Primo incidit forte per noctem in lenunculo piscantis.

76. Immane quantum animi exarsere.

I. p. 383. ed. Putsch., qui nonnullos veterum ita declinasse dicit. — De *inermis* adiectivo, pro quo Gerlachius in ed. mai. invitis codd. scripsit *inermos*, v. annotata ad Catil. c. LIX, 5. p. 318. — Ad sententiam Fragmenti quod attinet, in promptu est eo non contineri sermonem e proelio fugientium, ut Gerlachius vult Vol. III. p. 80., sed verba esse ducis milites fugientes et arma abiicientes ad virtutem cohortantis. Grammatica enim loci ratio haec est, ut *inermis ex proelio* obiectum sit verbi *agnoturum*, *viros* autem, sensu idem atque *pro viris*, praedicatum definiat. De attributiva vi verborum *ex proelio* v. Gramm. lat. nostr. §. 120. 2. not. 6. p. 287. — *Viros* praegnanti sensu intellige *viros fortes atque strenuos*: cf. Catil. c. XL, 3. *Ego vobis, si modo viri esse vultis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis.* Cic. p. Mil. c. 30, 82. Drakenb. ad Liv. III, 67, 3. Graev. ad Flor. III, 3, 9. — *Agnoscere* cum accusativo obiecti et attributi coniunctum valet *aliquem habere talem, qualis vel est, vel esse debet*; cf. Liv. VI, 7, 5. *An me, quod non dictator vobis, sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem?*

Fr. 74. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. II, 48. ed. min. II, 89. p. 206, 2. Debr. III, 61.] Arusian. v. *imposuit*, p. 239. Lind., unde *rates*, quod est in cod. Gud., dedimus pro vulgato *ratem*. De quanam re Fragmentum intelligendum sit, in abrupta oratione non potest constitui. *Sacrata corpora* videntur esse *corpora hominum diis sacrorum* i. e. *sacerdotum*; quod ipsum quamquam adhuc dubium est, illud tamen certissimum, prorsus falsam esse Douzae sententiam, a Debrossio et Gerlachio cupide arreptam, haec verba ad Chios spectare, qui, quum teste Appiano B. Mithr. c. 46. et 47. a Zenobio, Mithridatis praefecto, armis exuti et duobus millibus talentorum multati essent, postremo per dolum atque vim domibus suis abstracti, *viris a mulieribus ac pueris seorsum in naves impositis, in Pontum Euxinum transportati sunt.* De hac Chiorum calamitate Sallustii verbis agi adeo absonum est, vix ut credas tantopere caecutire potuisse doctos homines, ut tantas ineptias amplecterentur. Primum enim non viderunt *ratem* non esse *navem*, neque eos movit, quod tanta hominum multitudo nullo pacto ratibus in tam remotas regiones abduci potuit. Tum quomodo in alias sedes transportati cives Chii *sacrata corpora* dici potuerint, minime curarunt; nihili enim est, quod ea *destinata morti* interpretantur et *quasi devota dis manibus*, quum Appianus aperte dicat non morti destinatos

77. Genus militum suetum a pueritia latrociniis.

78. Genus hominum vagum et rapinis suetum magis quam agrorum cultibus.

79. Genus armis ferox et serviti insolitum.

fuisse, sed in remotas sedes relegatos. Denique, quod gravissimum est, in temporum ratione tam turpiter lapsi sunt, ut non dubitarent rem anno 86. a. Chr. n. flagrante adhuc primo bello Mithridatico factam ad annum 74., quo tertium erupit, transferre.

Fr. 75. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. II, 46. ed. min. II, 87. p. 205, 27. Debr. III, 66.] Verba a Nonio XIII, 8. p. 534, 30. Merc. allata obscuriora sunt et abruptiora, quam quae probabiliter explicari possint. *Incidit* speciosa quidem, sed ad locum expediendum non satis fructuosa coniectura est Carrionis pro *indicit*, quod Nonii codd. praebent; sed iidem recte tenent *per noctem*, pro quo vulgo legitur *super noctem*, quemadmodum Gerlachius quoque in utraque ed. scripsit. *Lenunculo* Sallustii editores contra fidem codicum et analogiam mutarunt in *renunculo*: quippe *lenunculus* mollior est forma diminutivi *lembunculus*, quod a *lembo* descendit; de eo navigii genere cf. Orellium ad Tacit. Ann. XIV, 5, 4. et Gell. X, 25. — Pro *piscantis* in omnibus Nonii codd. est *piscandis*, quod vix sanum est; *piscantis* dudum scripserunt editores, ut in proclivi erat emendare; sed utrum eam vocem genitivum singularis, an accusativum pluralis numeri habeas, non facile dixeris.

Fr. 76. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. II, 53. ed. min. II, 90. p. 206, 3. Debr. II, 82. II, 134. IV, 28. V, 43.] Nonius II, 450. p. 127, 26. Merc. De ratione grammatica vocum *immane quantum* v. Gramm. lat. nostr. §. 134, 2. not. c. additam. 2. p. 445.

Fr. 77. [Cort. p. 957. Gerl. ed. mai. II, 7. ed. min. II, 31. p. 202, 9. Debr. II, 27. II, 43. III, 145.] Arusian. v. *suetus*, p. 262. Lind. Cogitari potest de Lusitanis atque Hispanis per Sertorium a latrociniis ad iustam militiae disciplinam adductis, coll. Plutarch. vit. Sertor. c. 14, in. (Vol. II. p. 602. Sint.) *Ἔκ τε δὴ τούτων θαυμαζόμενος ἠγαπᾶτο παρὰ τοῖς βαρβάροις ὁ Σερτώριος καὶ ὅτι Ῥωμαϊκοῖς ὁπλισμοῖς καὶ τάξεσι καὶ συνθήμασιν ἀφαιρῶν τὸ μανικὸν καὶ θηριῶδες αὐτῶν τῆς ἀλκῆς ἀντὶ λῃστηρίου μεγάλου στρατὸν ἐποιεῖτο τὴν δύναμιν*, sed res incerta est.

Fr. 78. [Deest. ap. Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. II, 32. p. 202, 10.] Fragmentum, quod recens accedit, eodem loco apud Arusianum legitur, quo praecedens; ceterum non minus incertam habet, atque illud, explicationem. De vi pluralis numeri *cultibus* v. Gramm. lat. nostr. §. 110, 1. not. 3. p. 224 sq.

Fr. 79. [Cort. p. 936. Gerl. ed. mai. I, 14. ed. min. II, 38. p.

80. Nam procul et divorsis ex regionibus.

81. Dubium, an insula sit, quod euri atque austri superiactis fluctibus circumlavitur.

82. Murum ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam duxit.

202, 15. Debr. II, 19. III, 143.] Fragmentum hoc consimilis atque duo superiora argumenti legitur apud Arusian. v. *insolens*, p. 241. Lind.

Fr. 80. [Cort. p. 957. Gerl. ed. mai. II, 4. ed. min. II, 29. p. 202, 8. Debr. II, 122. III, 147.] Charis. II, 14, 183. p. 191. Putsch.; qui simul tradit Asperum, Sallustii interpretem, hic annotasse: „Ergo *procul* e loco est.“ Quae explicatio non satis commoda videtur. Nam si hoc voluit Asper, *procul* significare *e loco*, i. e. *e regione* sive *ex adversum*, ipsa explicandi formula neque congruit cum dicendi usu, et si congrueret, falsa foret. Quare suspicor corruptelam subesse, et pro *e loco* scribendum *e longinquo*, quae vox neglecto vel male intellecto scribendi compendio (**elôquo**) in alteram depravari potuit.

Fr. 81. [Cort. p. 957. Gerl. ed. mai. II, 2. ed. min. III, 82. p. 223, 22. Debr. I, 93. III, 30.] Verba, a Nonio X, 2. p. 503, 32. Merc. allata, eo obscurata sunt, quod subiectum deest. Hoc tamen ex universo loco patet, sermonem esse de paeninsula sive lingua tenui in mare procurrente, cuius pars continenti proxima interdum ita fluctibus obrueretur, ut, quae paeninsula esset, vera insula videri posset, vel parum abesset, quin verae insulae speciem praeberet. Haec sententia indicatur verbis *dubium an*, quae pariter ut *dubito an* et *incertum est an* eam vim habent, ut rem enunciatam modeste et cum aliqua restrictione affirment; cf. Hand. de Particc. latt. Vol. I. p. 329. Kruegeri Grammat. lat. §. 520. p. 700. et nostram §. 133, 3. d. additam. 3. p. 439. — *Circumlavitur* certissima est Coleri emendatio; vitiose enim B et V litteris commutatis (de quo librariorum lapsu v. supra ad Fr. 50, 1.) in Nonii codd. plerisque legitur *circumlabitur*, in uno *circumlabit*, unde inepta scriptura *circumlavit* editiones Nonii pariter atque Sallustii invasit. Eam quum Gerlachius in ed. mai. dedisset, deinde vero Vol. III. p. 77. Coleri coniecturam unice veram iudicasset, nihilominus in ed. min. antiquas sordes reposuit. Scilicet, qua est perspicacitate, non assecutus est, Nonium, qui id agit, ut *lavere* pro *lavare* dictum esse ostendat, etiam passivae formae exemplo uti potuisse.

Fr. 82. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. II, 55. ed. min. II, 66. p. 204, 16. Debr. III, 47.] Servius ad Virg. Aen. I, 423. haec habet, quae per se quidem satis plana sunt, quamquam de quo duce aut

83. Omnes, qui circum sunt, praeminent altitudine millium passuum duorum.

84. Eam deditionem senatus per nuncios Orestis cognitam approbat.

85. Modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem.

de quo oppido sermo sit, nullo modo dici potest. De Lysistrato Cyzici praefecto intelligit Debrossius, si modo hoc est intelligere, ac non somniare et allucinari; nam Cyzici oppugnatio non in secundo, sed in tertio libro narratur.

Fr. 83. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 33. ed. min. II, 48. p. 202, 25. Debr. III, 142.] Exstant verba apud Arusian. v. *praeminet*, p. 256. Lind. In cod. Ambr. pro *altitudine* est *altitudinem*, quod Gerlachius in ed. mai. male recepit, non intellecto lemmate huius articuli; quod quum sic habeat: „praeminet *illa re* illam rem," etiam sine cod. Gud. ablativus fidenter erat exhibendus. Praeterea ex lemmate perspicitur *omnes* non esse subiectum enunciationis, quod quale sit ignoratur, sed obiecti, quod et ipsum incertum est, attributum; commodissimum videtur *colles* cogitare, quos *montes* aliqui praeminerent. Ceterum *altitudo millium passuum duorum* non ex nostra ratione montium altitudinem metiendi intelligenda est, sed tantummodo de ascensu capi debet.

Fr. 84. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 22. ed. min. II, 73. p. 205, 1. Debr. I, 101.] Verba, quae Priscian. VI, 11, 61. p. 258. Kr. attulit, grammatice perspicua nullam prorsus ab historia lucem habent; nam quae deditio senatui a duce aliquo, cui Oresti nomen esset, nunciata fuerit, nullo scriptorum documento constat. Nugatur igitur, ut fere solet, Debrossius, in Hist. Rom. Vol. I. p. 429 sqq. ut rem exploratam narrans Orestem hunc, Appio Claudio in Macedonia pro consule imperium tenente, classi romanae in sinu strymonico praefuisse, et quum post Appii mortem imperium suscepisset, Maedis in deditionem acceptis, eius rei nuncium ad senatum misisse. Quae quamquam ficta sunt omnia, tamen Gerlachii assensum ita tulerunt, ut Vol. III. p. 14. Debrossio auctore Fragmentum ad res anni 77. a. Chr. n., quae *primo* libro continentur, referret.

Fr. 85. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 26. ed. min. II, 19. p. 201, 20. Debr. II, 112. V, 42.] Donat. ad Ter. Phorm. I, 3, 18. De *ad* praepositione, qua ratio significatur, quae attributi notionem per se non satis definitam altera notione constituat, v. Hand. de Partice. latt. Vol. I. p. 106 sq. et Krügeri Gramm. lat. §. 325. p. 431. cf. Cic. p. Font. c. 15, 33. *Quae si diligenter attendetis, iudices, virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad usum ac*

86. Vir gravis et nulla arte cuiquam inferior.

87. Ita fiducia quam argumentis purgatiores dimittuntur.

88. Haec postquam Varro in maius more rumorum audivit.

89. Quum multa dissereret ludis Apollini circensibus.

disciplinam peritum, ad consilia prudentem, ad casum fortunamque felicem domi vobis retinere, quam inimicissimis nationibus tradere maletis. — De quonam viro Sallustius loquatur, incertum est. Pompeium significari Debrossius et Gerlachius opinantur; et sane alii eum ob modestiam animi laudarunt, velut Plutarchus in Pomp. c. 1. et 18., Vellei. II, 29, 3.; sed a Sallustio eum laudatum fuisse non est credibile, qui eum alio Historiarum loco (Fr. Inc. 41.) dixisset esse *oris improbi*, *animo inverecundo*, eoque iudicio tantum Lenaei, Pompeii liberti, in se odium concitasset, ut acerbissima ab eo satira lacerareturi, teste Suetonio de Illustr. gramm. c. XV. Non pro modesto Pompeium a Sallustio esse habitum perspicitur etiam ex eius epistola ad senatum, quam auctor ita composuit, ut summae potius arrogantiae, quam modesti animi sit documentum. Quare ad alium quem potentiae cupidum, qui multi illo tempore Romae fuere, Fragmentum referendum est.

Fr. 86. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 32. ed. min. II, 23. p. 201, 25. Debr. II, 53. IV, 91.] Arus. v. *inferior*, p. 242. Quae ex Nonii IV, 284. (p. 315, 5. Merc.) verbis *et continetur gravis*, (Fr. Inc. 83.), Douza huic Fragmento affinxit *ea continentia vir gravis* etc., quamvis in omnibus edd. leguntur, falsissima sunt. Nam praeterquam, quod nihil plane indicio est haec cohaesisse, Nonius exemplo Sallustiano utitur ad probandum *grave* idem esse atque *molestum*, quae vocis potestas ab Arusiani loco est alienissima. — Debrossius, qui sine idonea caussa verba de Sertorio interpretatur, quod neque negari neque affirmari potest, praeterea pro *et nulla* scripsit *nec ulla*.

Fr. 87. [Cort. p. 957. Gerl. ed. mai. II, 13. ed. min. II, 61. p. 204, 10. Debr. I, 18.] Verba laudantur a Nonio IV, 205. (p. 310, 21. Merc.), Servio ad Virg. Aen. II, 61., Donato ad Ter. Phorm. I, 4, 15. et ad Hecyr. IV, 1, 13., ex quibus solus Nonius librum, unde desumpta sunt, nominavit, Donatus praeterea ad Hecyr. verbum *dimittuntur* non habet. Omnes loco Sallustii propterea usi sunt, ut probarent *fiduciam* malo sensu dici pro *audaci impudentia*.

90. Et Poeni ferunt adversus a. n. c. m.

CAP. VIII.

Fragmenta paucissimis verbis composita.

---

91. Belli sane sciens.

Quare quum agi videatur vel de legatis, vel de aliis quibusdam, qui de pravis consiliis suspecti in senatu actionum suarum rationem reddere iussi essent, verborum sensus est: dimittuntur, quicunque illi fuerunt, non tam eo purgati, quod crimen argumentis certis diluerant, quam quod audacter negaverant.

Fr. 88. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. II, 40. p. 202, 16.] Fragmentum recens accedit ex Arus. v. *in maius*, p. 243. Lind. Insolentia orationis in eo cernitur, quod pro obiecti attributo explicativo, velut *aucta* vel simili vocabulo, adverbialis dictio posita est.

Fr. 89. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. Inc. 91. p. 240, 9.] Fragm. recens accedit ex Arus. v. *ludi*, p. 245. Lind. Dativus *Apollini* quamquam pertinet ad vocem *ludis*, tamen non continuo ex hoc substantivo pendet, sed ex notione omissi participii *institutis* sive *factis* est repetendus; v. Gramm. lat. nostr. §. 127, 3. B. a. additam. 2. p. 352. De ipsis ludis, qui vulgo Apollinares dicuntur, v. Liv. XXV, 12. *Circenses* hic vocantur, quoniam praeter hos etiam ludi scenici in Apollinis honorem dabantur; cf. Cic. Brut, c. 20, 78.

Fr. 90. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 34. ed. min. II, 63. p. 204, 12. Debr. II, 14.] Verba abrupta et prorsus obscura exstant apud Donatum ad Ter. Phorm. I, 3, 19., eo consilio allata, ut probetur novam periodum ab *et* particula incipere, de quo usu v. Hand. Partice. Latt. Vol. II. p. 487. Adiectae litterae *a. n. c. m.* quid significent nemo tam sagax fuerit, ut expediat; nam quovis nomine ineptissima est Debrossii coniectura, qui haec ita supplet *Africam nancisci contra meridiem*, ratus Sallustii verba fuisse in narratione de fortunatis insulis, de quibus *primo* libro dictum.

Fr. 91. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 123. ed. min. II, 34. p. 202, 12. Debr. II, 54. et II, 97.] Verba habet Commentator Cruq. in Horat. Epp. I, 15. libro non notato. Eadem ex *secundo* affert Arusian. v. *sciens huius rei*, p. 262. Lind., sed corrupte sic scripta: *bellica nesciens*. Quae quoniam cum lemmate, quod genitivum habet, non congruunt, recte a Lindemanno ad scholiastae Horatiani

92. Frugum pabulique laetus ager.
93. Ipse animi atrox.
94. Argentum mutuum accersivit.
95. Obviam fuere.
96. Post, ubi fiducia nimius.

exemplum correcta sunt; cf. Iug. XCVII, 5. *Romani veteres et ob ea scientes belli orbis facere.* Minus bene Ruhnkenius ad Vellei. II, 88, 2. coniecit *bellicae rei sciens*, quod Gerlachius Vol. III. p. 147. temere pro novo Fragmento habet, immemor se iam Vol. I. p. 251. n. 123. locum iusta forma exhibuisse. — Quae in eodem articulo ab Arusiano afferuntur Sallustii verba *sciens horum* incertum est, utrum pro novo Fragmento sint habenda, an praeeunte Ruhnkenio l. l. in *sciens locorum* mutanda, quod legitur in Iug. c. LXXXV, 45. Sed utcunque est, certe falsissimum, quod Gerlachius l. l. opinatur, verbis tantummodo schema structurae contineri, quum hoc ipsum *sciens huius rei* praecedat.

Fr. 92. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 24. ed. min. II. 85. p. 205, 26. Debr. III, 115. III, 132. III, 136.] Ex libro *secundo* haec laudat Arusian. v. *laetus*, p. 241. Lind.; sine libri nota eadem affert Serv. ad Virg. Aen. I, 441. et ad XI, 338., quo posteriore loco pro *frugum* male dedit *fructuum*. *Fruges* enim latiore sensu complectuntur omnia, quae terrâ edita hominibus *alimenta* praebent; *fructuum* vocabulo vero significatur quidquid ex proventu terrae *utilitatis vel emolumenti* quaeritur, cf. Doederlini Synonym. lat. Vol. IV. p. 334. *Pabulo* igitur, quod de animalium alimentis dicitur, non nisi *fruges* recte opponuntur. — De constructione *laetus* adiectivi cum genitivo v. Gramm. lat. nostr. §. 128. III, 2. b. p. 372 sq. et Ruddimann. Institutt. Vol. II. p. 74.

Fr. 93. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. II, 9. ed. min. II, 36. p. 202, 14. Debr. IV, 47.] Arusian. v. *atrox*, p. 215. De structurae ratione cf. Gramm. lat. nostr. §. 128. III, 2. b. Addit. 2. p. 373.

Fr. 94. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. II, 21. ed. min. II, 56. p. 204, 4. Debr. I, 70.] Priscian. X, 8, 45. Vol. I. p. 504. Kr. Pro *accersivit*, quod Prisciani codices tenent, Sallustii editores sine idonea caussa scripserunt *arcessivit*; v. ad Catil. c. XL, 6. p. 190. Hist. Fr. I, 51, 6.

Fr. 95. [Cort. p. 957. Gerlach. ed. mai. II. 5. ed. min. II, 30. p. 202, 9. Debr. II, 123. II, 129.] Charis. II, 14, 142. p. 124. Lind. (p. 187. P.). Vetuste dictum censuit Asper, Sallustii interpres; quod non plane verum videtur, quum apud optimum quemque scriptorem *esse* cum adverbio iunctum reperiatur; cf. Gramm. lat. nostr. §. 111,

97. Orbe terrarum extorres.

98. Vespera.

99. Copiis integra.

100. Moenibus deturbat.

1. not. 1. p. 227. et v. annotat. ad. Catil. c. LVIII, 9. p. 306. et ad Iug. c. XIV, 11. p. 82. Si quid tamen insolentiae in dictione inest, eo continetur, quod, quum pleraque adverbia, cum *esse* verbo coniuncta, statum vel condicionem designent, *obviam* vox *motus* notionem habet, quae paullo durius cum verbo consociatur.

Fr. 96. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. II, 11. ed. min. II, 41. p. 202, 18. Debr. IV, 8.] Arusian. v. *nimius*, p. 249. Lind. Olim edebatur *in fiducia*, sed praepositio in cod. Ambr. et Gud. recte abest.

Fr. 97. [Cort. p. 957. Gerl. ed. mai. II, 6. ed. min. II, 24. p. 201, 26. Debr. I, 74.] Arusian. v. *extorris*, p. 229. Lind. Olim in Arusiani edd. fuit *urbe patriaque extorres;* quam interpolationem Gerlachius Vol. I. p. 226. cum codicum scriptura ita conflavit, ut scriberet *orbe terrarum patriaque extorres*, Vol. III. p. 78. Maium mirifice insimulans „quum corruptam lectionem *orbe* pro *urbe* in suo codice invenisset, *terrarum* addidisse.“! Sed postea, Vol. III. p. 147. rursus codicum scriptura probata, quoniam Iug. c. 14, 11. *extorris patria* legitur, Arusianum duo diversa loca notasse censuit, et *patria extorris*, et *orbe terrarum extorris*, quae a librariis corrupta fuerint. Haec si non corrupta sunt, nescio, quid amplius corruptum sit. — Fragmenti verba de iis videntur accipienda, qui armis civilibus Roma eiecti in nulla terra versari poterant, quin ab adversariis potentioribus vexarentur, neque haberent, ubi tuti esse possent.

Fr. 98. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. II, 20. ed. min. II, 60. p. 204, 10. Debr. I, 21. I, 53. I, 59. II, 103. II, 124. III, 155. V, 9. V, 73.] Charis. II, 14, 257. p. 133. Lind. (p. 198. Putsch.).

Fr. 99. [Cort. p. 958. Gerl. ed. mai. II, 10. ed. min. II, 37. p. 202, 14. Debr. II, 150.] Arusian. v. *integer*, p. 236. Lind. Debrossius verba ex libidine mutata iterum III, 119. sic refert: *copiis integris.*

Fr. 100. [Cort. p. 960. Gerl. ed. mai. II, 38. ed. min. II, 64. p. 204, 13. Debr. III, 46.] Nonius II, 253. (p. 101, 15. Merc.). De Cyzici obsidione intelligit Debrossius, quod aperte falsum, quia verba ex *secundo* libro sunt. Gerlachius ad aliquam a Sertorio factam urbis oppugnationem refert, idque haud paullo melius, quamquam incertum.

101. Audaciter.

102. Diei medio.

Fr. 101. [Cort. p. 960. Gerl. ed. mai. II, 36. ed. min. II, 63. p. 204, 12. Deest ap. Debr.] Priscian. XV, 4, 21. Vol. I. p. 625. Kr. Quod is eiusmodi adverbia in *iter* exeuntia ita facta censet, ut *ter* syllaba dativo adderetur, id nihili est, quum *i* littera inserviat radici cum terminatione coniungendae; v. Bergeri Gramm. lat. §. 106, 4. b. p. 216.

Fr. 102. [Cort. p. 956. Gerl. ed. mai. I, 62. ed. min. II, 49. p. 203, 2. Debr. II, 95. II, 116. IV, 44.] Arusian. v. *medio*, p. 247. Lind. Vulgo haec verba inverso ordine *medio diei* in libro *primo* afferuntur; sed cod. Gud. sic habet, uti exhibuimus. De structurae ratione v. ad Iug. c. XXXVII, 4. p. 214.

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER III.

ARGUMENTUM.

CAP. I.

Bellum Sertorianum extremum. — Pompeii epistola ad senatum. — Sertorii extrema tempora et caedes. — Perperna oppressus. — Calaguris obsidio. Fr. 1—7. [Anni 74—72. a. Chr. n.]

CAP. II.

Bellum Mithridaticum. — Mithridatis ad Sertorium legatio de foedere. — Eius apparatus belli. — Cyzici obsidio ac fortissima defensio. — Pestis in Mithridatis exercitu. — Luculli expeditiones in Bithynia. — Mithridates in Pontum se recipit; eum Lucullus sequitur. — M. Cottae cum Q. Oppio dissensio. — Ponti, i. e. maris pontici et circumiacentium terrarum ac populorum descriptio. Fr. 8—53. [Anni 73—71. a. Chr. n.]

CAP. III.

Bellum Macedonicum ductu Curionis procos. gestum. — Descriptio Danubii et Germanorum. Fr. 54—58. [Annus 73. a. Chr. n.]

CAP. IV.

Bellum piraticum et Creticum. — M. Antonius infinitum imperium orae maritimae obtinet. — Cretae insulae descriptio. — Cretensium religiones. — Antonii turpis exitus. Fr. 59—66. [Anni 74—72. a. Chr. n.]

CAP. V.

Bellum servile. Eius initia. — Vesuvius a servis occupatus. — Vires servorum auctae. — Varinius rem male gerit. — Crixi clades. — Spartacus in Lucaniam se recipit. — Lentuli pugna cum fugitivis. — Spartacus Galliam cisalpinam petit. Fr. 67—81. [Anni 73. 72. a. Chr. n.]

CAP. VI.

Res urbanae. Oratio Lic. Macri. — Contentiones de restituenda potestate tribunicia. Fr. 82—85. [Anni 74—72. a. Chr. n.]

Cap. VII.

Fragmenta prorsus obscura ac paucissimis verbis composita. Fr. 86—99.

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIB. III.

Cap. I.

Bellum Sertorianum extremum. — Pompeii epistola ad senatum. — Sertorii extrema tempora et caedes. — Perperna oppressus. — Calaguris obsidio. Fr. 1—7. [Anni 74—72. a. Chr. n.]

---

1. *Epistola Cn. Pompei ad senatum.*

Si advorsus vos patriamque et deos penatis tot labores et pericula suscepissem, quotiens a prima adule-

Fr. 1. [Cort. p. 963. Gerl. ed. mai. III, 11. ed. min. III, 2. p. 214. Debr. III, 22.] Haec epistola exstat in codd. Vatt., Ursin., Ciaccon. et Balliol., de quibus v. Praef. — Scripta est anno 74. a. Chr. n., L. Licin. Lucullo, M. Aurelio Cotta coss., ut patet ex Plutarcho in Pomp. c. 20, in. *Πομπήϊος δὲ τὰ πλεῖστα τῶν ἰδίων ἐξανηλωκὼς καὶ κατακεχρημένος εἰς τὸν πόλεμον ᾔτει χρήματα τὴν σύγκλητον ὡς ἀφιξόμενος εἰς Ἰταλίαν μετὰ τῆς δυνάμεως, εἰ μὴ πέμποιεν. Ὑπατεύων δὲ Λεύκολλος τότε καὶ Πομπηΐῳ μὲν ὢν διάφορος, μνώμενος δ' ἑαυτῷ τὸν Μιθριδατικὸν πόλεμον, ἔσπευσεν ἀποσταλῆναι τὰ χρήματα φοβούμενος αἰτίαν Πομπηΐῳ παρασχεῖν δεομένῳ Σερτώριον ἀφεῖναι καὶ πρὸς Μιθριδάτην τραπέσθαι.* Fallitur igitur Faber, qui eam anno 75. a. Chr. n. tribuit, seductus loco in oratione C. Cottae, Fr. II, 50, 6. *Consules nos fecistis domi bellique impeditissuma republica: namque imperatores Hispaniae stipendium, milites, arma, frumentum poscunt.* Quae verba hoc potius docent, iam ante hanc Pompeii epistolam senatum multis et Metelli et Pompeii postulationibus de mittendis belli necessitatibus sollicitatum fuisse, quod ipse fatetur §. 2. *fessus scribundo mittundoque legatos omnis opes et spes privatas meas consumpsi.* Ceterum, quamquam dubitari nequit,

scentia ductu meo scelestissumi hostes fusi, et vobis salus quaesita est, nihil amplius in absentem me statuisse-

quin epistolae a Sallustio exhibitae argumentum plane cum ipsis Pompeii litteris congruat (cf. Drumanni Hist. Rom. Vol. IV. p. 361 sq.), tamen verba atque universa orationis forma consulto ita comparata sunt, ut appareat auctorem hanc epistolam arrogantiae et fastus Pompeii, quem oderat, insigne documentum exstare voluisse. Nam quum ille exercitui reipublicae praeesset et pro populi romani imperio bellum gereret, per totam epistolam se ut dominum gerit reipublicae, sua in remp. merita supra modum augel, Hannibali se praefert, victorias suas in coelum effert, de universo bello ac de exercitu ut suo loquitur, postremo senatui haud obscure minatur, nisi pecuniam mittat, cum exercitu infesto se Romam venturum. Quae oratio talis est, ut cuivis pateat neque antea ullum imperatorem ita loqui ausum esse, et Pompeium iam tum eos spiritus sumpsisse, quibus per relicuam vitam reipublicae insultavit.

§. 1. *penatis*) Haec accusativi forma in Vat. 1. 2. exstat; vulgo *penates* editur; cf. ad Catil. I, 1. — Pro *tot labores*, quod in codd. est, inde ab Ursino nonnulli editores scripserunt *totiens labores*, orationis exaequandae caussa, quo non est opus, quum adiectivo quantitatis adverbium eiusdem notionis recte respondeat; cf. Cic. p. Balb. 20, 47. *C. Marius si tot consulibus meruisset, quoties ipse consul fuisset.* Liv. II, 13, 2. *Adeo moverat Porsennam subeunda dimicatio toties, quot coniurati superessent, ut pacis conditiones ultro ferret Romanis.* — Verbis *a prima adulescentia* Pompeius senatui non sine quadam insolentia in memoriam revocat, quod adolescentulus trium et viginti annorum tres legiones suo sumptu paratas Sullae adduxerat (v. Plutarch. in Pomp. c. 6, med.), ac deinceps cum omnibus eius adversariis conflixerat. — *Scelestissumi hostes* sunt duces Marianarum partium Carrinas, Clodius, Brutus, Scipio, Carbo, Domitius, Perperna, Lepidus, de quibus v. Plutarch. in Pomp. c. 7—16. — Quod oratio in relativa enunciatione in passivum transit, non negligentia factum, sed a simulata modestia profectum, iis, quae Pompeius aperte se fecisse significat, simpliciter ut factis commemoratis. — *Quaesita*, i. e. parata; v. ad I, 45, 22. — *Contra aetatem*, i. e. aetate, quae vulgo tantis negotiis impar habetur, quaque alii vix ad rempublicam accedere solent; tricesimum enim agebat annum Pompeius, quum a. 77. a. Chr. n. in Hispaniam iret. — Non missum se, sed *proiectum ad bellum saevissumum* quum dicit, eo criminatur senatum nullam curam sibi atque huic bello impendisse; nam *proiici* dicuntur, quae neglecta tanquam res viles casui et periculis exponuntur; cf. Liv. XXII, 44, 7. *Si quid proiectis ac prolitis ad inconsultam atque improvidam pugnam legionibus ac-*

tis, quam adhuc agitis, patres conscripti, quem contra aetatem proiectum ad bellum saevissumum cum exercitu optume merito, quantum est in vobis, fame, miserruma omnium morte, confecistis. Hac in spe populus romanus 2
liberos suos ad bellum misit? haec sunt praemia pro volneribus et totiens ob rempublicam fuso sanguine? Fessus

cidisset. Virg. Aen. XI, 360. *Quid miseros toties in aperta pericula cives proiicis?* ubi v. Serv. — *Fames* praegnanti sensu est *interitus fame effectus, das Verhungern, der Hungertod;* cf. Liv. XXVII, 44, 8. *Maiorem partem militum fame ac frigore, quae miserrima mortis genera sunt, amisisset.* Id. XXI, 41, 11. *Licuit, si voluissemus, ad Erycem clausos, ultimo supplicio humanorum, fame interficere.*

§. 2. *Hac in spe*) i. e. hoc sperans, pro quo etiam dici poterat *hac spe*, sed sententia paullum variata. Ablativus solus enim spem designaret mittendi *caussam:* praepositione vero addita *condicio et status* declaratur, quo obtinente populus exercitum misit, quod re idem est, cogitandi forma diversum; cf. Hand. de Partice. Latt. Vol. III. p. 256 sqq. Non malum igitur, quamquam non necessarium, quod Ursinus coniecit *haccine spe:* sed pessimum, quod idem proposuit *hac sine spe.* — Verborum *opes et spes* sententiam illustravimus ad Iug. c. CVII, 4, p. 578. — De particulis *quum interim* v. ad Fr. II, 50, 7.

§. 3. *utrum censetis me vicem aerari praestare*) Haec verba Diomedes p. 362. Putsch. ex *secundo* laudat sic: *utrum vicem me aerari praestare creditis?* Cui grammatici auctoritati Gerlachius tantum tribuit, ut non dubitaret in Praef. ed. min. p. XXXIV. haec scribere: „Multa admodum incerta esse ipse fateor. In aliis iam nunc mutavi sententiam. Pompeii enim Epistola ad senatum nescio an rectius ad librum secundum referatur. *Charisius* enim p. 262. verba *utrum — creditis* ex II laudat." Diomedem, quum Sallustii verba ex II lib. citaret, codicem non ante oculos habuisse, sed memoriter locum laudasse, clarissime intelligitur tum ex verborum ordine prorsus turbato, tum ex eo, quod *censetis* in *creditis* mutavit. Temere igitur Gerlachius huic errori aliquam fidem habuit; quod quam inconsultum sit, ipse lepido argumento est, qui pro *Diomede* nominaverit *Charisium*, pro pagina 362 falso scripserit 262. — *Vicem aerari praestare* est *quasi aerarii loco esse*, sive ipsum sumptus suppeditare, qui ex aerario suppeditari debebant.

§. 4. *quippe qui — paravi*) De indicativi usu post *quippe qui* v. ad. Catil. c. XLVIII, 2. p. 219. et Gramm. lat. nostr. §. 145, 7. 2. c. not. 18. p. 500. — *Nomine modo imperi*, i. e. imperio sine exercitu.

scribundo mittundoque legatos omnis opes et spes privatas meas consumpsi, quum interim a vobis per triennium
3 vix annuus sumptus datus est. Per deos immortalis, utrum censetis me vicem aerari praestare, an exercitum
4 sine frumento et stipendio habere posse? Equidem fateor me ad hoc bellum maiore studio quam consilio profectum;

Quod quam falso, quantaque insolentia dictum sit, cognoscitur ex Plutarcho Pomp. c. 17, extr. *Πρὸς ταῦτα Πομπήϊος ἔχων τὴν στρατιὰν ὑφ' ἑαυτῷ διεπράττετο Μετέλλῳ πεμφθῆναι βοηθός. καὶ Κάτλου κελεύοντος οὐ διέλυεν, ἀλλ' ἐν τοῖς ὅπλοις ἦν περὶ τὴν πόλιν ἀεί τινας ποιούμενος προφάσεις, ἕως ἔδωκαν αὐτῷ τὴν ἀρχήν.* — *In cervicibus — agentis*, i. e. prope imminentes et ad irrumpendum promptos paratosque; cf. Liv. XXII, 33, 6. *Etsi bellum ingens in cervicibus erat, nullius usquam terrarum rei cura Romanos effugiebat.* Id. XLIV, 39, 7. *Quanto facilius abire fuit, quum procul abessemus, quam nunc, quum in cervicibus sumus?* Cic. p. Mur. 37, 79. *Nec tam timendus est nunc exercitus L. Catilinae, quam isti, qui — in capite atque in cervicibus nostris restiterunt.* Simili sententia dicitur *supra caput esse*, de quo v. ad Catil. c. LII, 24. p. 274. Quod ad rem ipsam attinet, Pompeius hic quoque supra modum rebus a se gestis gloriatur, siquidem *hostes in cervicibus iam Italiae agentes* non alii sunt, quam montanae quaedam gentes, de montibus in transeuntem exercitum hic illic impetum facientes eiusque iter interdum morantes; v. Drumanni Hist. Rom. Vol. IV. p. 362. — *Iter aliud atque ab Hannibale patefactum* ubi fuerit, difficile dictu est. Per Cottias Alpes, quae sunt infra Hannibalis iter mare Ligusticum versus, ivisse Pompeium Faber censet. Sed huic sententiae repugnat Appiani testimonium, qui B. C. I, 109. haec refert: *Πομπήϊος δὲ ἐς τὰ Ἄλπεια ὄρη μετὰ φρονήματος ἀνῄει, οὐ κατὰ τὴν Ἀννίβου μεγαλουργίαν, ἑτέραν δ' ἐχάρασσεν ἀμφὶ ταῖς πηγαῖς τοῦ τε Ῥοδανοῦ καὶ Ἠριδανοῦ, οἳ ἀνίσχουσι μὲν ἐκ τῶν Ἀλπείων ὀρῶν οὐ μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων· ῥεῖ δ' ὁ μὲν διὰ Κελτῶν τῶν ὑπὲρ Ἀλπεῖς εἰς τὴν Τυῤῥηνικὴν θάλασσαν, ὁ δὲ ἔνδοθεν τῶν Ἀλπείων ἐπὶ τὸ Ἰόνιον, Πάδος ἀντὶ Ἠριδανοῦ μετονομασθείς.* Ex his liquido patet non infra Hannibalis iter, sed supra id Rhodanum versus novam viam quaesivisse Pompeium, ita ut vel per Graecas Alpes, vel media inter Graecas et Penninas parte ivisse videatur. Sed quoniam Padi fontes, quos Appianus parum a Rhodani distare dicit, satis longe absunt, Gerlachio assentior, qui *Ticinum*, quem Appianus nominare debebat, cum Pado, in quem influit, confusum esse coniicit.

quippe qui nomine modo imperi a vobis accepto diebus quadraginta exercitum paravi, hostisque in cervicibus iam Italiae agentis ab Alpibus in Hispaniam summovi. Per eas iter aliud atque Hannibal, nobis opportunius, patefeci. Recepi Galliam, Pyrenaeum, Laletaniam, Indige- 5

§. 5. *Laletaniam*) Ita Vat. 1. et relicui codd., praeter Vat. 2., in quo est *Lacettaniam*, unde in multis edd., etiam in Orelliana a. 1840, vulgatur *Lacetaniam*. Sed hoc nomen falsum esse locorum ratio evincit. *Laletani* enim, quorum caput Barcino (Barcelona) fuit, maris oram accolebant; *Lacetani* autem, quamquam eandem Hispaniae partem obtinentes, magis introrsus sedes habebant in regione montuosa Pyrenaeisque subiecta. Pompeius autem quum iter magis secundum maris oram dirigeret, quippe quae plerumque Romanorum in fide ac ditione permansisset (cf. §. 9.), eamque ante omnia confirmare et in potestate retinere studeret, profecto non consentaneum est, Lacetaniam ab eo occupatam fuisse. — *Indigetis* omnium codd. lectio est, pro qua in edd. vett. inepta interpolatio habetur *Ilergetum* vel *Ilergetes*. Confines fuisse Laletanos Indigetibus patet etiam ex Plin. H. N. III, 3. — Pro *novis militibus*, quod omnes codd. tenent, in antiquioribus edd. ex interpolatione legebatur *noris quidem mil.*, quam iam Cortius recte repudiavit. — *Et* ante *multo* sententiam adiungit superiora verba accuratiore definitione illustrantem atque amplificantem; quod ubi fit, vernacula dicimus *und zwar*, latine pariter *et quidem*, vel *et is*, *atque is*, *isque* dici potest; cf. Fr. I, 51, 1. *Seditionibus omnia turbata sunt, et ab iis, quos prohibere magis decebat.* Fr. IV, 18, 5. *Romanis una et ea vetus caussa bellandi est.* Iug. c. LXXXV, 3. *Domi forisque omnia curare, et ea agere inter invidos, opinione asperius est.* v. ad c. XXXII, 2. p. 196. Kühner. ad. Cic. Tusc. II, 7, 17. Hand. de Partic. Latt. Vol. II. p. 477. — *Hiemenque castris* scripsimus auctoritate Vat. 1. Orellium et Fabrum secuti; relicui codd. et edd. habent *h. in castris*. Solum ablativum non localem, sed modalem vim habere, Faber recte iudicat; igitur *castris hiemem agere* significat *castra habendo* i. e. *muniendo, tuendo, defendendo, aliaque, quae in castris usu veniunt, obeundo hiemem transigere*; praepositione *in* vero addita eadem verba simpliciter significant *per hiemem in castris versari sive esse*. Quae quamquam re eodem fere redeunt, illud tamen, quoniam consuetudinis castrensis significationem habet, accommodatius est ad mentem Pompeii exprimendam. — Verba *neque ex ambitione mea* Cortius, a quo non multum dissentit Gerlachius Vol. III. p. 87., capit de ambitione militari, imperatore ad favorem militum captandum exercitum

tis, et primum impetum Sertori victoris novis militibus et multo paucioribus sustinui, hiememque castris inter saevissumos hostis, non per oppida neque ex ambitione (1)
6 mea egi. Quid dein proelia aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta enumerem? quando res plus valet

molliter nimisque liberaliter habente, ut Sall. de Sulla loquitur, Cat. c. XI, 5. Multo rectius Faber ambitionem intelligit eam, quae pertinebat ad obtinendos a provincialibus honores et varia officiorum genera, quibus coli gaudebant provinciarum praefecti et imperatores; cf. Tac. Agric. c. 18. *Agricolae ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuit:* ad quem locum Walchius comparavit Dig. de off. Proc. et legati IV. §. 3. *Antequam fines provinciae decretae sibi proconsul ingressus sit, edictum debet mittere de adventu suo, continens commendationem aliquam sui, et maxime excusantis, ne publice, ne privatim ei occurrant.* Similia atque Pompeius de se praedicat C. Gracchus apud Gellium XV, 12. *Versatus sum in provincia, quomodo ex usu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meae conducere arbitrabar.* Ceterum Pompeius verbis *non per oppida — egi* oblique carpit Metellum, qui (1)
per oppida luxui et ambitioni indulgebat; v. Fr. II, 29.

§. 6. *quando*) De vi caussali huius particulae v. ad Iug. c. CII, 9. p. 551. et Gramm. lat. nostr. §. 148. p. 516 sq. — De pugna *apud Sucronem* v. Appian. B. C. I, 110. Ἀρχομένου δ' ἦρος (anni 75. a. Chr. n.) ἐπῆσαν ἀλλήλοις μὲν καὶ Πομπήϊος ἀπὸ τῶν Πυρηναίων ὀρῶν, ἔνθα διεχείμαζον, Σερτώριος δὲ καὶ Περπίννας ἐκ Λυσιτανίας, καὶ συμβάλλουσιν ἀλλήλοις περὶ πόλιν, ᾗ ὄνομα Σούκρων. Plutarch. in Sert. c. 19. 20. Flor. III, 22, 7. — *Proelium apud flumen Turiam*, factum eodem anno, quo Sucronense, idem est, quod dicitur *apud Saguntum* (v. Drumanni Hist. Rom. Vol. IV. p. 368. not. 65.); sed in nominibus ubique varie in codd. turbatur. Pro *Turiam* enim in Vat. 1. et 2. est *Durium*, in ceteris codd. *Duriam*, quod iam Ursinus emendavit; nam quod non multo post pugnam Sucronensem committebatur proelium, non potuit fieri ad Durium, Lusitaniae septentrionalis flumen, cui hodie *Ducro* nomen est, sed factum prope Turiam (hodie *Guadalaviar*), qui Valentiam urbem parvo intervallo praeterfluit, cf. Fr. II, 24. Huius proelii mentionem facit etiam Cicero p. Balb. c. 2, 5. *Accusator fatetur Balbum in Hispania acerrimis illis proeliis et maximis Sucronensi et Turiensi interfuisse*, ubi pariter in nonnullis libris falso est *Duriensi*. Plutarch. in Sert. c. 19. in. Ἧτται μὲν οὖν τῷ Σερτωρίῳ πλείονες συνέβαινον. ἐκ δὲ ὧν

quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta et proelium apud flumen Turiam et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti satis clara vobis sunt; pro quis, o grati patres, egestatem et famem reddi-
tis. Itaque meo et hostium exercitui par condicio est; namque stipendium neutri datur; victor uterque in Ita- 7
liam venire potest. Quod ego vos moneo quaesoque ut 8

ἐπηνωρθοῦτο, τὰς ἥττας μᾶλλον ἐθαυμάζετο νικώντων τῶν ἀντιστρατήγων, οἷον ἐν τῇ περὶ Σούκρωνι μάχῃ πρὸς Πομπήϊον, καὶ πάλιν ἐν τῇ περὶ Τουρίαν πρός τε τοῦτον ὁμοῦ καὶ Μέτελλον; quo loco Sintenisius non debebat falsam lectionem *Τουττίαν* in textu relinquere. Idem erravit c. 21, in. in retinenda depravata scriptura *Σεγουντίνων* pro *Σαγουντίνων*; nam de *Saguntinis* agi clarissime patet ex eo, quod Plutarchus, commemorata Sertorii clade Sucronensi atque *Turiensi*, c. 19. et 20. de illa, c. 21. de *hac* accuratius exponit, cuius rei, per se claraе, ipsa orationis forma documentum est, quum verbis c. 19. *ἡ μὲν οὖν περὶ Σούκρωνι μάχη λέγεται γενέσθαι τοῦ Πομπηΐου κατεπείξαντος, ὡς μὴ μετάσχοι τῆς νίκης Μέτελλος* longe infra c. 21. respondeant haec *ἐν δὲ τοῖς τῶν Σαγουντίνων πεδίοις εἰς τὰς ἐσχάτας ἀπορίας κατακεκλεικὼς τοὺς πολεμίους ἠναγκάσθη συμβαλεῖν αὐτοῖς καταβαίνουσιν ἐφ' ἁρπαγὴν καὶ σιτολογίαν. — Dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti.* Id factum a. 75. a. Chr. n. haud multo post Pompeii cladem Lauronensem; cf. Plutarch. in Pomp. c. 18. *Ἥνίασε μάλιστα τὸν Πομπήϊον ἡ Λαύρωνος ἅλωσις ὑπὸ Σερτωρίου. Ἑρέννιον δὲ καὶ Περπένναν, ἄνδρας ἡγεμονικοὺς τῶν πρὸς Σερτώριον καταπεφευγότων καὶ στρατηγούντων ἐκείνῳ, νικήσας περὶ Οὐαλεντίαν ὑπὲρ μυρίους ἀπέκτεινεν.* Hanc victoriam prius partam, quam apud Sucronem et Turiam pugnaretur, Pompeius postremo loco refert, quia eam, quum sine suo damno adeptus esset, longe splendidissimam habuit. — Gerlachius, qui Vol. III. p. 87. et Turiense proelium *ante* pugnam Sucronensem factum esse ait, et Herennium *eodem* Turiensi proelio cum urbe Valentia deletum contendit, egregius est historicus; v. eius dedicationis epistolam volumine III ad Herenium datam. — *Pro quis*, quod et Vaticani tenent, et, ut videtur, reliqui quoque codd., olim edebatur *proque his*. — *Famem* in Cortii ed. typographi lapsu depravatum in *famam*.

§. 7. *victor uterque in Italiam venire potest*) Haec verba non tam periculi admonitionem, quam superbas minas continent, quas

animadvortatis, neu cogatis necessitatibus privatim mihi
9 consulere. Hispaniam citeriorem, quae non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus, praeter marjtumas civitates, quae ultro nobis sumptui onerique. Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit, et nunc malis fructibus ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam

Pompeius extrema epistola apertius profert. Nam licet *utrumque exercitum* nominet, *suum* tamen intelligit, qui a senatu se neglectum et miseriae traditum aegerrime ferens ad negatum stipendium et militiae mercedem vi extorquendam in Italiam venire possit. Id adeo ipso Pompeio duce futurum verba declarant *neu cogatis privatim mihi consulere.* — *Necessitatibus* est *summa omnium rerum inopia et urgente miseria.* Ablativus haud dubie pertinet ad *cogatis;* nam quominus caussali potestate referatur ad *consulere* infinitivum, obstat *privatim* adverbium cum eo coniunctum.

§. 9. *quae non ab hostibus tenetur*) Hac enunciatione relativa praecedentia verba non in universum definiuntur, sed ad arctiorem modum rediguntur; sensus enim est: *Hispaniae citerioris eam partem, quae non ab hostibus tenetur,* — *vastavimus.* cf. ad Iug. c. LXI, 2. p. 328. *Metellus exercitum in provinciam, quae proxuma est Numidiae, hiemandi gratia collocat.* — *Quae* pronomen ante *ultro*, quod in cod. Vat. Carrionis et Ciaccon. deest, Orellius delevit, eo permotus, quod *esse* verbum rarissime post relativum omittatur. Sed ut taceamus, si relativum absit dativos *sumptui onerique* nullo modo neque cum substantivo *civitates* neque cum verbo *vastavimus* coniungi posse, orationemque ita fieri prorsus barbaram, omnino falsa est Orellii sententia de illicito relativi usu sine verbo substantivo; cf. Iug. LXXXIX, 5. *Omnia infesta serpentibus, quorum vis* — *inopia cibi acrior.* ib. CXI, 4. *Ad simulandam pacem, cuius Numida defessus bello avidissumus, quae utilia visa, constituunt.* Plura v. in Grammat. lat. nostra §. 113. not. 2. p. 234. Quare a codicum meliorum fide non est recedendum. — De *ultro* particula v. ad Iug. c. XV, 1. p. 93. Sententia verborum est: quae non modo nihil nos iuvant, sed *adeo* sumptum nostrum et graves curas exigunt, quo eas in nostra potestate retineamus. — Pro *et nunc* Ciacconius malebat *at nunc*, sine idonea caussa. — De ratione ablativorum *malis fructibus* v. ad Catil. c. XI, 4; verborum sensus respondet vernaculo *Misserrie.* — *Agitat* hic est *se sustinet,*

fidem consumpsi. Relicui vos estis; qui nisi subvenitis, 10 invito et praedicente me exercitus hinc et cum eo omne bellum Hispaniae in Italiam transgredientur.

se tuetur. — *Fides* quid sit, explicavimus ad Iug. c. LXXIII, 6. p. 387.

§. 10. *nisi subvenitis*) Quoniam in apodosi habetur futurum, ex consuetudine latina dicendum erat *subveneritis*; sed sententiam condicionalem praesenti enunciat Pompeius, quo significet auxilium senatus non in incertum tempus futurum reiiciendum esse, sed *praesenti tempore et extemplo subveniendum*, si prohibere velint, ne bellum in Italiam transferatur; cf. Cic. in Verr. I, 2, 6. *Reus si condemnatur, desinent homines dicere his iudiciis pecuniam plurimum posse; sin absolvitur, desinemus nos de iudiciis transferendis recusare*, ubi pariter praesens multo gravius est, quam futurum exactum, quia haec eo continetur sententia: si *nunc* condemnatur, *in hac, quae agitur, caussa.* — Postrema epistolae verba (*exercitus hinc — transgredientur*), quibus Pompeius senatui graviter minatur, consulto ambigue dicta sunt; nam licet simul de se et de Sertorio loqui videatur, tamen non est dubium, quin se solum intelligat. Quaesita haec ambiguitas tollitur scripturâ *transgredietur*, quae interpolatio in edd. Gruteri, Parei et Carrionis legitur. Neque ambiguitate carere videntur verba *bellum Hispaniae*, quae non plane idem significant, atque *b. Hispanum sive Sertorianum*, sed multo latius ac generalius *bellum, quod in Hispania est* designant. Romae autem probe intellectum fuisse, quae vera mens obliquis Pompeii verbis subesset, Plutarchus declarat in Lucullo c. 5. *Χρήματα αἰτοῦντος Πομπηΐου καὶ γράφοντος, ὡς, εἰ μὴ πέμποιεν, ἀφεὶς Ἰβηρίαν καὶ Σερτώριον εἰς Ἰταλίαν ἀπάξει τὰς δυνάμεις, συνέπραξεν ὁ Λούκουλλος προθυμότατα πεμφθῆναι τὰ χρήματα, καὶ μηδ' ἀφ' ἡστινοσοῦν προφάσεως ἐκεῖνον ἐπανελθεῖν ὑπατεύοντος αὐτοῦ· πάντα γὰρ ἂν ἐπ' ἐκείνῳ γενήσεσθαι τὰ τῆς πόλεως παρόντι μετὰ τοσαύτης στρατιᾶς.*

Fr. 2. [Deest apud Cort., Debr. et Gerl. ed. mai. — ed. min. III, 15. p. 216, 15.] Fragmentum, quod recens accedit ex Arus. v. *Kave*, p. 243. Lind., corrupte ita legitur in cod. Gud. „Kavete imperatore *per Kaga* Celtibero.“ Emendatio prorsus certa debetur Lindemanno. *Imperator* haud dubie est Sertorius, *perfuga Celtiber* autem intelligendus qui ad Celtiberos transfugit; quare verba esse puto alicuius ex adversariis Sertorii clandestinis, gravissime ferentibus, quod, quum extremis belli annis in invidiam suorum incidere coepisset (cf. Fr. II, 36.) Romanis diffidens *Celtiberis custodibus corporis uteretur*. cf. Appian. B. C. I, 112. *Τότε μάλιστα πολλοὶ*

2. Cavete ab imperatore perfuga Celtibero.

3. Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis;

Σερτωρίου πρὸς τὸν Μέτελλον ηὐτομόλουν. Ἐφ' ᾧ χαλεπαίνων ὁ Σερτώριος ἀγρίως καὶ βαρβαρικῶς ἐλυμαίνετο πολλοῖς, καὶ διὰ μίσους ἐγίγνετο. Μᾶλλον δ' αὐτὸν ὁ στρατὸς ἐν αἰτίαις εἶχεν, ἐπεὶ καὶ δορυφόρους ἀντ' αὐτῶν ἐπήγετο πανταχοῦ Κελτίβηρας, καὶ τὴν φυλακὴν τοῦ σώματος, Ῥωμαίους ἀπελάσας, τοῖσδε ἀντ' ἐκείνων ἐπέτρεπεν. Plutarch. in Sertor. c. 25. *Ἐν δ' Ἰβηρίᾳ τῶν περὶ Σερτώριον συγκλητικῶν καὶ ἰσοτίμων, ὡς πρῶτον εἰς ἀντίπαλον ἐλπίδα κατέστησαν, ἐπανέντος τοῦ φόβου, φθόνος ἥπτετο καὶ ζῆλος ἀνόητος τῆς ἐκείνου δυνάμεως. Ἐνῆγε δὲ Περπέννας δι' εὐγένειαν ἐπαιρόμενος φρονήματι κενῷ πρὸς τὴν ἡγεμονίαν, καὶ λόγους μοχθηροὺς διεδίδου κρύφα τοῖς ἐπιτηδείοις.* Hinc si quis Perpernae verba Fragmento Sallustiano contineri censeat, non magnopere repugnabo.

Fr. 3. [Cort. p. 979. Gerl. ed. mai. III, 43. ed. min. III, 19. p. 216, 19. Debr. IV, 24.] Serv. ad Virg. Aen. I, 702., sine libri nota; postremam Fragmenti partem (*alter — Perpernam*) Nonius quoque habet IV, 125. p. 281, 31. Merc., et ex lib. *tertio* laudat. Ad eadem Sertorii haec verba spectare inter omnes editores constat. cf. Vell. II, 30, 1. *Tum M. Perperna praetorius e proscriptis Sertorium inter coenam Oscae interemit.* Appian. B. C. I, 113, extr. Plutarch. in Sertor. c. 26. *Ἐφ' οἷς* (sc. ficto nuncio de magna suorum victoria) *τοῦ Σερτωρίου περιχαροῦς ὄντος καὶ θύοντος εὐαγγέλια, Περπέννας ἑστίασιν αὐτῷ καὶ τοῖς παροῦσι φίλοις (οὗτοι δὲ ἦσαν τῆς συνωμοσίας) ἐπηγγέλλετο, καὶ πολλὰ λιπαρήσας ἔπεισεν ἐλθεῖν. — — — Ἑστεὶ δὲ ὁ Περπέννας φιάλην τινὰ λαβὼν ἀκράτου καὶ μεταξὺ πίνων ἀφῆκεν ἐκ τῶν χειρῶν καὶ ψόφον ἐποίησεν, ὅπερ ἦν αὐτοῖς σύμβολον, Ἀντώνιος ὑπερκαταξείμενος παίει τῷ ξίφει τὸν Σερτώριον. Ἀναστρέψαντος δὲ πρὸς τὴν πληγὴν ἐκείνου καὶ συνεξανισταμένου περιπεσὼν εἰς τὸ στῆθος κατέλαβε τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας, ὥστε μηδὲ ἀμυνόμενον πολλῶν παιόντων ἀποθανεῖν.* — *In medio*, sc. lecto triclinii, cuius a latere sinistro fuit lectus *summus*, a latere dextro lectus *imus*. De universa triclinii ratione cf. Rupertii Antiquitt. rom. Vol. I. p. 365 sq. et Beckeri Gallum, Vol. III. p. 209. ed. II. — *L. Fabius Hispaniensis* et *Q. Tarquitius* quaestores fuere C. Annii Lusci a. 81. a. Chr. a Sulla cum proconsulari potestate contra Sertorium missi, ut patet ex nummis antiquis, quibus etiam *Tarquitii* nomen certum praestatur, apud Servium aeque ac Nonium in *Tarquinium* corruptum; v. Eckhel. D. N. Vol. V. p. 134. et Drumanni

in summo Antonius, et infra scriba Sertori Versius; et alter scriba Maecenas in imo, medius inter Tarquitium et dominum Perpernam.

4. Hunc igitur redarguit Tarquitius.

Hist. Rom. Vol. I. p. 42.; iidemque, quum postea ad Sertorium transiissent, Romae proscripti fuerant. — *Antonius* non ultra notus est; Livio auctore Epit. XCVI. ei praenomen erat *Manius*, pro quo Plutarch. in Sertor. c. 26. habet *Μάλλιος*. — Scribae Sertorii *Versius* et *Maecenas* haud dubie intelligendi sunt *quaestorii*, quorum erat rationes publicas in tabulas referre; cf. Cic. in Verr. III, 79, 182 sqq. et Reinium in Pauli Encyclop. Reali Vol. VI. p. 876 sqq. — *Dominum*, i. e. convivii exhibitorem; cf. Petron. Satyr. c. 34, 5. *Laudatus propter elegantias dominus.*

Fr. 4. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 81. ed. min. III, 22. p. 216, 26. Debr. IV, 25.] Donat. ad Ter. Adelph. III, 2, 16. non indicato libro, unde desumpsit; sed Tarquitii nomen satis probabili documento est eo loco lecta fuisse, ubi auctor de coniuratis contra Sertorium egit. Sed quem arguerit Tarquitius, aut qua de re, et utrum ante patratam caedem, an inter convivium funestum, an post interfectum Sertorium id fecerit, decerni non potest. Ceterum nomen viri apud Donatum corrupte scribitur *Tarquinus*, quod iam Carrio correxit.

Fr. 5. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 165. ed. min. III, 21. p. 216, 25. Debr. IV, 30.] Verba, quae leguntur apud Acron. ad Horat. Epp. II, 2, 72. sine libri nota, non obscuram habent sententiae, unde locus pendet iis assignandus, explicationem. Quippe agitur de Perperna post caedem Sertorii in Pompeii potestatem incidente; cf. Appian. B. C. I, 115. *Περπέννας ὡς οὐ πιστῷ χρησόμενος ἐς πολὺ τῷ στρατῷ πάσῃ σχεδὸν τῇ δυνάμει συνεπλέκετο. ταχὺ δ' ὁ Πομπήϊος περιῆν, ὡς οὔτε στρατηγοῦ διαφέροντος οὔτε προθύμου στρατοῦ· καὶ τροπῆς πάντων ὁμαλοῦς γενομένης ὁ μὲν Περπέννας ὑπὸ θάμνῳ πόας ἐκρύφθη δεδιὼς τοὺς οἰκείους μᾶλλον τῶν πολεμίων. Λαβόντες δ' αὐτὸν ἱππεῖς τινες εἶλκον ἐς τὸν Πομπήϊον, ἐπιβλασφημούμενον ὑπὸ τῶν ἰδίων ὡς αὐθέντην Σερτωρίου.* Igitur *cognoscit*, si rem spectas, est *in fruticeto latentem animadvertit.* — *Redemptorem* Acro ad Hor. l. l. *cursus publici* intelligit *et animalium praebendorum*, quod in Horatii quidem verba quadrat, sed a Sallustii loco alienum videtur, ubi in universum intelligendus est, *qui varia utensilia exercitui procuranda pro pacta mercede suscepit*, ein Lieferant. Festo enim auctore, Corp. Grammatt. Latt. Vol. II. p. 226. Lind., *redemptores* dicti, qui quid conduxerunt praebendum utendumque.

5. Et Perpernam forte cognoscit mulio redemptoris.

6. Sed Pompeius a prima adulescentia sermone fautorum similem fore se credens Alexandro regi facta consultaque eius quidem aemulatus erat.

Fr. 6. [Cort. p. 978. Gerl. ed. mai. III, 32. ed. min. III, 13. p. 216, 12. Debr. V, 76.] Apud Nonium IV, 13. p. 239, 4. Merc. verba in omnibus codd. sic exstant, ut edidimus; editiones tamen omnes tum Nonii, tum Sallustii pro *aemulatus* habent *aemulus*, non aliam ob caussam, quam quia totus Nonii articulus *aemulus* adiectivum pro lemmate habet. Sed qui Nonium vel obiter cognitum habent, omnes sciunt quam saepe apud eum lemmatis articulorum elocutionum exempla non accurate respondeant; quare non magis offendere potest, quod hic, ubi non de constructione, sed de significatu agitur, *aemulus* lemmati subiicitur *aemulatus*, quam quod in proximo articulo *argutum* illustratur verbo *argutamini*, aut p. 244, 12. lemma *accommodatum* fere omnia exempla ex verbo finito habet. Qui nihilominus *aemulus* amplectuntur, frustra nituntur altero Nonii loco IX, 18. p. 502, 1. Merc., ubi, quum lemma habeatur: *accusativus* pro *genitivo*, ut exemplum affertur „Sall. Hist. lib. III. *sed Pompeius a prima adulescentia sermone fautorum similem fore se credens Alexandro regi.*“ Scilicet frustra quaeris accusativum pro genitivo positum, cuius structurae illustrandae caussa Sallustiana verba allata videntur. Sed quam medelam huic defectui adhibuit Mercerius, ut ex Carrionis coniectura excidisse censeret *facta consultaque eius quidem aemulus erat*, valde inconsulta est. Non magis enim hic aliquid excidit, atque innumeris aliis locis, quibus vel sententia abrupta est, vel elocutionis exempla a lemmate sunt alienissima, ne dicam ineptissima et ratione prorsus destituta. — Alexandro Pompeium et comparatum fuisse et ipsum voluisse similem videri etiam Plutarchus tradit in Pomp. c. 2. *Ἦν δέ τις ἀναστολὴ τῆς κόμης ἀτρέμα καὶ τῶν περὶ τὰ ὄμματα ῥυθμῶν ὑγρότης τοῦ προσώπου ποιοῦσα μᾶλλον λεγομένην ἢ φαινομένην ὁμοιότητα πρὸς τὰς Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως εἰκόνας. Ἣι καὶ τοὔνομα πολλῶν ἐν ἀρχῇ συνεπιφερόντων οὐκ ἔφυγεν ὁ Πομπήϊος, ὥστε καὶ χλευάζοντας αὐτὸν ἐνίους ἤδη καλεῖν Ἀλέξανδρον.* Id. ib. c. 46. *Ἡλικίᾳ δὲ τότε ἦν* (sc. quum ex Asia triumpharet), *ὡς οἱ μὲν κατὰ πάντα τῷ Ἀλεξάνδρῳ παραβάλλοντες αὐτὸν καὶ προσβιβάζοντες ἀξιοῦσι, νεώτερος τῶν τριάκοντα καὶ τεττάρων ἐτῶν.* Quae res Sallustium impulerit, ut famigeratae Pompeii cum Alexandro similitudinis mentionem faceret, obscurum est; sed eam non nimis honorificam fuisse ostendit ipsa verborum conformatio, quae in apodosi omissa non tam laudem, quam vitupe-

7. Parte consumpta relicua cadaverum ad diuturnitatem usus sallerent.

rium Pompeii fuisse coniicere iubet. In re incerta putaverim inglorium et parum honestum belli Sertoriani finem, quo Pompeius tamen ut splendidissimo gloriabatur, Sallustio eius vanitatem perstringendi materiem praebuisse. Possit tamen etiam cogitari de Sertorii litteris, quas Pompeius, a Perperna sibi oblatas, quo animi magnitudinis speciem sibi adderet, non lectas combussit; cf. Plut. in Pomp. c. 20, extr. *Ὁ Περπέννας τῶν Σερτωρίου γραμμάτων γεγονὼς κύριος ἐδείκνυεν ἐπιστολὰς τῶν ἐν Ῥώμῃ δυνατωτάτων ἀνδρῶν, οἳ τὰ παρόντα κινῆσαι βουλόμενοι πράγματα καὶ μεταστῆσαι τὴν πολιτείαν ἐκάλουν τὸν Σερτώριον εἰς Ἰταλίαν. Φοβηθεὶς οὖν ὁ Πομπήϊος ταῦτα, μὴ μείζονας ἀναστήσῃ τῶν πεπαυμένων πολέμων, τόν τε Περπέννην ἀνεῖλε καὶ τὰς ἐπιστολὰς οὐδ' ἀναγνοὺς κατέκαυσεν.* Id. in Sert. c. 27. *Τὰς μὲν ἐπιστολὰς ἐκείνας καὶ τὰ γράμματα τοῦ Σερτωρίου συναγαγὼν ἅπαντα κατέκαυσεν οὔτε ἀναγνοὺς οὔτε ἐάσας ἕτερον· αὐτὸν δὲ τὸν Περπέννην κατὰ τάχος ἀνεῖλε φοβηθεὶς μή, τῶν ὀνομάτων ἐξενεχθέντων πρός τινας, ἀποστάσεις καὶ ταραχαὶ γένωνται.* Appian. B. C. I, 115.

Fr. 7. [Cort. p. 963. Gerl. ed. mai. III, 10. ed. min. III, 86. p. 223, 27. Debr. II, 93. IV, 79.] Priscian. X, 9, 57. p. 514. Kr. Ad eundem locum respexit etiam Diomedes p. 372. Putsch., sed memoriter valde variatum sic refert: *ad diuturnitatem usus reliqua cadavera sallere;* unde patet etiam falsum esse, quod verba ex *quarto* libro laudat. Ad Calaguritanos haec spectare multorum scriptorum testimonio comprobatur; cf. Valer. Max. VII, 6, 3. exter. *Calaguritani, quo perseverantius interempti Sertorii cineribus obsidionem Cn. Pompeii frustrantes fidem praestarent, quia nullum iam aliud in urbe eorum supererat animal, uxores suas natosque ad usum nefariae dapis verterunt. Quoque diutius armata iuventus viscera sua visceribus suis aleret, infelices cadaverum reliquias salire non dubitavit.* Oros. V, 23. *Civitatibus cunctis ultro ac sine mora per deditionem receptis duae tantum restiterunt, hoc est Uxama et Calaguris, quarum Uxamam Pompeius evertit, Calagurim Afranius iugi obsidione confectam atque ad infames escas miseranda inopia coactam ultima caede incendioque delevit.* Flor. III, 22, 9. *In Romanam fidem venere urbes Uxama et in fame nihil non experta Calaguris.* Strab. III. p. 161. — *Sallere* pro *salire* veteres dixisse Priscianus pariter atque Diomedes ll. ll. idoneis exemplis demonstrant. — Obiter monemus, quod Carrio libro IV, 11. (Cort. p. 981.) exhibet Fragmentum *reliqua cadavera salita*, de quo Gerlachius Vol. III. p. 105. incredibiliter nu-

CAP. II.

Bellum Mithridaticum. Mithridatis ad Sertorium legatio de foedere. — Eius apparatus belli. — Cyzici obsidio ac fortissima defensio. — Pestis in Mithridatis exercitu. — Luculli expeditiones in Bithynia. — Mithridates in Pontum se recipit; eum Lucullus sequitur. — M. Cottae cum Q. Oppio dissensio. — Ponti, i. e. maris Pontici et circumiacentium terrarum ac populorum descriptio. Fr. 8—53. [Anni 73—71. a. Chr. n.]

---

8. Eum atque Metrophanem senatus magna industria perquirebat, quum per tot scaphas, quas ad ostia cum paucis fidis percontatum miserant.

gatur, a Carrione ex Diomede esse effictum, et Fragmentorum numero eximendum.

Fr. 8. [Cort. p. 967. Gerl. ed. mai. III, 17. ed. min. III, 36. p. 217, 19. Debr. III, 12.] Non. XIII, 11. p. 535, 8. Merc. De legatione Mithridatis ad Sertorium de foedere ineundo (a. 74. a. Chr. n.) missa (v. Fr. II, 58.) hoc Fragmento agi, Metrophanis commemoratio indicio est, qui ex fidissimis regis ducibus (cf. Appian. Mithr. c. 29. Oros. VI, 2, med. Isidor. II, 11, 1. p. 75. Lind.) eam legationem una cum L. Magio et L. Fannio suscepisse putandus est. De re ipsa v. Plutarch. in Sertor. c. 23. *Πέμπει δὲ πρέσβεις ὁ Μιθριδάτης εἰς Ἰβηρίαν γράμματα Σερτωρίῳ καὶ λόγους κομίζοντας, δι' ὧν αὐτὸς μὲν ἐπηγγέλλετο χρήματα καὶ ναῦς παρέξειν εἰς τὸν πόλεμον, ὑπ' ἐκείνου δὲ ἠξίου τὴν Ἀσίαν αὐτῷ βεβαιοῦσθαι πᾶσαν, ἧς ὑπεχώρησε Ῥωμαίοις κατὰ τὰς πρὸς Σύλλαν γενομένας συνθήκας.* In Dianio eos, quod erat promontorium arduum cum urbe et templo Dianae, convenisse Sertorium patet ex Cic. in Verr. I, 34, 87. *Verres myoparonem pulcherrimum L. Magio et L. Fannio vendidit. Hoc illi navigio ad omnes populi romani hostes usque a Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopam, quae in Ponto est, navigaverunt.* — *Senatus* non est Romanus, sed quem Sertorius ex suorum numero composuerat; v. Appian. B. C. I, 108. *Περιώννυμος δὲ ὧν ἐπὶ τόλμῃ βουλὴν κατέλεξεν ἐκ τῶν συνόντων οἱ φίλων τριακοσίους· καὶ τήνδε ἔλεγεν εἶναι Ῥωμαίων βουλήν, καὶ ἐς ὕβριν ἐκείνης σύγκλητον ἐκάλει.* De eo ad legatos Mithridatis audiendos convocato v. Plutarch. l. l. *Ἀθροίσαντος δὲ Σερτωρίου βουλήν, ἣν σύγκλητον ὠνόμαζε, καὶ τῶν ἄλλων δέχεσθαι τὰς προκλήσεις καὶ ἀγαπᾶν κελευόντων — οὐκ ἠνέσχετο ὁ Σερτώριος.* Appian. Mithr. c. 68. p. 742. Schw. *Ὁ μὲν δὴ* (sc. Mithridates) *ἐς τὸν Σερ-*

9. Illi tertio mense pervenere in Pontum multo celerius spe Mithridatis.

10. Ingens ipse virium atque animi.

11. Equis et armis decoribus cultus.

τώριον ἔπεμψεν· ὁ δὲ (sc. Sertorius) τοὺς πρέσβεις ἐς τὴν ἑαυτοῦ σύγκλητον παραγαγὼν — συνετίθετο τῷ Μιθριδάτῃ. Haec quamquam in universum satis plana sunt, singula tamen in abrupta sententia obscuritate laborant. Coniectura si quid tentandum est, Sallustius hoc videtur narrasse, Sertorii senatum, accepto nuncio legatos Mithridatis advenisse, diutius illis morantibus, summa eos cura perquiri iussisse, missis, qui per mare portui vicinum omnia specularentur et vestigarent. Quae sequuntur verba *quum per tot scaphas — miserant*, haud dubie caussam continent tam industriae pervestigationis; quare quae desunt, sic fere supplenda videntur: „quum per tot scaphas, quas ad ostia cum paucis fidis percontatum miserant, *illi nusquam visi et inventi essent.*“ — *Ostia* contra consuetudinem plurali dictum pro *ostium*; cf. Virg. Aen. I, 400. *Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.* — *Percontatum* scripsimus pro *percunctatum*, quod in edd. est; v. ad Catil. c. XL, 2. — *Miserant* per synesin refertur ad *senatus*; cf. ad Iug. XV, 1. p. 93. *Iugurtham a senatu petere, ne se alium putarent, ac Numantiae cognitus esset.* ib. XXVIII, 2.

Fr. 9. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 4. ed. min. III, 80. p. 223, 18. Debr. III, 116.] Verba sine libri indicio leguntur apud Arus. v. *cilius*, p. 221. ed. Lind. Pro *illi* in cod. Ambr. et Gud. est *illo*, quod editores dudum correxerunt. Quamquam incertum est, de quibus auctor loquatur, haud incommode tamen cogitari potest de reditu legatorum Mithridatis ad Sertorium societatis belli ineundae caussa missorum; v. Fr. praeced. *Illi* igitur sunt legati ipsi cum M. Mario, quem Sertorius regi peritum belli ducem miserat; cf. Plutarch. in Lucull. c. 8, med. c. 12, extr.; in Sertor. c. 24, med. Oros. VI, 2, med. Appian. Mithr. c. 68, qui falso eum *Μάρκον Οὐάριον* nominat. Debrossius, quem sequitur Gerl. III. p. 117. verba de Lucullo intelligit, cum exercitu in Pontum progrediente, cui sententiae *illi* pluralis et memorata Mithridatis *spes* prorsus obstat.

Fr. 10. [Cort. p. 978. Gerl. ed. mai. III, 28. ed. min. III, 89. p. 224, 3. Debr. II, 52.] Arus. v. *ingens*. p. 236. Lind. De Mithridate haec dicta esse vix dubitare sinit libri III, unde desumpta sunt, commemoratio. Scilicet videntur verba fuisse in descriptione apparatus bellici, quam Sallustius rerum gestarum narrationi praemisit. Quare *virium* de copiarum magnitudine, non de corporis ro-

12. Curribus falcatis *[usos esse antiquos Livius et Sallustius docent.]*

13. Serum enim bellum in angustiis futurum.

bore capiendùm est. Debrossius ad Sertorium verba trahens nugatur, ut plerumque solet.

Fr. 11. [Cort. p. 963. Gerl. ed. mai. III, 7. ed. min. III, 83. p. 223, 23. Debr. I, 32.] Haec quoque verba, a Prisciano VI, 9, 47. p. 250. Kr. laudata, ad eandem rem spectant, ut Fr. 10. Abruptior sententia aliquantum lucis accipit ex Plutarch. Lucull. c. 7, med. *Ἀφελὼν ὁ Μιθριδάτης ὅπλων διαχρύσων καὶ διαλίθων κατασκευὰς, ὡς λάφυρα τῶν κρατούντων, οὐκ ἀλκήν τινα τῶν κεκτημένων ὄντα, ξίφη ἐλαύνετο Ῥωμαϊκὰ καὶ θυρεοὺς ἐμβριθεῖς ἐπήγνυτο, καὶ γεγυμνασμένους μᾶλλον ἢ κεκοσμημένους ἥρμοζεν ἵππους.* Plutarcho igitur duce Sallustium hoc dixisse coniicias: Mithridates, cui inutilis vidēbatur exercitus *armis et equis decoribus cultus*, gladios romanos scutaque gravia fabricabatur, equosque magis exercitatos quam ornatos comparabat.

Fr. 12. [Cort. p. 1011. Gerl. ed. mai Inc. 209. ed. min. IV, 56. p. 229, 10. Debr. V, 28.] Ex Servio, qui haec ad Virg. Aen. I, 480. sine libri indicio affert, hoc tantummodo intelligitur, Sallustium alicubi de *curribus falcatis* dixisse, id quod testatur etiam Schol. ad Stat. Theb. X, 544. „Hoc genus armorum etiam Sallustius describit.“ Eius rei commemoratio ut aperte in bello Mithridatico facta est, ita non liquet tertione libro an quarto facta sit, nam utrumque potuit fieri. Sed ut hic verba exhiberemus, fecimus permoti loco Plutarchi ad Fr. 11. allati, ubi de apparatu Mithridatis bellico haec leguntur: *ἤθροιζεν πεζῶν μυριάδας δώδεκα κατεσκευασμένων εἰς φάλαγγα Ῥωμαϊκὴν, ἱππεῖς δὲ πρὸς μυρίοις ἑξακισχιλίους, ἄνευ τῶν δρεπανηφόρων τεθρίππων· ταῦτα δ' ἦν ἑκατόν.*

Fr. 13. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 3. ed. min. Inc. 7. p. 237, 5. Debr. IV, 56.] Ita, sine libri nota, Serv. ad Virg. Aen. V, 524. et XII, 864., sed h. l. omissa *enim* particula. Eadem Philargyrius ex libro XII, qui numerus aperte ex III corruptus est, minus accurate sic affert ad Georg. IV, 144. *serum bellum in angustiis fore.* Quoniam tum oratio obliqua tum *enim* particula prodit haec verba in argumentatione aliqua fuisse posita, eâ coniicio sermonem eorum contentum fuisse, qui Luculli moram, initio belli consulto initam, vituperarent. cf. Plutarch. in Lucull. c. 8, in. *Ἦσαν μὲν οὖν οἱ τὸν Λούκουλλον ἀμελήσαντα Κόττα πρόσω χωρεῖν παρορμῶντες ὡς ἔρημον αἱρήσοντα τὴν Μιθριδάτου βασιλείαν, καὶ μάλιστα τῶν στρατιωτῶν οὗτος ἦν ὁ λόγος*

14. Nam tertia tunc erat, et sublima nebula coelum obscurabat.

15. Ad Cyzicum perrexit firmatus animi.

ἀγαναχτούντων κ. τ. λ. Sensus igitur verborum hic est: docebant Luculli consilium improbantes properandum esse neque occasionem rei bene gerendae praetermittendam; *prolatatum enim bellum* in angustiis, i. e. *difficilius et periculosius futurum.* Falsum esse quod Servius *serum* explicat *grave*, Philargyrius *magnum*, per se patet; multo tamen perversior Gerlachii explicatio, qui Vol. III. p. 117. antestatus Servium et Philargyr. l. l. *serum* dicit *frustra* significare, lepidissime simul provocans ad illud, quod in proverbio est, *sero sapiunt Phryges!* Infelicissima etiam Debrossii sententia, qui Fragmentum ad bellum Spartacium referens *in angustiis* proprie de angustiis Bruttiorum et silvae Silae capit.

Fr. 14. [Cort. p. 967. Gerl. ed. mai. III, 20. ed. min. III, 88. p. 224, 2. Debr. I, 59. II, 69. III, 28. III, 137.] Non. VIII, 45. p. 489, 8. Merc. Pro *tertia*, quod plerique codd. tenent, in nonnullis Nonii edd. legitur *tetra*, in aliis *terna*, in cod. Iunii *Thracia*, unde is coniecit *Thrascias*. Quae omnia Gerlachius Vol. III. p. 91. merito corrupta iudicans ipse tamen, quasi nihil hic obscurum esset, de Fragmenti sensu altum tenuit silentium. — Ad vocem *tertia* supple *luna*, ut sit tertius dies lunae rursus apparentis, quae tenui tantum luce initium noctis illustrat; de quo usu noctes ab interlunio numerandi cf. Scheffer. ad Iul. Obseq. c. 111. Plin. H. N. II, 13. *Certum est solis defectum nonnisi novissima primave fieri luna.* id. ib. II, 97. *Aestus itidem triduo in mense consistit, septima, octava nonaque luna.* adde Bentlei. ad Lucan. Phars. I, 218. Totum Fragmentum autem capiendum de nocturna et clandestina Mithridatis profectione contra Cyzicum, quod suadet locus de ea re planissimus Plutarchi in Lucull. c. 9, in. *Ἐν τούτῳ δὲ Μιθριδάτης ἐπεβούλευε Κυζικηνοῖς πεπληγόσιν ἐν τῇ περὶ Χαλκηδόνα μάχῃ. Βουλόμενος οὖν λαθεῖν τὸν Λούκουλλον εὐθὺς ἀπὸ δείπνου νύκτα δυσφανῆ καὶ νοτερὰν ἔχων ἐκίνει καὶ φθάνει τῆς πόλεως ἄντικρυς ἅμ' ἡμέρᾳ περὶ τὸ τῆς Ἀδραστείας ὄρος ἱδρύσας τὴν δύναμιν.* Quodsi coniectura nos non fallit, Sallustius his verbis caussam attulit, cur illa profectio Lucullum lateret.

Fr. 15. [Cort. p. 978. Gerl. ed. mai. III, 24. ed. min. III, 53. p. 218, 24. Deest ap. Debr.] Verba, quae leguntur apud Arus. s. v. *firmatus*, p. 232. ed. Lind., de Luculli itinere ad Cyzicum intelligenda esse in promptu est.

Fr. 16. [Cort. p. 1010. Gerl. ed. mai. Inc. 198. ed. min. Inc. 83. p. 240, 2. Debr. I, 95. II, 105. III, 36.] Servius ad Virg. Aen.

16. *[Sallustius duces laudat, qui]* victoriam incruento exercitu reportarunt.

17. Castrisque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur.

XI, 421. haec affert, sensum magis quam ipsa verba auctoris secutus. Eadem fere habet Isidorus XVIII, 2, 1. p. 561. „Non est autem iucunda victoria, quae per immensa detrimenta contingit. Et hoc est, quod laudat Sallustius, *duces victoriam incruento exercitu deportasse*." Qui quum aperte exscripserit Servium, eam verborum formam, quam ille praebet, exhibendam duximus. Neque dubium est, quin *victoriam reportare*, quod Serv. habet, rectius dicatur, quam *deportare*, quippe quod de iis maxime usurpetur, quae ex provincia vel aliena terra quasi abducta domum referuntur; unde bene habet *deportare exercitum victorem, triumphum, gloriam*, sed non item *victoriam*, quippe qua quis in ipso belli loco potiatur. Sallustius ut duces laudaret incruento exercitu victoriam reportantes, Luculli impulsus est egregia bellandi arte et consilio, quo ille Mithridatem apud Cyzicum sine iusta pugna ita fregit, ut graviorem cladem nunquam passus sit, idque multis scriptorum testimoniis celebratur. cf. Plut. in Lucull. c. 9, in. *Ὁ Λούκουλλος ἠγάπησε μὲν οὐκ ἐμπεσὼν ἀσύντακτος εἰς τοὺς πολεμίους, καθίζει δὲ τὸν στρατὸν περὶ τὴν Θρᾳκίαν λεγομένην κώμην ἐν τόπῳ κατὰ τῶν ὁδῶν ἄριστα πεφυκότι καὶ τῶν χωρίων, ἀφ' ὧν καὶ δι' ὧν ἀναγκαῖον ἦν τοῖς Μιθριδατικοῖς τὰ ἐπιτήδεια φοιτᾶν. Διὸ καὶ περιλαβὼν τῇ διανοίᾳ τὸ μέλλον οὐκ ἀπεκρύψατο τοὺς στρατιώτας, ἀλλ' ἅμα τῷ θέσθαι τὸ στρατόπεδον καὶ ἀπὸ τῶν ἔργων γενέσθαι συναγαγὼν αὐτοὺς ἐμεγαληγόρησεν, ὡς ὀλίγων ἡμερῶν ἀναιμωτὶ τὸ νίκημα παραδώσων αὐτοῖς.* Appian. Mithr. c. 72, in. *Δι' αὐτομόλων ἐπιγνοὺς ὁ Λούκουλλος εἶναι τῷ βασιλεῖ στρατιὰν μὲν ἀνδρῶν ἀμφὶ μυριάδας τριάκοντα, ἀγορὰν δὲ, εἴ τι σιτολογοῦντες ἢ ἐκ θαλάσσης λάβοιεν, ἔφη πρὸς τοὺς ἀμφ' αὐτὸν ἀμαχεὶ λήψεσθαι τοὺς πολεμίους αὐτίκα.* Oros. VI, 2, extr. *Apud Cyzicum Lucullus incruento milite spectator cladis alienae novum genus victoriae adeptus est.* Haec quamquam satis certa videntur, tamen Gerlachii sagacitas Vol. III. p. 145. assecuta est Sallustium haec dixisse, quum de Bruto loqueretur, quem Pompeius Mutinae obsessum nullo proelio commisso ad deditionem compelleret.

Fr. 17. [Cort. p. 978. Gerl. ed. mai. III, 31. ed. min. III, 91. p, 224, 5. Debr. IV, 43.] Non. IV, 235. p. 323, 2. ed. Merc. *Castra conferre*, pro quo frequentius etiam dicitur *castra castris conferre*, est castra prope inter se collocare et hosti exadversum ponere; cf. Herzog. ad Caes. B. G. VIII, 9. Drakenb. ad Liv. X, 32, 5. Quod

18. Atque edita undique tribus tamen cum muris et magnis turribus.

19. Quem trans stagnum omnis usque ad flumen.

20. Duos quam maxumos utris levi tabulae subie-

quamquam etiam alibi fieri potuit, tamen satis constat factum esse in Cyzici obsidione, quum Mithridatis castris Lucullus sua circumdedisset. Neque relicua verba non conveniunt. Lucullus enim quum superiorem locum teneret, pugnaque abstinendum statuisset, non poterat a Mithridate ad pugnandum cogi, ingenio loci proelium prohibente; cf. Appian. Mithr. c. 72, extr. *Ὁ Μιθριδάτης περιεῖδε Ῥωμαίους διὰ στενοῦ παρυδεύοντας ἀδεῶς, καὶ ἐπιτειχίζοντας αὐτῷ μέγα ὄρος. οὐ κρατοῦντες αὐτοὶ μὲν ὄπισθεν ἔμελλον ἀγορὰν ἀδεῶς ἐπάξεσθαι, Μιθριδάτην δὲ λίμνῃ καὶ ὄρεσι καὶ ποταμοῖς ἀποκλείσειν τῶν κατὰ γῆν ἁπάντων, — οὔτε βιάζεσθαι δυνάμενον ἔτι Λούκουλλον ὑπὸ τῆς δυσχωρίας.* — De vi vocis *ingenio* cf. ad Fr. II, 50, 9.

Fr. 18. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 69. ed. min. IV, 66. p. 229, 24. Debr. V, 63.] Verba, quae leguntur apud Donat. ad Ter. Andr. I, 1, 67., ad eandem rem pertinere, quam Fragm. praecedens, haud absone coniicias. Nam quum Lucullus montem Mithridatis castris imminentem magnis operibus munisset, hoc ipsum huius Fragmenti verbis significatum fuisse puto, quamquam in abrupta structura difficillimum est, quae orationis forma fuerit, expedire. *Tamen* Donatus l. l. monet ita positum esse, ut referatur ad praecedentem concessivam sententiam omissa particula concessiva, de quo usu v. annotat. ad Iug. c. LV, 1. p. 303. et supra ad Fr. I, 45, 18.

Fr. 19. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 121. ed. min. Inc. 36. p. 238. 4. Debr. III, 52. III, 131.] Verba, quae attulit Philargyr. ad Virg. Georg. IV, 293., admodum sunt obscura. Nihilominus ex stagni commemoratione coniici posse videtur ad Cyzici obsidionem pertinuisse, collato Appiano Mithr. c. 72, extr. *Ἔμελλον (οἱ Ῥωμαῖοι) Μιθριδάτην λίμνῃ καὶ ὄρεσι καὶ ποταμοῖς ἀποκλείσειν τῶν κατὰ γῆν ἁπάντων.*

Fr. 20. [Cort. p. 967. Gerl. ed. mai. III, 18. ed. min. III, 56. p. 219, 3. Debr. III, 34.] Non. II, 899. p. 186, 14. ed. Merc. De Lucullo agi Cyzicenos de adventu suo certiores faciente clarissime patet ex Frontino, Floro et Orosio, qui eandem rem ita narrant, ut, quin omnes ex Sallustio hauserint, dubitari nequeat. cf. Frontin. Strateg. III, 13, 6. *L. Lucullus Cyzicenos obsessos a Mithridate ut certiores adventus sui faceret, quum praesidiis hostium teneretur introitus urbis, qui unus et angustus ponte modico insulam continenti iungit, militem e suis sciolum nandi et nauticae artis peritum iussit*

cit, qua super omni corpore quietus invicem tracto pede quasi gubernator existeret. Ea inter molem atque insulam mari vitabundus classem hostium ad oppidum pervenit.

21. Unde pons in oppidum pertinens explicatur.

insidentem duobus inflatis utribus litteras insutas habentibus, quos ab inferiore parte duabus regulis inter se distantibus commiserat, ire septem millium passuum traiectum. Quod ita perite gregalis fecit, ut cruribus velut gubernaculis dimissis cursum dirigeret, et procul visentes, qui in statione erant, marinae specie belluae deciperet. Flor. III, 5, 16. *Fiduciam oppidanis resistendi nuntius fecit, docens adventare Lucullum; qui (horribile dictu!) per medias hostium naves utre suspensus et pedibus iter adgubernans videntibus procul quasi marina pistrix evaserat.* Oros. VI, 2. med. *Lucullus ad Cyzicenos, ut bono animo essent, nuncium misit unum ex militibus nandi peritum, qui duobus utribus suspensus, mediam ipse regulam tenens plantisque subremigans septem millia passuum transmeavit.* — Pro *qua super* in plerisque codd. est *quam super*, quod correxit Carrio. — Pro *tracto pede* in aliis codd. est *tracto pedes*, in aliis *tracto pedis*, in edd. tum Nonii tum Sall. *tractu pedis*, quod falsum esse evincit *invicem* vox, quippe quae cum substantivo nequeat coniungi, sed necessario verbum requirit. Veram scripturam praebent codd. Par. γ. φ. — Pro *molem atque* codd. tenent *molem quae*, Paris. σ. *molemque*. Hoc quoque correctum a Carrione. — *Vitabundus*, quod plerumque ut cetera eiusdem terminationis vocabula adiectivi vim habet (v. ad Iug. c. XXXVIII, 1. p. 217.), Sallustius insolenter participii instar usurpavit obiecto addito; cf. Liv. XXV, 13, 4. *Hanno vitabundus castra hostium consulesque loco edito castra posuit.* Sisenna Hist. IV. apud Gell. XI, 15. (Vell. Hist. Fragm. ed. Frotsch. p. 479. n. 59.) *Populabundus agros ad oppidum pervenit.* — Ceterum Gerlachius in ed. min. perversissima interpunctione grammaticam totius Fragmenti rationem incredibiliter corrupit. Semicolo enim post *subiecit* posito et puncto post *existeret* in comma mutato portentosa existit enunciationum inter se ratio, eo turpior facta, quod V. D. ex lubidine codicum scripturam *eà inter molem* mutavit in *et inter molem*.

Fr. 21. [Cort. p. 1002. Gerl. ed. mai. Inc. 19. ed. min. III, 58. p. 219, 11. Debr. III, 31. III, 43.] Fragmentum, olim *Incertis* annumeratum, Arus. v. *pertinens*, p. 256. Lind., ex III. laudat. Non improbabilis est Gerlachii sententia Vol. III. p. 123., his verbis agi de machina bellica a Mithridate in obsidione Cyzici instituta, ut ex

22. Manus ferreas et alia annexu idonea iniicere.

23. Saxaque ingentia et orbes axe iuncti per pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum erici militaris veruta binum pedum.

turri navibus imposita pons in murum oppidi prosiliret; cf. Appian. Mithr. c. 73, extr. *Κατὰ δὲ τοὺς λιμένας δύο πεντήρεις ἐζευγμέναι πύργον ἕτερον ἔφερον, ἐξ οὗ γέφυρα, ὁπότε προσπελάσειαν ἐς τὸ τεῖχος, ὑπὸ μηχανῆς ἐξήλλετο.* Id. ib. c. 74. in. *Ὁ δὲ Μιθριδάτης ἐπῆγε τὴν ἐπὶ τῶν νεῶν μηχανήν. καὶ ἥ τε γέφυρα ἐς τὸ τεῖχος ἐξήλατο ἄφνω, καὶ τέσσαρες ἀπ' αὐτῆς ἄνδρες ἐξέδραμον.* Quae verborum interpretatio si vera est, *unde* refertur ad turrim iunctis duabus quinqueremibus impositam, neque male cum graeco *ἐξάλλεσθαι* convenit *explicari* verbum, quod de ponte consueto modo duas diversas partes *iungente* dici non potest. Aliquid sane offensionis habet praesens verbi, tali narrationi haud conveniens. Quare haud scio an pro eo *explicatus* fuerit scriptum, adiuncto verbo *prosiliret*, vel simili.

Fr. **22.** [Deest ap. Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. III, 96. p. 224, 11.] Fragmentum, quod ex Arus. v. *idoneum*, p. 242. ed. Lind. recens accedit, simul cum sequente ad strenuam fortissimamque Cyzicenorum defensionem contra acerrimos Mithridatis impetus pertinet. cf. Appian. Mithr. c. 74, med. *Τοὺς μὲν οὖν κριοὺς λίθοις ἀπεκαύλιξον, ἢ βρόχοις ἀνέκλων, ἢ φορμοῖς ἐρίων τῆς βίας ἐξέλυον, τῶν δὲ βελῶν τοῖς μὲν πυρφόροις ὑπήντων ὕδατι καὶ ὄξει, τὰ δ' ἄλλα προβολαῖς ἱματίων ἢ ὀθόναις κεχαλασμέναις τῆς φορᾶς ἀνέλυον. ὅλως τε οὐδὲν προθυμίας ἀνδρὶ δυνατῆς ἐξέλιπον.* *Iniicere* igitur ad machinas bellicas et arietes est referendum.

Fr. **23.** [Cort. p. 979. Gerl. ed. mai. III, 41. ed. min. III, 57. p. 219, 8. Debr. II, 90.] Non. XVIII, 16. p. 554, 33. Merc. Pro *et orbes axe iuncti* in plerisque codd. valde corrupte legitur *turbae-saxae iuncti*, in Paris. A. *turbe saxe elicti*, quae VV. DD. infelicissimis coniecturis tentarunt. In ed. Ald. enim et Iunii editur *et axe iunctae trabes*, unde fluxit levi mutatione facta vulgata edd. Sallustii lectio *et axe vinctae trabes*, in qua omnes tanquam verissima acquieverunt. Et tamen talis est, ut neque corruptelae originem ostendat, turbato ex libidine verborum ordine mutatoque participii genere, et ad hoc sententiam habeat prorsus ineptam. Nam *axis* quum per se a *trabe* non differat, non intelligitur, quid *trabes* sibi velint cum *axe;* multo minus patet, quomodo eae *axe vinciri*, aut *per pronum incitari* potuerint. Quod quum rotatione tantummodo fieri posset, necesse est vocabulum affuisse, quod *rotae* notionem

24. Et onere turrium incertis navibus.

25. Nam qui enare conati fuerant, icti saepe fragmentis navium aut afflicti alveos undarum vi, mulcato foede corpore postremo interiere tamen.

haberet, et simul generis masculini esset, id quod patet ex participio *iuncti* pariter atque *elicti*. Palmaris igitur censenda est Turnebi emendatio in Advers. VIII, c. 7. proposita, quam in textu expressimus, quippe quae non minus feliciter ex divulsis et perperam compositis litteris (de quo corruptelae genere v. infra ad Fr. III, 82, 19.) eruta sit, quum sensum praestet integerrimum. Restituti in locum absurdae lectionis vulgatae *orbes axe iuncti* quid significent, per se est planissimum; intelliguntur enim rotae axibus inditae eoque ad decurrendum compositae. — Verba *in modum crici militaris* attulit etiam Servius ad Virg. Aen. IX, 505., quo probaret armorum nomina ab animalibus esse desumpta; v. ad Fr. II, 60. *Ericius* trabs erat transversaria, ex qua undique ferrei aculei prominebant; cf. Lips. Poliorc. V, 4. et intprr. ad Caes. B. C. III, 67. — *Verutum* Nonius l. l. explicat telum breve et angustum.

Fr. 24. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 134. ed. min. III, 59. p. 219, 12. Debr. III, 48.] Serv. ad Virg. Aen. I, 580., sine libri nota. Sed certum est id cum duobus sequentibus intelligendum esse de ingenti tempestate, qua Mithridatis naves cum turribus ceterisque operibus in portu Cyziceno contusae et disiectae interiere; cf. Appian. Mithr. c. 74, extr. *Τῶν δὲ αὐτῶν ἡμερῶν πνεῦμα σφοδρὸν ἐπιγενόμενον περιέκλασε τὰ λοιπὰ τῶν μηχανημάτων τοῦ βασιλέως.* Plutarch in Lucul. c. 10, med. *Θαυμαζόντων δὲ τὴν φωνὴν τῶν Κυζικηνῶν ἅμ' ἡμέρᾳ σάλον εἶχεν ἡ θάλασσα κατιόντος ἀκρίτου πνεύματος, αἵ τε μηχαναὶ τοῦ βασιλέως παρεστῶσαι τοῖς τείχεσι ῥοίζῳ καὶ πατάγῳ πρῶτον ἀπεδήλουν τὸ μέλλον. εἶτα νότος ἐκραγεὶς ἄπιστος τὸ μέγεθος τά τ' ἄλλα συνέτριψε μηχανήματα ὥρας βραχεῖ μορίῳ, καὶ τὸν ξύλινον πύργον ἑκατὸν πηχῶν ὕψος ὄντα διασείσας κατέβαλεν.* *Incertis navibus* Servius l. l. mirifice explicat *tardis*. Sensus potius est: certum rectumque statum non tenentibus, sed modo in hanc, modo in illam partem inclinantibns. cf. Fr. I, 60.

Fr. 25. [Cort. p. 967. Gerl. ed. mai. III, 19. ed. min. III, 63. p. 219, 18. Debr. III, 50. III, 64.] Verba, quae exstant apud Non. IV, 454. p. 406, 10. Merc. et inde a verbo *afflicti* usque ad finem etiam apud Arus. h. v. p. 215. Lind., neutro loco gravibus corruptelis carent, editorum imperitia ex parte auctis, quamquam sententia satis plana est, re ipsa docente agi de strage classiariorum Mithridatis apud Cyzicum. — *Fragmentis* coniectura est Merceri pro *frumentis*, quod codd. praebent, quodque in vulgatis Sall. edd.

26. Quasi par in oppido festinatio et ingens terror erat, ne ex latere nova munimenta madore infirmarentur; nam omnia oppidi stagnabant, redundantibus cloacis advorso aestu maris.

inepte in *ferramentis* mutatum fuit; ictus enim non veniebant ab instrumentis ferreis, sed a disiectis navium partibus mari innatantibus. — Post *navium* in edd. Nonii et Sallusti leguntur verba *aut vulnerati a suis*, quae non solum in codd. desunt, sed etiam sententiam alienam inferunt; nam quae ab auctore narrantur caussae mortis, unice a vi tempestatis et strage navium repetuntur. Quodsi quaeris, unde haec depravatio orta sit, haud dubie originem traxit ex eo, quod, quum in Nonii codd. corrupte legatur *aut afflicti asuis*, primo aliquis *afflicti* interpretatus est *vulnerati*, postea vero, *asuis* Arusiani auctoritate in *alveos* mutato, illa interpretatio vel casu, vel supina editorum negligentia in textu remansit. — *Alveos* Arus. l. l. praestat pro corrupta Nonii lectione *asuis;* rursus autem *vi*, quod apud Arusianum deest, absorptum *m* littera et praecedente et subsequente, integrum exstat apud Nonium. — *Foede* deest apud Arusianum, non tam librarii culpa, quam grammatici, qui postrema non plene attulit. — Pro *mulcato*, quod Non. tenet, apud Arus. in cod. Gud. est *malcato*, in Ambros. *malleato*, unde Maius pessime fecit *malleato*; contusa enim corpora ex consuetudine *mulcata* dicuntur, cf. Muetzell. ad Curt. VII, 42, 17. *Eniluntur in verticem montis — mulcati parte membrorum.* Tacit. Ann. I, 70, 4. *Pernoctavere sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore.* — *Postremo interiere tamen* coniecturae debetur Merceri; in Nonii enim codd. scriptura valde obscurata est, quum alii teneant *postremum interent tamen*, alii *postremum iteres tamen*, alii *postremum iterert* (sine *tamen*), Paris. A. vero prorsus absone *postremo et pluvio tamen*, scilicet a voce *postremo* ex pag. 406, 14. continuo transiliens in pag. 409, 14. His parum auxilii est ex Arusiano, qui tantummodo habet *interibant*, nisi quod intelligitur in corrupta voce latere *interire* verbum. Sed quum *tamen* particulam certam praestet lemma Nonii, de veritate emendationis Mercerianae, quam ipsa sententia commendat plurimum, dubitari non potest. Usum *tamen* particulae, ubi protasis tantummodo sensum, non formam habet enunciationis condicionalis, tetigimus ad Fr. I, 45, 18. v. supra III, 18. — Totum hunc locum, quod Wassius notavit, imitatus est Hegesippus III, 20. *Ceterum natare adorsos convulsa navium frugmenta crebris quatiebant ictibus, lateribusque illisa miseros artus foede mulcabant.*

Fr. 26. [Cort. p. 963. Gerl. ed. mai. III, 6. ed. min. III, 54. p. 218, 25. Debr. III, 51.] Locus exstat apud Non. II, 534. p. 138, 3.

27. *[Virgilius in peste describenda ordinem secutus est, quem et Lucretius tenuit et Sallustius]* primo aerem, iude aquam, post pabula esse corrupta.

Merc., in plerisque codd. ex libro *quarto* laudatus. Quod quamquam confirmari videtur auctoritate Prisciani, qui VI, 9, 46. p. 250. Kr. verba *munimenta madore infirmarentur* pariter ex IV. affert, tamen res ipsa satis claro documento est falsum esse hunc numerum, ac potiorem fidem mereri antiquas Nonii edd., quae III. librum praebent. Eadem enim tempestate, quae Mithridatis naves in portu frangeret machinasque everteret, auctor narrat Cyzicenos quoque valde vexatos et in terrorem coniectos esse. — Pro *quasi* in ed. Cortiana, incertum typothetae errore an e coniectura, legitur *quali*, quod valde absonum est; *quasi* enim valet *fere*, uti monuimus ad Fr. I, 73. Sensus igitur est: non minor fere, *quam in portu et castris nauticis Mithridatis*, festinatio et ingens terror erat in oppido. — *Festinatio* hic trepida est concursatio; cf. Catil. c. XXXI, 1. et v. ad Iug. c. LXVI, 1. — De constructione verborum *ex latere munimenta*, quibus significantur *munimenta opere latericio facta*, cf. ad Fr. III, 57. *Nova* autem dicuntur munimenta, quia Cyziceni eam muri partem, quae incendio corruerat, celeriter refecerant; cf. Appian. Mithr. c. 74, extr. *Καὶ τάδε αὐτοῖς φερεπονώτατα δὴ κακοπαθοῦσιν, ὅμως γε τοῦ τείχους ἐκαύθη τι καὶ συνέπεσεν ἐς ἑσπέραν. οὐ μὴν ἔφθασέ τις ἐξαλάμενος ἔτι θερμόν· ἀλλ' αὐτὸ νυκτὸς αὐτίκα περιῳκοδόμησαν οἱ Κυζικηνοί.* — Pro *omnia oppidi*, quod in omnibus codd. exstat, ex Nonii ed. Ald. in Sallustii edd. invasit *moenia oppidi*, quod non modo non necessarium, sed prorsus absonum. Nam quum aestus maris per *cloacas* in oppidum intraret, per se patet *omnes oppidi partes* fuisse inundatas, neque eam inundationem ad moenia sola pertinuisse, quae alioquin, etiam sine illa caussa, ne recte quidem dici possunt *stagnare*.

Fr. 27. [Deest ap. Cort. et Debr. — Gerl. ed. mai. Inc. 191. ed. min. Inc. 64. p. 239, 9.] Locus, qui exstat apud Serv. ad Virg. Georg. III, 481., sine libri nota, quamquam ipsa Sallustii verba non habet, tamen Fragmentis inserendus fuit, quia planissime ex eo intelligitur Sallustium in Historiis alicubi de peste dixisse. Eam Gerlachius Vol. III. p. 15. et 144. tam nugatorie, quam fidenter, ut solet, *Romae* inde ab anno 76. a. Chr. n. per complures deinceps annos saeviisse affirmat, provocans tum ad Pompeii Epistolam (Fr. III, 1.), qua ille exercitum suum in Hispania *fame* vexari queritur, tum ad Fr. III, 90., quo in *provincia* (quae haud dubie Hispania intelligenda est) per biennium grave pretium fructibus fuisse narra-

28. Morbi graves ob inediam insolita vescentibus.
29. Ne simplici quidem morte moriebantur.

tur. Nobis istis ineptiis, quibus alia omnia potius, quam pestilentiam Romae fuisse probatur, frui non libet, omninoque falsam censemus opinionem de peste per illos annos in urbe grassante, hoc imprimis argumento nisi, quod neque apud alios scriptores, neque in Epitome Livii, qui id narrare non fuisset omissurus, ulla eius rei memoria exstat. Quodsi Sallustius de peste tradere non potuit, ubi nulla esset, consentaneum est descripsisse eam, quae re vera fuit. Saeviit autem quam vehementissime in exercitu Mithridatis ante Cyzicum, eaque maxime effectum est, ut ille ingenti numero militum amisso re infecta abire cogeretur; cf. Appian. Mithr. c. 76, in. *Μιθριδάτου δὲ χειμὼν ἐπιγενόμενος ἀφῄρητο καὶ τὴν ἐκ τῆς θαλάττης ἀγορὰν, εἴ τις ἦν, ὥστε πάμπαν ὁ στρατὸς ἐλίμωττε· καὶ πολλοὶ μὲν ἀπέθνησκον· εἰσὶ δ' οἳ καὶ σπλάγχνων ἐγένοντο βαρβαρικῶς· οἱ δ' ἄλλοι ποηφαγοῦντες ἐνόσουν. καὶ τὰ νεκρὰ σφῶν ἀγχοῦ ἄταφα ῥιπτούμενα λοιμὸν ἐπῆγεν ἐπὶ τῷ λιμῷ.* Flor. III, 5, 17. *Mox clade conversa quum ex mora obsidentem regem fames, ex fame pestilentia urgeret, recedentem Lucullus assequitur.* Oros. VI, 2, extr. *Interea Mithridates apud Cyzicum eadem mora, qua obsidebat, obsessus, in magnam penuriam pestilentiamque exercitum suum coartavit. Nam plus quam trecenta millia hominum fame et morbo in eadem obsidione amisisse fertur.* cf. Strabo XII. p. 862. C. Almel. His testimoniis quum pateat alio loco Sallustium de peste dicere non potuisse, dubitari nequit, quin duo sequentia Fragm. rectissime huc traxerimus.

Fr. 28. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 109. ed. min. IV, 40. p. 228, 14. Debr. II, 73. III, 55.] Donat. ad Ter. Hecyr. III, 2, 2. sine libri nota. *Inediam* Mithridaticorum insolita vescentium tetigit Appian. l. l. Adde Plutarch. in Lucul. c. 11, in. *Μιθριδάτην δὲ, ἄχρι μὲν ὑπὸ τῶν ἑαυτοῦ στρατηγῶν φενακιζόμενος ἠγνόει τὸν ἐν τῷ στρατοπέδῳ λιμὸν, ἡνίκα Κυζικηνοὶ διαφεύγοντες τὴν πολιορκίαν. Ταχὺ δ' ἐξερρύη τὸ φιλότιμον αὐτοῦ καὶ φιλόνεικον ἐν αἰσθήσει γενομένου τῶν ἀπορίων, αἷς οἱ στρατιῶται συνείχοντο, καὶ τῶν ἀνθρωποφαγιῶν, ἅτε δὴ μὴ θεατρικῶς μηδ' ἐπιδεικτικῶς Λουκούλλου πολεμοῦντος, ἀλλὰ, τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον, εἰς τὴν γαστέρα ἐναλλομένου, καὶ ὅπως ὑφαιρήσει τὴν τροφὴν ἅπαντα πραγματευομένου.* Schol. Gronov. ad. Cic. p. l. Man. c. 8, 20. *Milites Mithridatis ex fame paullatim morte consumebantur. Ergo mortuorum corpora milites comedebant, deinde confecti versi sunt ad fugam.*

Fr. 29. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 40. ed. min. III, 62. p. 219, 17. Debr. II, 72. III, 50. III, 149. IV, 53. a.] Verba, quae

30. [*Σαλουστίου δὲ θαυμάζω*] *τότε πρῶτον ωφθαι Ῥωμαίοις καμήλους* [*λέγοντος*].

31. Inter recens domitos Isauros Pisidasque.

32. Primum Graecorum Achillem.

laudavit Serv. ad Virg. Georg. III, 482. libro non indicato, in pestilentiae descriptione fuisse ex eo patet, quod scholiasta ad Virgilii versum *Nec via mortis erat simplex* — haec annotat: „est autem Sallustii, qui ait *ne simplici quidem morte moriebantur*:“ quibus nihil aliud significatur, quam Virgilium illam dictionem ex Sallustio de eadem re agente sumpsisse. Quod ad ipsum verborum sensum attinet, variae foedae et horrendae species mortis declarantur, quibus homines famis simul ac pestilentiae malo correpti, et non magis ipsa morbi vi quam nefandis sceleribus, desperatione solutoque ordine ortis, conflictantes, absumuntur. cf. Liv. XXV, 26, 8—15.

Fr. 30. [Cort. p. 1012. Deest ap. Gerl. ed. mai. — ed. min. Inc. 94. p. 240, 15. Debr. III, 54.] Plutarchi locus in Lucul. c. 11, med. ostendit Sallustium quoque de expeditione Mithridatis inter obsidionem Cyzici contra Bithynos suscepta egisse, de qua haec leguntur apud Plut. l. l. *Φρούριόν τι πολιορκοῦντος Λουκούλλου τῷ καιρῷ χρήσασθαι σπεύδων ὁ Μιθριδάτης ἐξέπεμψεν εἰς Βιθυνίαν τοὺς μὲν ἱππεῖς σχεδὸν ἅπαντας μετὰ τῶν ὑποζυγίων, τῶν δὲ πεζῶν τοὺς ἀχρήστους. Πυθόμενος δ' ὁ Λούκουλλος — περὶ τὸν Ῥυνδακὸν ποταμὸν καταλαβὼν τοὺς πολεμίους τοσαύτην τρόπην ἐποίησεν, ὥστε τὰς γυναῖκας ἐκ τῆς Ἀπολλωνίας προερχομένας ἁρπάζειν τὰ φορτία καὶ σκυλεύειν τοὺς φονευομένους. Πολλῶν δ', ὡς εἰκὸς, ἀποθανόντων, ἐάλωσαν ἵπποι μὲν ἑξακισχίλιοι καὶ πλῆθος ἀναρίθμητον ὑποζυγίων, ἄνδρες δὲ μύριοι πεντακισχίλιοι· καὶ τούτους ἄγων πάντας παρεξήει παρὰ τὸ στρατόπεδον τῶν πολεμίων. Σαλουστίου δὲ κ. τ. λ.* cf. Appian. Mithr. c. 75, med.

Fr. 31. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. III, 95. p. 224, 10.] Fragmentum, quod recens accedit ex cod. Gud. Arus. v. *inter*, p. 237 sq. ed. Lindem., arcte cohaeret cum praecedente, ut patet ex Appiano Mithr. c. 75, extr. *Τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ Φρυγίαν Εὔμαχος Μιθριδάτου στρατηγὸς ἐπιτρέχων ἔκτεινε Ῥωμαίων πολλοὺς μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν. Πισίδας τε καὶ Ἰσαύρους ὑπήγετο, καὶ Κιλικίαν, μέχρι τῶν τις Γαλατικῶν τετραρχῶν Δηϊόταρος ἐπιπολάζοντα αὐτον συνεδίωξε καὶ πολλοὺς διέφθειρε.*

Fr. 32. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 63. ed. min. III, 37. p. 217, 22. Debr. III, 18. III, 153.] Serv. ad Virg. Aen. I, 96. Qui quum doceat, *primum* hic non de tempore aut numero, sed de di-

33. Dardania *[secundum Sallustium]* a rege Dardanorum Mida, qui Phrygiam tenuit.

34. Tota autem insula modica et cultoribus inanis est.

gnitate atque gradu esse dictum, inde consequitur honorificam Achillis mentionem vix alio loco fieri potuisse, quam quo Sallustius de Luculli itinere post liberatam Cyzicum in Troadem facto narravit, qua occasione consentaneum est Achillis memoriam sive a Lucullo ipso recultam fuisse, sive ab auctore repetitam; cf. Plutarch. in Lucul. c. 12. in. *Λούκουλλος δὲ εἰς Τρωάδα καταχθεὶς ἐσκήνωσε ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀφροδίτης.*

Fr. 33. [Cort. p. 1010. Gerl. ed. mai. Inc. 172. et 201. ed. min. III, 28. p. 217, 6. Debr. II, 152. III, 130.] Serv. ad Virg. Aen. II, 325. haec sine libri nota ita laudat, ut de integra forma ac sententia verborum Sallustianorum non plane constet. Virgilii enim versum *Venit summa dies et ineluctabile tempus Dardaniae* ita ille commentatur: „*Dardaniae*) Troiae; aut a Dardano, Iovis et Electrae filio, aut certe secundum Sallustium *a rege* etc.“ Quae verba, si quid video, hunc sensum habent: Sallustio auctore Dardaniae sive terrae sive urbis nomen, quod poëta pro ipsa Troia usurpavit, non ab aliquo aliquo *rege* Dardano esse profectum, sed Midam, qui *Dardanis* in Phrygia imperitaret, Dardaniam condidisse, nomenque ei a *gente Dardanorum* indidisse. Utcunque est, Sallustius hanc de Dardaniae origine sententiam nonnisi ibi potuit proferre, ubi Lucullum in Troade versatum esse tradidit. Quare locum huic Fragmento assignatum satis certum putamus.

Fr. 34. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 29. ed. min. III, 38. p. 217, 22. Debr. III, 154. IV, 30.] Verba servavit Mart. Capella V. p. 111. Intelligenda est autem *Neae* insula prope Lemnum, ubi post Mithridatis fugam a Cyzico classis regia a Lucullo ex Troade adveniente victa est, unde intelligitur, cur hoc Fragm. duobus superioribus subiiciendum fuerit. cf. Appian. Mithr. c. 77. *Λούκουλλος δὲ περὶ τὸν Ἀχαιῶν λιμένα τριςκαίδεκα ναῦς εἶλε τῶν πολεμίων. Οὐάριον* (corr. *Μάριον*) *δὲ καὶ Ἀλέξανδρον καὶ Διονύσιον περὶ Λῆμνον ἐν ἐρήμῃ νήσῳ καταλαβὼν — ἐπέπλει μὲν αὐτοῖς ῥοθίῳ τε πολλῷ καὶ μετὰ καταφρονήσεως. — Καὶ φόνος πολὺς ἦν αὐτῶν καὶ φυγή· κ. τ. λ.* Eandem rem tradit Plutarch. in Lucul. c. 12., ubi v. Sintenis. Vol. II, p. 452. Gerlachius Vol. III, p. 125. Fragmentum recte intellexit; sed quod addit „ex Appiani l. l. manifestum (?) fit, Sallustium (?) de huius insulae antiquitatibus (?) accuratius (?) exposuisse“, id haud uno nomine incertum est, et fidem haud vulgarem postulat.

35. Neque iam sustineri poterat immensum aucto mari et vento gliscente.

36. Postquam egressus angustias.

Fr. 35. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. III, 14. ed. min. III, 102. p. 224, 18. Debr. II, 9.] Locus, qui est apud Non. I, 83. p. 22, 18. Merc., dubitari nequit, quin pertinuerit ad narrationem de ingenti tempestate, qua Mithridatis classis a Cyzico regressa et Pontum petens in ipsa adhuc Propontide apud *Parium* (v. Fr. IV, 19, 14. Appian. B. Mithr. c. 76.) gravissimum naufragium fecit; cf. Plutarch. in Lucul. c. 13. *Μιθριδάτην δὲ ἀναχθέντα μετὰ τοῦ στόλου σπεύδοντα πρὶν ἐπιστρέφειν Λούκουλλον εἰς τὸν Πόντον εἰσπλεῦσαι καταλαμβάνει χειμὼν πολὺς, ὑφ' οὗ τὰ μὲν ἀφηρπάγη, τὰ δ' ἐβυθίσθη τῶν σκαφῶν, πᾶσα δ' ἡ παραλία τῶν ναναγίων ἐκφερομένων ὑπὸ κλύδωνος ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἦν περίπλεως.* Oros. VI, 2, extr. *Mithridates adversus Byzantium instructa classe navigans tempestate correptus octoginta rostratas naves perdidit. Ipse, quum quassata iam navi mergeretur, in myoparonem Seleuci piratae, ipso pirata iuvante, transsilivit. Inde Sinopen, ac post Amisum cum magna difficultate pervenit.* — *Sustineri* absolute positum, ut saepissime; isto sensu enim *sustinere* pariter ac *sustentare* cum negatione iunctum significat *resistere ac vim aliquam ingruentem sive impetus sive tempestatis perferre non posse:* cf. Cic. Epp. ad Famm. XII, 6, 4. *Brutus Mutinae vix iam sustinebat.* Caes. B. G. II, 6, 1. *Aegere eo die sustentatum est.* ibid. §. 4. *Nisi subsidium sibi submittatur, sese diutius sustinere non posse.* Liv. XXIX, 6, 17. *Ipse postremo veniebat Hannibal; nec sustinuissent Romani, nisi Locrensium multitudo — ad Romanos inclinasset.* — *Immensum* qua ratione vim adverbii habeat dictum est ad Iug. c. V, 4. p. 34. cf. Kruegeri Gramm. lat. §. 323. not. 2. p. 428. Tacit. Ann. IV, 27, 3. *Multitudo familiarum gliscebat immensum.* Plura exempla dabit Boetticherus in Lex. Tacit. p. 37. Eundem v. ibid. p. 222. de *gliscere* verbo apud Tacitum frequentissimo. — Pro *gliscente*, quod omnes Nonii codd. tenent, Carrio imperite scripsit *gliscenti* (v. Kruegeri Gramm. lat. §. 195. p. 202.), quod Gerl. demum Vol. III. p. 90. ex edd. Sallustii expellendum vidit; imperitius idem hoc participium ad *mari* pertinere putat.

Fr. 36. [Cort. p. 978. Gerl. ed. mai. III, 23. ed. min. III, 24. p. 217, 2. Debr. III, 65.] Breve Fragm., quod exstat apud Arus. v. *egredior*, p. 227. Lindem., non sine quadam verisimilitudinis specie intelligi potest de Mithridate, post ingens in Propontide naufragium, de quo Fr. antecedente dictum, in Pontum navicula refugiente, quam explicationem suadet *angustiarum* vox, de Bosporo

37. Non tu scis: si quas aedis ignis cepit acriter, haud facile sunt defensu, quin et comburantur, proxumae.

38. At Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat.

usurpata; cf. infra Fr. III, 50. De hac Mithridatis fuga v. Plutarch. in Lucul. c. 13, med. *Αὐτὸς δὲ (Μιθριδάτης), τῆς ὁλκάδος, ἐφ' ἧς ἔπλει, μήτε πρὸς τὴν γῆν εὐπαρακομίστου διὰ μέγεθος ἐν σάλῳ μεγάλῳ καὶ κύματι τυφλῷ παρισταμένης τοῖς κυβερνήταις πρός τε τὴν θάλασσαν ἤδη βαρείας καὶ ὑπεράντλου γενομένης, μετεμβὰς εἰς ληστρικὸν μυοπάρωνα καὶ τὸ σῶμα πειραταῖς ἐγχειρίσας ἀνελπίστως καὶ παραβόλως εἰς τὴν Ποντικὴν Ἡράκλειαν ἐξεσώθη.* cf. Appian. Mithrid. c. 78, in.

Fr. 37. [Deest apud Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 224. ed. min. IV, 50. p. 228, 25. Debr. IV, 1.] Charis. II, 14, 32. p. 115. Lindem. (p. 176. Putsch.). *Acriter*, quod casu in Putschii ed. excidit, Gerlachius male ante *cepit* transposuit, non assecutus vim sententiae adverbio contineri. Peius idem contra apertum Charisii testimonium Fragmentum in *quartum* librum transtulit. Verba enim haud dubie sunt vel legati vel epistolae Mithridatis, quibus statim post gravissimas clades primo ad Cyzicum deinde mari acceptas Tigranem ad auxilium sibi ferendum commovere studuit, qui quidem conatus tum frustra fuit. cf. Appian. Mithridat. c. 78. p. 757. ed. Schweigh. *Ὅθεν (Μιθριδάτης) ἐς Ἀμισὸν ἀπὸ κάλω διαπλέων πρός τε τὸν κηδεστὴν Τιγράνην τὸν Ἀρμένιον, καὶ ἐς Μαχάρην τὸν υἱὸν — περιέπεμπεν, ἐπικουρεῖν ἐπείγων ἑκάτερον. εἴς τε Σκύθας τοὺς ὁμόρους χρυσὸν καὶ δῶρα πολλὰ Διοκλέα φέρειν ἐκέλευεν.* Memnon. apud Phot. c. 224. p. 234, b. ed. Bekk. *Μιθριδάτης δὲ ταῦτα ἀκούων* (sc. Luculli consilia novum impetum parantis) *παρεσκευάζετο, καὶ διεπρεσβεύετο πρός τε τοὺς Σκυθῶν βασιλεῖς, καὶ πρὸς τὸν Πάρθον, καὶ πρὸς τὸν γαμβρὸν αὐτοῦ Τιγράνην τὸν Ἀρμένιον. ἀλλ' οἱ μὲν ἀπεῖπον, Τιγράνης δὲ ὑπὸ τῆς Μιθριδάτου θυγατρὸς πολλάκις ἐνοχληθεὶς καὶ ἀναβαλλόμενος ὅμως ὑπέστη τὴν συμμαχίαν.* Quodsi verum Fragmenti nexum assecuti sumus, ipsa sententia haud difficilem habet explicationem. Mithridates enim sive eius legatus quum id agat, ut Tigrani persuadeat, nisi mature Romanis summa vi occurrat, fore, ut bellum, quo Ponticus rex nunc solus premitur, in Armeniam quoque transeat, ad periculi imminentis magnitudinem demonstrandam exemplo utitur incendii acris, quod in primis aedibus non statim repressum in proximam quoque domum se effundat eamque absumat. — Orationis forma insolentius ita comparata est, ut, quae verba ex praegresso *scis* suspensa esse debe-

39. At Oppius postquam orans nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus a Cotta Vulcioque impeditur.

bant, nullo respectu regentis vocabuli habito directo modo enuncientur, quod eo factum, quia sententia sic tanquam generalis quaedam regula proposita aliquanto maiorem vim habet. Haud dissimilis huius structurae est illud interrogationum genus, quae, quum suspensae esse debeant, nihilominus directam formam habent, de quibus v. Gramm. lat. nostr. §. 134, 2. not. c. p. 444. Interrogandi signum, quod vulgo vitiose extremo vocabulo additur, sustulimus, quia verba interrogationis naturam exuerunt; quod quo clarius pateat, post *scis* colo distinximus, ubi vulgo comma habetur. — *Proxumae*, pro quo Gerlachius supina negligentia scripsit *proxuma*, subiectum est verborum *haud facile sunt defensu*, quae Gerlachius perverse retulit ad superiora.

Fr. 38. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. II, 28. ed. min. III, 81. p. 223, 20. Debr. III, 114.] Haec verba, a Prisciano VIII, 4, 17. p. 369. Kr. falso ex *secundo* libro laudata, inde a Carrione cum Fr. II, 48. in unum conflata in lib. II. exhibentur, quod cur fieri nequeat, ibi a nobis demonstratum est. Fragmentum huc collocandum duximus, quia res pertinet ad illud tempus, quo Lucullus, Mithridate a Cyzico repulso ducibusque eius terra marique in Mysia ac Bythinia fusis, iter in Pontum direxit, adversarium in ipso regno paterno aggressurus; cf. Plutarch. in Lucul. c. 14, in. *Λούκουλλος ἐνέβαλε διὰ Βιθυνίας καὶ Γαλατίας εἰς τὴν βασιλικὴν, ἐν ἀρχῇ μὲν ἐνδεὴς τῶν ἀναγκαίων — προϊὼν δὲ καὶ κρατῶν ἁπάντων εἰς τοσαύτην ἦλθεν εὐπορίαν, ὥστε κ. τ. λ.* — *Brevi*, quod hic respondet graeco *ἐν ἀρχῇ*, non est *post breve tempus*, quae vulgaris est vocabuli vis, sed rariore usu significat *per breve tempus*, quae ablativi potestas qualis sit, bene explicavit Krügerus in Gramm. lat. §. 374, b. p. 497. — De passiva vi *machinatus* participii v. ad Catil. c. XLVIII, 7. p. 225.

Fr. 39. [Cort. p. 978. Gerl. ed. mai. III, 30. ed. min. III, 49. p. 218, 17. Debr. III, 70.] Non. XVIII, 9. p. 553, 32. Merc. Res narrata ubi et quando acciderit, non accurate definiri potest; non improbabilis tamen Drumanni est sententia, qui Hist. Rom. V. p. 343. in Heracleae obsidione factam esse coniicit, quam urbem M. Cotta proconsul per duos annos (72. et 71. a. Chr. n.) oppugnavit; cf. Memnon. ap. Phot. c. 43. (cod. 224. p. 236 sqq. Bekker.) Ei magnam cum quaestore suo P. Oppio intercessisse simultatem ex eo constat, quod postea absens eum per litteras Romae accusavit (v. Quintil. V. 13, 20.), Cicerone reum defendente. Caussa vero,

40. Se eius opera non usurum, eumque ab armis dimittit.

41. Quarum unam epistulam forte cum servo nancti praedatores Valeriani scorpione in castra misere.

cur Cotta ei irasceretur, haec fuit, quod teste Quintiliano V, 13, 17. de militum cibariis detraxerat et exercitum largiendo corrumpere studuerat. Ob haec delicta haud dubie graviter a Cotta increpatus castigatusque telo eum appetiit, aut certe appetiisse arguebatur; nam rem incertam fuisse non solum ex Sallustii verbis colligitur, sed etiam ex Ciceronis defensione patet, de qua Quintil. V, 10, 69. haec habet: „Facit hoc Cicero pro Oppio: *Utrum, quum Cottam appetisset, an quum ipse se conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum est?*“ Ad eandem rei ambiguitatem spectat etiam alter Ciceronis locus a Quintiliano allatus, V, 13, 30. *At enim non verisimile est tantum scelus M. Cottam esse commentum! Quid? hoc verisimile est, tantum scelus Oppium esse conatum?* Sed licet Cicero clientis sui crimen quovis modo extenuare studuerit, Cotta certe rem adeo aegre tulit, ut Oppium ab exercitu removeret; cf. Fragm. sequens, et Dion. Cass. XXXVI, 23. *Τοῦ γ' οὖν Κόττου τοῦ Μάρκου τὸν μὲν ταμίαν Πούπλιον Ὄππιον ἐπί τε δώροις καὶ ἐπὶ ὑποψίᾳ ἐπιβουλῆς ἀποπέμψαντος, κ. τ. λ.*

Fr. 40. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 83. ed. min. III, 50. p. 218, 20. Debr. V, 69.] Fragm. hoc quum a Servio ad Virg. Aen. XII, 844. ita afferatur: „Sallustius de Appio, ubi eum Cotta in contentione ab exercitu cogit abscedere, dicit *se eius opera* etc.“, in omnibus Sallustii edd., excepta Gerlachiana minore, etiam verba *Ubi eum Cotta — dicit* simul cum reliquis pro Sallustianis exhibentur. Sed Servii ea esse tum ipsa orationis forma, tum sententiae ratio ostendit. Nam quum Virgilius usus esset verbis *dimittere ab armis*, Servius, ut probaret proprie ita scriptores in re militari loqui, Sallustii exemplum affert, ante breviter explicans qua occasione auctor istam dictionem adhibuerit, ac sensum formulae *ab armis dimittere* verbis *ab exercitu cogit abscedere* illustrans. Quare *dicit* quoque, a Gerlachio servatum, abiiciendum est, quippe quod vel maxime ad Servii verba pertineat. Ceterum Sallustianis falso assuta particula inde a Carrione foedissime eo deformata est, quod pro *Cotta in contentione*, quae verba universo loco lucem affundunt, inepte scribitur *tota contione*, quod refutare non opus est. Pro *Appio* autem apud Servium scribendum esse *Oppio* clarissime patet ex iis, quae ad Fr. 39. disputavimus. Nihilominus Debrossio ita ineptire placuit, ut, quamvis Servio inspecto, non solum vulgatam textus depravationem sequatur, sed etiam pro Cotta substituat Lu-

42. Castella, custodias thesaurorum, in deditionem acciperent.

cullum, Appium vero capiat de Clodio, quasi is, quem Plutarchus sane Graecorum more ita nominat, apud Romanos quoque solo *praenomine* designari solitus sit. *Eius opera* de quaestoris officiis intelligendum.

Fr. 41. [Cort. p. 980. Gerl. ed. mai. III, 44. ed. min. III, 61. p. 219, 15. Debr. III, 35.] Apud Non. XVIII, 7. p. 553, 22. Merc. pro *unam epistulam* in codd. vitiose est *una epistula*, quod Iunius correxit; inverso modo in plerisque codd., sed non in Paris. A. *a. δ.*, pro *scorpione* est *scorpionem*, quod pariter a Iunio correctum. — *Nancti*, quod codd. praebent, immerito editores mutarunt in vulgarem formam *nacti*: cf. Kreyssig. ad Sall. Fragmm. Vaticc. p. 94. (Fr. III, 77, 14.) Drakenborch. ad Liv. XXIV, 31, 14. Conr. Leop. Schneideri Gramm. lat. I, 2. p. 463. — Fragmenti sensus, licet singula verba sint expeditissima, valde est obscurus. Ex *Valerianorum* commemoratione, qui iidem sunt atque Fimbriani, quos Lucullus in exercitu ductabat (v. supra Fr. II, 58. Plutarch. in Lucul. c. 7. Tzschuck. ad Eutrop. VI, 9. p. 334. Drumann. Hist. Rom. Vol. IV, p. 127.), id solum cognoscitur ad bellum Mithridaticum haec pertinere; sed cuius intercepta epistola fuerit, et ad quem data, tum in quae castra et quo consilio a Valerianis missa, nemo dixerit. Debrossius quidem omnia scit, quippe qui nihil cunctatus Fragmentum sic explicet: „Magii epistolam ad Lucullum Valeriani milites in castra Romanorum sagitta mittunt. Magius enim regem prodens Lucullo favet.“ Quam tantam sapientiam amplexus Gerlachius Vol. III. p. 103. et doctrinae suae copiis confirmaturus lectores remittit ad Appian. Mithr. c. 72., ubi *οὐδὲ γρῦ* legitur, quod ad rem pertineat. Nimirum talia non magis curat par nobile acutissimorum hominum, quam prorsus ridiculum et ineptissimum commentum de Valerianis, qui ex illorum sententia captum cum epistola servum non ad Lucullum adducerent, id quod sana ratio iubebat, sed epistolam scorpione in eius castra ipsis patentia mitterent, quod merae insaniae est.

Fr. 42. [Cort. p. 981. Gerl. ed. mai. IV, 10. ed. min. IV, 45. p. 228, 19. Debr. IV, 51.] Haec verba, quae vulgo in *quarto* libro exhibentur, auctoritate Charisii I, p. 60. ed. Lind. in *tertium* retraximus. Neque obscurum est de Lucullo ea accipienda esse, Pontici regis thesauris potiente; quod quum haud dubie saepius factum sit, non opus est Plutarchi in Lucul. c. 18. auctoritate Fragmentum ad Luculli res post pugnam apud Cabira gestas referre, quae sane IV. demum libro narrantur. At grammatica verborum ratio longe est impeditissima. Charisius enim l. l. dicit *custodias* genitivum esse, a Sallustio ad

43. Igitur introrsus prima Asiae Bithynia est, mul-

analogiam vocum *paterfamilias*, *materfamilias* usurpatum, idemque tradit Servius ad Virg. Aen. XI, 801., qui, verbis *castella custodias thesaurorum* allatis, Asperum eius explicationis refert auctorem. Quae si vera esset, Sallustius admodum dure et insolenter artissime coniunxisset *castella custodias*, quasi vernacula dicas *Bewachungscastelle*, *Schutzcastelle*, quibus verbis nihil sane obstat, quominus alter genitivus obiecti addatur. Sed ne sic quidem omnia plana sunt. Nam quum Servius l. l. addat, non omnes Asperi sententiam probare, sed esse, qui *custodias* pro accusativo habeant, in promptu est istud fieri non potuisse, nisi liquidum ac prorsus certum fuisset, *castella* quoque accusativum esse. Sed si *castella* et *custodias* accusativi sunt, *acciperentur*, quod Charisii codd. omnesque Sall. edd. tenent, necessario falsum est, scribendumque *acciperent*, in quod etiam Gerlachius Vol. III. p. 104. incidit, quamquam ratio eius (si ea modo ratio est, quippe non ex hoc ipso loco ducta, sed ex prorsus alieno (Fr. IV, 5.) repetita) a nostra toto coelo discrepat. Ne multa, vana est grammaticorum de genitivo *custodias* sententia, neque id fugit circumspectum iudicium Conr. Leop. Schneideri in Gramm. lat. II, 1. p. 21. Charisius enim pariter atque Servius Asperum temere secuti sunt; Asper autem, ut Sallustium prisce loquentem faceret, ingenio abusus est, non veritus ineptias, si modo doctus videretur. Perversa igitur verborum explicatione et scriptura omissa, Fragmenti ratio haec est, ut *custodias thesaurorum* appositio sit ad *castella* vocem; haud infrequenti enim metonymia *custodia* dicitur de loco, ubi aliquid custoditur, vel asservatur.

Fr. 43. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 100. ed. min. III, 43. p. 218, 1. Debr. III, 129.] Locus exstat apud Serv. ad Virg. Aen. V, 373., qui verba *igitur — Bithynia est* etiam ad V, 203. affert. Praeterea totum hunc Sallustii locum liberius ac nonnullis mutatis additisque expressit Isidor. XIV, 3, 39. p. 439. Lindem. —

Fragmentum hoc cum novem sequentibus pertinent ad descriptionem Ponti, i. e. maris Pontici et circumiacentium terrarum populorumque, quam auctor operi suo inseruit. Eam digressionem satis claram fuisse apud antiquos testatur Fest. Avienus Ora marit. v. 32 sqq. „Interrogasti, si tenes, Maeotici Sinus quis esset aequoris. Sallustium Noram id dedisse, dicta et eius omnibus Praeiudicatae auctoritatis ducier Non abnuebam. Ad eius igitur inclitam Descriptionem, qua locorum formulam Imaginemque expressor efficax stili Et veritatis paene in obtutus dedit Lepore linguae, multa rerum iunximus Ex plurimorum sumpta commentariis.“ Hinc etiam factum est, ut grammatici interdum, ubi locos ex hac operis Sal-

tis antea nominibus appellata. Ipsa enim est et maior Phrygia.

lustiani parte afferunt, non Historias nominent, sed verborum auctorem Sallustium *de situ Pontico* (Porphyr. ad Hor. Od. I, 17, 18.), vel *in situ Ponti* (Non. XII, 18. p. 524, 10.) laudent, qua re Wernsdorfius ad Poët. Lat. min. Vol. V, 2. p. 661. non debebat in eam opinionem induci, ut peculiari Sallustium libro de situ Ponti egisse suspicaretur. Quem autem locum haec de Ponto disputatio in Historiis obtinuerit, quum de nullius Fragmenti libro constet, notatione eius rei a grammaticis neglecta, coniectura tantum definiri potest. Ac Gerlachius quidem Vol. III. p. 129. et 155. Ponti descriptionem totius belli narrationi censet praemissam fuisse, ita ut, quum auctor de Mithridatis origine, ac deinceps de eius copiis et apparatu bellico dixisset, priusquam ad res ipsas belli accederet, regionum Ponti situm atque ipsius maris Pontici naturam explicaret. Quod quamquam tale est, ut potuisse fieri concedendum sit, recte tamen factum esse concedi nequit, quum ea ratio neque cum consuetudine Sallustii, neque cum historica eius arte conciliari possit. Nimirum ille non secundum ieiuna ludimagistrorum praecepta opus suum composuit, sed argumentum ita tractavit, ut in eo ordinando naturalem rerum ordinem sequeretur, eumque digressionibus, quibus libenter et perquam perite utitur, non interrumperet, nisi ubi res ipsa id vel flagitaret vel commendaret. Quod si tenueris, profecto senties neque incunte bello Mithridatico, neque primis eius annis, quibus circa Propontidem tantum et in Aegaeo mari pugnatum est, iustam caussam fuisse, cur Sallustius rerum ordine relicto ad Ponti descriptionem animum appelleret. Sed ut prius id facere non satis commode potuit, ita opportunissimam de Ponto explicandi occasionem habuit tum, quum Lucullus, Mithridate ex Asia pulso, bellum in ipsum Ponticum regnum transferret, regemque inde in interiora ac remotiora loca refugientem summa vi persequeretur. Quare satis probabilem locum Fragmentis huc spectantibus assignasse putamus. Si qui vero sint, qui Gerlachii sententiam praeferant, ii reputent, si verae essent eius rationes, Sallustium certe non tertio, sed iam *secundo* libro de Ponto agere debuisse, quippe quo initia belli Mithridatici contineantur; v. annot. ad Fr. II, 53.

Sallustium huius Fragmenti verbis ipsam Ponti descriptionem exorsum esse quum perpicitur ex his, *prima Asiae Bithynia est*, tum maxime planum fit ex particula *igitur*, cuius ea vis est, ut, quum auctor in antecedentibus significasset, omissa parumper rerum gestarum narratione de Ponto se esse dicturum, oratio ad ipsum propositum dirigatur; cf. ad Iug. c. XIX, 7. p. 124. Hand. de Partic.

44. *[Anacreon, lyricus poeta, Teius fuit, i. e.]* ab urbe Teio, quam in Paphlagonia esse *[Sallustius indicat, quum de situ Ponticо loquitur.]*

45. Proxumum *[Sallustius in situ Ponti]* de pro-

Latt. Vol. III. p. 195. §. 27. Pessime igitur haec particula, quam Gerl. solus habet, inde a Carrione omissa est. Simul ex hoc loco cognoscitur, eam auctorem instituti sui iniisse viam, ut a Bithynia incipiens per relicuas deinceps terras ac gentes pergeret, et sic circuitu Ponti facto in ea Thraciae parte, ubi Byzantium est, desineret. Hanc rationem imitatus est Amm. Marcell. XXII, 8., Sallustium quum in universa digressione de Ponto, tum in disserendi ordine aperte secutus. — Quae Fragmentum claudunt verba *ipsa enim est et maior Phrygia* vix possunt explicari, enunciatione non amplius integra; quare nolumus tentare, quae rectius plane non attinguntur. Gerlachius in utraque ed. *et* delevit, quo verba ipsa quidem sensum quodammodo accipiunt, ceterum nexui sententiarum minime consulitur. Apud Isidorum Orig. XIV, 3, 39. locus sic exstat: „*Prima Asiae* minoris *Bithynia* in Ponti exordio ad partem solis orientis adversa Thraciae iacet, *multis antea nominibus appellata*. Nam prius Bebrycia dicta, deinde Mygdonia, mox a Bithyno rege Bithynia nuncupata. *Ipsa est et maior Phrygia.*“

Fr. 44. [Cort. p. 1012. Gerl. ed. mai. Inc. 217. ed. min, III, 48. p. 218, 15. Debr. III, 135.] Locus, a Porphyr. ad Hor. Od. I, 17, 18. allatus, non ipsa Sallustii verba praebet, sed tantummodo documento est auctorem in Ponti descriptione de Paphlagonia eiusque regionis urbibus dixisse. Apud Porphyr. vitiose est *ab urbe Teia*, quod correximus; nam antiquum urbis nomen fuit *Τήϊον* teste Strabone XII. p. 818. C. p. 820. B. et p. 848. C. Almel., pro quo postea *Tium* vel *Tius* obtinuit; v. Forbiger. Geogr. antiq. Vol. II. p. 392. Ex iisdem ll. ll. intelligitur Teium in Bithynia potius, quam in Paphlagonia situm fuisse; sed quum haud procul ab huius finibus abesset, alii videntur Paphlagoniae attribuisse. Cum Sallustio certe facit et Pomp. Mela I, 19, 8. *Tum Tios oppidum, Milesiorum quondam colonia, sed iam soli gentisque Paphlagonum:* et Ammian. Marc. XXII, 8. *Post Bithyniae partem provinciae Pontus et Paphlagonia protenduntur, in quibus — et Tius et Amastris.* Prorsus ridiculus vero error Porphyrionis, qui *Teium* cum *Teo*, Ioniae urbe, unde Anacreon oriundus fuit, confundens, celeberrimum Ionium poëtam Paphlagonem fecerit.

Fr. 45. [Cort. p. 1011. Gerl. ed. mai. Inc. 215. ed. min. III, 46. p. 218, 8 Debr. III, 121.] Fragmentum hoc, a Nonio XII, 24. p. 524, 4. Merc. laudatum, eiusdem est generis ac loci, atque praecedens.

montoriis Paphlagonum et quod Criumetopon appellavit, *[posuit]*.

46. Dein campi Themiscyrii, quos habuere Amazones, a Tanai flumine, incertum quam ob caussam, digressae.

Integra Nonii verba haec sunt: „*Proximum* dicebant veteres non solum adhaerens et adiunctum, verum etiam longe remotum, si tamen inter duo discreta nihil medium exstitisset; Virg. Aen. V. (320.) *Proximus huic, longo sed proximus intervallo, Insequitur Salius.* Ita et Sallustius“ etc. Paphlagonum promontoria sunt Carambis, et Syrias sive parvum; quorum hoc minus notum (v. Marcian. p. 72. Arrian. p. 15.), illud satis crebro memoratur; cf. Strabo II. p. 186. D. Almel. *Κατὰ μέσον* (sc. *Εὔξεινον πόντον*) *πως ἄκραι δύο προσπίπτουσιν, ἡ μὲν ἐκ τῆς Εὐρώπης καὶ τῶν βορείων μερῶν, ἡ δ' ἐκ τῆς Ἀσίας ἐναντία ταύτῃ, συναγούσῃ τὸν μεταξὺ πόρον καὶ ποιούσῃ δύο πελάγη μεγάλα. Τὸ μὲν οὖν τῆς Εὐρώπης ἀκρωτήριον καλεῖται Κριοῦ μέτωπον, τὸ δὲ τῆς Ἀσίας Καράμβις, διέχοντα ἀλλήλων περὶ δισχιλίους σταδίους καὶ πεντακοσίους.* Id. VII. p. 475. B. XI, p. 759. C. XII. p. 820. C. Dionys. Perieg. v. 150—155. Plin. H. N. IV, 12, 26. *Promontorium Criumetopon adversum Carambi Asiae promontorio per medium Euxinum procurrens.* Pomp. Mela I, 19, 8. II, 1, 3. Ammian. Marcell. XXII, 8. Avien. Descript. orb. v. 228., quibus locis omnibus simul de Criumetopo promontorio dicitur.

Fr. 46. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 82. ed. min. III, 40. p. 217, 24. Debr. III, 139.] Apud Serv. ad Virg. Aen. XI, 659., ubi haec exstant, in nonnullis codd. pro *Themiscyrii* depravate legitur *Thrëissi*. In Sallustii autem edd. inde a Carrione perperam scribitur *Themyscirii*: eaedemque pro *quam ob caussam* contra Servii auctoritatem habent *quamobrem*. — De *campis Themiscyriis* ad Thermodonta flumen, quibus ab urbe Themiscyra nomen fuit, prolixe agit Strabo XII. p. 823. C. sqq. eorumque etiam alibi mentionem facit, velut II. p. 188. A. cf. Plut. in Lucul. c. 14, in. *Καταδραμόντες ἄχρι Θεμισκυρίας καὶ τῶν περὶ Θερμώδοντα πεδίων ἠτιῶντο τὸν Λούκουλλον κ. τ. λ.* Pomp. Mela I, 19. *Secundum Halyn urbs est Lycasto, ad Thermodonta campus. In eo fuit Themiscyrum oppidum: fuere et Amazonum castra: ideo Amazonium vocant.* Amm. Marcell. XXII, 8. *Thermodon his est proximus, ab Armonio defluens monte et Themiscyraeos interlabens lucos, ad quos Amazonas quondam migrare necessitas subegerat.* Quae Appianus B. Mithr. c. 78. tradit de Themiscyrae oppugnatione, commode quidem comparari possunt, sed ad rem pertinent ab hac operis Sallustiani parte alienam.

47. Scythae Nomades tenent, quibus plaustra sedes sunt.

48. Namque omnium ferocissumi ad hoc tempus Achaei atque Tauri sunt, quod, quantum coniicio, locorum egestate rapto vivere coacti.

Fr. 47. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 162. ed. min. III, 45. p. 218, 7. Debr. III, 151.] Verba sic, ut edidimus, exstant apud Porphyr. ad Hor. Od. III, 24, 9. Ad eundem Sallustii locum respicit etiam Acro l. l., sed eum minus accurate sic laudat: „*in* quibus plaustra sedes sunt", quae imperfecta ac vitiosa Fragmenti forma a Cortio male recepta est. — Scythiae, quae latissime patebat neque certis finibus erat circumscripta, eam modo partem Sallustius intellexisse videtur, quae inde a palude Maeotide et Tanai flumine ad mare Caspium versus et Rha flumen porrigebatur; nam quae ad remotiores regiones spectabat, in Ponti descriptione non poterat, nisi forte obiter, memorari. De *Scythis Nomadibus* cf. Amm. Marcell. XXII, 8. p. 317. Vales. *In medio spatio arcus* (sc. Ponti) *Europaei sunt Alani et Costobocae gentesque Scytharum innumerae, quae porriguntur adusque terras sine cognito fine distentas, quarum pars exigua frugibus alitur, residuae omnes palantes per solitudines vastas, nec stivam aliquando nec sementem expertas — ferarum tetro ritu vescuntur; eisque caritates et habitacula vilesque supellectiles plaustris impositae sunt corticibus tectis.* Iustin. II, 1, 4. *Scythae uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus, coriis imbrium hiemisque caussa tectis, pro domibus utuntur.* Pomp. Mela III, 5. *Ad introëuntium* (sc. mare Caspium) *dextram Scythae Nomades freti litoribus insident.* V. praeterea Strab. VII. p. 454. A. XI. p. 778. D. Almel. Herodot. IV, 46.

Fr. 48. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 124. ed. min. III, 44. p. 218, 4. Debr. III, 141. III, 144.] Schol. ad Iuvenal. Sat. XV, 115. Pro *Tauri* Gerlachius in utraque ed. sine ulla caussa, temerarium Coleri commentum temere secutus, scripsit *Taurici*. — Hunc quoque locum in descriptione Ponti fuisse ex eo patet, quod, quum neque Lucullus neque Pompeius ad Tanaim usque et Chersonnesum Tauricam progressi essent, in rerum bellicarum narratione haec nullo pacto legi potuerunt. De *Achaeis* cf. Strab. XI. p. 753. C. Almel. *Περὶ δὲ τὴν λίμνην* (sc. *Μαιώτιδα*) *Μαιῶται. πρὸς δὲ τῇ θαλάττῃ τοῦ Βοσπόρου τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐστὶ, καὶ ἡ Σινδική· μετὰ δὲ ταύτην Ἀχαιοὶ καὶ Ζυγοὶ καὶ Ἡνίοχοι.* Id. ib. p. 758. A. *Μετὰ δὲ τὴν Σινδικὴν καὶ τὴν Γοργιππίαν ἐπὶ τῇ θαλάττῃ ἡ τῶν Ἀχαιῶν καὶ Ζυγῶν καὶ Ἡνιόχων παραλία τὸ πλέον ἀλίμενος καὶ ὀρεινὴ τοῦ Καυκάσου μέρος οὖσα· ζῶσι δὲ ἀπὸ τῶν κατὰ θάλατ-*

49. Nam speciem efficit Scythici arcus.

50. *[Lata autem ideo, quia]* se angustiae pontici oris illic dilatant, *[ut Sallustius dicit.]*

ταν λῃστηρίων. Id. XVII. p 1196. D. *Ὁμοίως δὲ καὶ τῆς Ἀσίας ἡ καθ' ἡμᾶς παραλία πᾶσα ὑποχείριος ἐστίν· εἰ μή τις τὰ τῶν Ἀχαιῶν καὶ Ζυγῶν καὶ Ἡνιόχων ἐν λόγῳ τίθεται λῃστρικῶς καὶ νομαδικῶς ζώντων ἐν στενοῖς καὶ λυπροῖς χωρίοις.* Mela I, 19, 14. Amm. Marcell. XXII, 8. De *Tauris* v. Strab. VII. p. 474. B. *Εἶθ' ἡ παλαιὰ Χερρόννησος κατεσκαμμένη, καὶ μετ' αὐτὴν λιμὴν στενόστομος· καθ' ὃν μάλιστα οἱ Ταῦροι, Σκυθικὸν ἔθνος, τὰ λῃστήρια συνίσταντο τοῖς καταφεύγουσι ἐπ' αὐτὸν ἐπιχειροῦντες.* Pomp. Mela II, 1, 11. *Tauri immanes sunt moribus, immanemque famam habent solere pro victimis advenas caedere.* Tacit. Ann. XII, 17, 4. *Exercitum romanum incruentum et victorem tridui itinere afuisse ab amne Tanai constitit. Sed in regressu dispar fortuna fuit, quia navium quasdam, quae mari remeabant, in littora Taurorum delatas circumvenere barbari, praefecto cohortis et plerisque centurionum interfectis.* Amm. Marc. l. l.

Fr. 49. [Cort. p. 1011. Gerl. ed. mai. Inc. 173. ed. min. III, 42. p. 218, 1. Debr. III, 122.] Servius ad Virg. Aen. III, 533. haec affert ad illustrandum poetae versum „Portus ab euroo fluctu *curvatur in arcum*," his verbis usus: „sic de Ponto Sallustius, unde hic tulit colorem: *nam speciem*" etc. Quae admodum pueriliter Debrossius ita cepit, ut Sallustio tribueret etiam verba *unde hic tulit colorem*, non assecutus Servium hoc significare voluisse, Virgilianam dictionem ex Sallustio esse expressam. — In Ponti forma describenda Sallustius sequitur vulgarem veterum geographorum sententiam, paullo pinguius Pontum scythico arcui comparantium; cf. Strabo II. p. 187. A. *Ἡ περίμετρος τοῦ συμπάντος πελάγους ἐστὶ δισμυρίων που καὶ πενταχισχιλίων σταδίων· εἰκάζουσι δέ τινες τὸ σχῆμα τῆς περιμέτρου ταύτης ἐντεταμένῳ Σκυθικῷ τόξῳ, τὴν μὲν νευρὰν ἐξομοιοῦντες τοῖς δεξιοῖς καλουμένοις μέρεσι τοῦ Πόντου (ταῦτα δ' ἐστὶν ὁ παράπλους ὁ ἀπὸ τοῦ στόματος μέχρι τοῦ μυχοῦ τοῦ κατὰ Διοσκουριάδα· πλὴν γὰρ τῆς Καράμβιος ἥ γε πᾶσα ἄλλη ἠϊὼν μικρὰς ἔχει ἐσοχάς τε καὶ ἐξοχάς, ὥστ' εὐθεία ἐοικέναι), τὴν δὲ λοιπὴν τῷ κέρατι τοῦ τόξου, διττὴν ἔχοντι τὴν ἐπιστροφήν, τὴν μὲν ἄνω περιφερεστέραν, τὴν δε κάτω εὐθυτέραν.* Dionys. Perieg. v. 156—162. Amm. Marcell. XXII, 8. *Omnis Ponti litorea navigatio — in speciem Scythici arcus nervo coagmentati geographiae totius assensione formatur.* Pomp. Mela I, 19. Plin. H. N. IV, 12, 26.

Fr. 50. [Cort. p. 1011. Gerl. ed. mai. Inc. 216. ed. min. III, 47.

51. Ipsum mare Ponticum dulcius quam cetera.

52. Crebritate fluctuum, ut aquilone solet.

p. 218, 13. Debr. III, 120.] Verba, a Servio ad Virg. Aen. II, 312. allata, in quantum Sallustii sint, incertum est. Hoc tantummodo liquet, auctorem iis usum esse, quum de forma maris Pontici loqueretur. Ea Servius, locorum nulla ratione habita, dictionem modo respiciens imperite ad mare Sigeum retulit.

Fr. 51. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 72. ed. min. III, 39. p. 217, 23. Debr. III, 125. III, 126.] Verba, uti in textu expressimus, leguntur apud Serv. ad Virg. Aen. I, 228 (232); sine *ipsum* pronomine idem laudat ad Aen. XII, 143., ac praeterea Macrob. Sat. VII, 12., Donat. ed. II. p. 1745. Putsch., Serg. in Donati ed. II. p. 1841. Putsch., Priscian. III, 2, 15. p. 112. Kr. et XV, 3, 18. p. 623., qui utroque loco *est*, quo ceteri carent, post *dulcius* inseruit. Comparativi sensum grammatici recte viderunt esse hunc, ut, quum cetera maria non dulcia, sed salsa et amara sint, significetur Ponti aquam *minus quam illorum salsam esse*. cf. Fr. II, 49. p. 158. Quod ad rem ipsam attinet, idem testatur Macrobius l. l. *Plurimum aquarum talium influere Ponto et totam superficiem eius infectam esse dulci liquore — est hoc quoque testimonio*" etc. Amm. Marcell. XXII, 8. *Omnis circumfluo ambitu Pontus et nebulosus est et dulcior aequorum ceteris.* Strabo I. p. 85. C. Stratonis sententiam de Ponto afferens: *Τῶν γὰρ ποταμῶν πλείστων καὶ μεγίστων ῥεόντων ἀπὸ τῆς ἄρκτου καὶ τῆς ἀνατολῆς, ἐκεῖνο μὲν ἰλύος πληροῦσθαι, τὰ ἄλλα δὲ μένειν βαθέα· διὸ καὶ γλυκυτάτην εἶναι τὴν Ποντικὴν θάλατταν.*

Fr. 52. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 54. ed. min. III, 65. p. 219, 24. Debr. III, 123. IV, 75.] Fragmentum hoc, quod Servio ad Virg. Aen. I, 116 (120). debetur, lucem accipit ex sequente, in cuius vicinitate verba fuisse coniicio. Nihil enim probabilius, quam agi de innumera thunnorum multitudine, quotannis aquilonum vi ex lacu Maeotide ac deinde ex Ponto ad litus Byzantinum compulsa; cf. Plin. H. N. IX, 20. *Omnis captura Byzantii est, magna Chalcedonis penuria. Opperiuntur autem aquilonis flatum, ut secundo fluctu exeante Ponto, nec nisi intrantes portum Byzantii capiuntur.* Ambros. Hexaem. V, 10. *Pisces ex plurimis locis a diverso sinu maris innumeri velut communi consilio convenientes coniuncto agmine flatus aquilonis petunt, et ad illud septentrionalium mare partium quadam naturae lege contendunt. Dicas, si ascendentes videas, rheuma quoddam esse, ita proruunt fluctusque intersecant, per Propontidem in Euxinum Pontum violento impetu profluentes.* Quae Ambrosii verba non solum de adventu thunnorum, sed etiam de eorum regressu capienda sunt. Ceterum in edd.

53. Qua tempestate ex Ponto vis piscium erupit.

Sall. omnibus vitiose legitur *aquilo* pro *aquilone*, ut rectissime est apud Servium. In promptu est fraudi editoribus fuisse *solet* absolute positum, de quo usu diximus ad Catil. c. XXIX, 2. p. 133. cf. infra Fr. III, 78. 89. Liv. II, 5, 3. *Desectam segetem fudere in Tiberim tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus solet*, et v. Drakenborch. ad VI, 34, 5.

Fr. 53. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 99. ed. min. III, 41. p. 217, 27. Debr. III, 127.] Verba, uti edidimus, exstant apud Serv. ad Virg. Aen. IV, 132. Eadem refert etiam Schol. ad Iuvenal. Sat. IV, 42. sic: *itaque tempestate piscium vis Ponto erupit;* quae quamquam sensu parum discrepant, tamen aperte memoriter allata sunt, ut ostendit *itaque* pro *qua* positum, *ex* praepositio omissa, ac prorsus mutatus verborum ordo. Quare vel hanc ob caussam improbabilis est Schurzfleischii coniectura pro *itaque tempestate* corrigentis *finitaque temp.*; sed multo magis sententia eam respuit. Nam *tempestas* de continuis et certo tempore orientibus aquilonis flatibus dici nequit; et si dici posset, res ipsa repugnaret, siquidem pisces non *finita* tempestate, sed *cum* tempestate ipsiusque tempestatis vi ex Ponto erumpunt. Hinc ne recepta quidem scriptura eam vocis explicationem admittit. *Qua tempestate* enim significat *quo tempore*; tota autem enunciatio, utpote temporalis, secundaria est, cui primaria adiuncta fuerit necesse est. Quae quamquam nullo pacto praestari potest, tamen ad orationis formam, quae omissa apodosi obscurata est, monstrandam tale quid Sallustium dixisse coniicio: quo tempore ex Ponto vis piscium erupit, *Byzantii summo studio capturae operam dant.* De re ipsa accurate egit Strabo VII. p. 493. A. Almel. *Ἔστι δὲ τὸ Κέρας προσεχὲς τῷ Βυζαντίῳ τείχει, κόλπος ἀνέχων ὡς πρὸς δύσιν ἐπὶ σταδίους ἑξήκοντα, ἐοικὼς ἐλάφου κέρατι· εἰς γὰρ πλείστους σχίζεται κόλπους ὡς ἂν κλάδους τινὰς, εἰς οὓς ἐμπίπτουσα ἡ πηλαμὺς ἁλίσκεται ῥᾳδίως διά τε τὸ πλῆθος αὐτῆς καὶ τὴν βίαν τοῦ συνελαύνοντος ῥοῦ καὶ τὴν στενότητα τῶν κόλπων, ὥστε καὶ χερσὶν ἁλίσκεσθαι διὰ τὴν στενοχωρίαν. Γεννᾶται μὲν οὖν τὸ ζῶον ἐν τοῖς ἕλεσι τῆς Μαιώτιδος, ἰσχύσαν δὲ μικρὸν ἐκπίπτει διὰ τοῦ στόματος ἀγεληδὸν, καὶ φέρεται παρὰ τὴν Ἀσιανὴν ἠϊόνα. — Ἐπειδὰν δὲ ἤδη συνάψῃ ταῖς Κυανέαις, καὶ παραλλάξῃ ταύτας, ἐκ τῆς Χαλκηδονιακῆς ἀκτῆς λευκήρης πέτρα προσπίπτουσα φοβεῖ τὸ ζῶον, ὥστ᾽ εὐθὺς εἰς τὴν περαίαν τρέπεσθαι· παραλαβὼν δ᾽ ὁ ἐνταῦθα ῥοῦς, ἅμα καὶ τῶν τόπων εὐφυῶν ὄντων πρὸς τὸ ἐκεῖ ῥοῦν τῆς θαλάττης ἐπὶ τὸ Βυζάντιον καὶ τὸ πρὸς αὐτὸ Κέρας τετράφθαι φυσικῶς, συνελαύνεται δεῦρο, καὶ παρέχει τοῖς Βυζαντίοις καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ρωμαίων πρόσοδον ἀξιόλογον.* Brevius eandem rem tangit Tacit. Ann. XII, 63, 2. *Byzantium fertili solo,*

CAP. III.

Bellum Macedonicum ductu Curionis procos. gestum. — Descriptio Danubii et Germanorum.

---

54. Atque eum Curio laudatum accensumque praemiorum spe, quibuscum optavisset, ire iubet.

fecundo mari, quia vis piscium immensa Pontum erumpens et obliquis subter undas saxis exterrita omisso alterius litoris flexu hos ad portus defertur: unde primo quaestuosi et opulenti. ubi v. Orellium. Paullo aliter et minus accurate Amm. Marcell. XXII, 8, extr. *Et constat ab ultimis nostri finibus maris agminatim ad hunc secessum pariendi gratia petere pisces, ut aquarum suavitate salubrius fetus educant, in receptaculis cavis, quae sunt ibi densissima, securi voracium belluarum.*

Fr. 54. [Cort. p. 979. Gerl. ed. mai. III, 36. ed. min. III, 25. p. 217, 2. Debr. III, 111.] Fragmentum, quod Non. IV, 334. p. 358, 14. Merc. conservavit, per se satis obscurum hoc certe probat, etiam *tertio* libro de Curionis rebus gestis in Macedonia et conterminis terris a Sallustio dictum fuisse. Curio autem quum a. 75. a. Chr. n. in provinciam abiisset (v. ad Fr. II, 41.), probabile est, quae hoc libro de eo narrata sunt, ad eius imperii annum tertium, i. e. 73. a. Chr. n., pertinuisse. Quod ad verborum sensum attinet, nihil amplius potest coniici, quam militem aliquem, qui, quomodo aliqua res admodum ardua cum summo Romanorum emolumento posset perfici, vel invenisset casu, vel audacter speculatus esset, id imperatori nuntiasse, quem, eo nuntio valde laetatum, illum impulisse, ut assumptis sociis vel visam rem accuratius exploraret, vel audax facinus strenue exsequeretur. Debrossium, qui divinavit illum militem Ligurem fuisse, (de quo est Fr. Inc. 20.) qui transitum in monte Bora invenerit, Gerlachius Vol. III. p. 102. et p. 131. summi acuminis laude mactat; nobis, auctoritatem Ciceronis de Orat. II, 4, 17. sequentibus, ineptus videtur. — Ceterum corrupte in Nonii codd. *Cupio* est pro *Curio*, quod nomen feliciter restituit Lipsius in Antiqq. Lectt. II. c. 4. — *Optare* Nonius recte explicat *eligere*, a qua verbi potestate ductum est vocabulum *optionis*: cf. Liv. VI, 25, 5. *Camillus, permisso, ut ex collegis optaret, quem vellet, contra spem omnium L. Furium optavit*: et v. Drakenborch. ad XLII, 32, 1. In hoc sensu apertum est *quibuscum optavisset* per attractionem dictum esse pro *cum iis, quos optavisset*, quae dicendi ratio, ut relativum praepositioni iungatur, ex qua demonstrativum pendere debebat, apud Latinos rarior quidem est, sed non prorsus in-

55. Nomenque Danubium habet.

56. Omnium fluminum, quae in maria, qua imperium Romanum est, fluunt, quam Graeci *τὴν εἴσω θά-*

solens, ut falso ad Iug. c. CVIII, 3. p. 585. contendimus. cf. Ter. Andr. IV, 1, 57. *Restitue in quem me accepisti locum*, i. e. *in eum* locum, *quo* me accepisti. V. Walch. Emendd. Liv. c. IV. p. 81. et Krueger. de Attract. ling. lat. §. 112. p. 277 sqq. Cum Sallustii loco plane congruit Xenophonteus in Anab. I, 9, 25. *Κῦρος πολλάκις βίκους οἴνου ἡμιδεεῖς ἔπεμπε τοῖς φίλοις ἐπιλέγων, δεῖται σου τοῦτον ἐκπιεῖν τήμερον σὺν οἷς μάλιστα φιλεῖς*, i. e. *σὺν ἐκείνοις, οὕς μάλιστα φιλεῖς*.

Fr. 55. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 57. ed. min. II, 75. p. 205, 5. Debr. III, 108. III, 158.] Locus sine libri indicio est apud Acron. ad Horat. A. P. 18.; eundem ex *tertio* laudat Arus. v. *nomen illi est*, p. 248. Lindem., quam certissimam grammatici auctoritatem adeo contempsit Gerlachius, ut in ed. min. suo acumine confisus in *secundum* transferret. Ad brevis Fragmenti rationem cognoscendam apprime facit Sext. Ruf. c. 7. *Dardanos et Moesos Curio proconsul subegit, et primus Romanorum ad Danubium usque pervenit.* Idem testatur Eutrop. VI, 2. *Missus App. Claudio successor C. Scribonius Curio post consulatum. Is Dardanos vicit et usque ad Danubium penetravit.* Nimirum quum Danubius primum aditus Romanis haud dubie res magna atque clara videretur, Sallustius, qui amat de terrarum et locorum situ et natura ac de gentium remotarum ingenio moribusque exponere, non alienum putavit nonnulla tum de flumine ipso, tum de accolis gentibus rerum a Curione gestarum narrationi interiicere. Ad Danubii igitur descriptionem et hoc Fragm. et sequens pertinet; neque alio ea quam hoc loco exhiberi posse nemini dubium erit, nisi qui in clara luce coecutiat. — Quod ad grammaticam verborum rationem attinet, Acro pariter atque Arusianus falso contendunt *Danubium* neutro genere esse positum, non assecuti accusativum vi appositionis ad *nomen* referri; cf. Krügeri Gramm. lat. §. 299, 1. p. 395. Eandem structuram habes apud Ovid. Fastt. III, 245. *Adde, quod excubias regi Romanus agebat, Qua nunc Esquilias nomina collis habet.*

Fr. 56. [Cort. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 190. ed. min. II, 76. p. 205, 6. Debr. III, 157.] Hoc Fragmentum, a Gellio X, 7. sine libri nota servatum quamquam sententiam magis, quam verba Sallustii praebet, abunde tamen ostendit, quod superiore Fragmento significavimus, auctorem in Historiis de Danubio eiusque nomine, magnitudine et cursu accurate egisse. Ex eodem loco desumpta esse verba, unde petitum est Fr. 55., res ipsa loquitur; eoque concidit

λασσαν appellant, maximum esse Nilum consentitur; proxima magnitudine esse Histrum *[scripsit Sallustius.]*

Gerlachii opinio Vol. III. p. 144. declarata, Sallustium, quum de Ponti situ ageret, de Danubio exposuisse. — De *maris interni* nomine graeco ἡ ἔσω θάλασσα v. Forbigeri Geogr. antiq. Vol. II. p. 13 sqq., qui ibidem de variis eius partibus accurate exposuit. Ad has *partes* respiciens sive Sallustius sive Gellius *maria* dicit, quae statim post singularis numeri vocabulo significantur. — *Qua* particulae vim et usum tetigimus ad Iug. c. XVIII, 2. p. 108. coll. c. XXXVIII, 6. p. 221. V. etiam Fr. 1, 9. et III, 59. — De relativi *quam* genere non cum praecedente substantivo, sed cum eius attributo congruente, v. Gramm. lat. nostram §. 145, 3. not. 2. a. p. 484. — *Histri* et *Danubii* nomina, quamquam saepe promiscue ponuntur, ita differunt, ut illud de inferiore et ad ostia sua properante flumine, hoc de superiore, dum Germaniam et Pannoniam permeat, usurpetur; v. Forbigeri Geogr. ant. Vol. III. p. 325. not. 16. — Qui vulgo dicitur *Ister*, non minus recte *Hister* scribitur, ut Grammaticorum testimonio et bonis optimorum scriptorum codicibus comprobatur: cf. Forbiger. l. l. et Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. I, 1. p. 194.

Fr. 57. [Cort. p. 1002. Gerl. ed. mai. Inc. 18. ed. min. III, 29. p. 217, 9. Debr. II, 153.] Qui locus huic Fragmento, quod apud Isidor. Origg. XIX, 23, 4. p. 662. Lind. sine libri nota exstat, assignandus sit, aliquantum habet dubitationis, quum haud facile dicas ubi Sallustius de Germanis egerit, idque obiter tantum, an data opera fecerit. In re ambigua non improbabilis videtur Debrossii sententia, qui id in enarranda aliqua Curionis expeditione factum esse coniecit, quamquam et in loco libri constituendo, et in tempore definiendo et in ceteris Fragmentis huc tractis multum a vero aberravit. Nullo enim modo fieri potuit, ut iam *secundo* libro, quo duo priores anni Curionis, i. e. 75. et 74. a. Chr. n. continentur (v. ad Fr. II, 41.), de Germanis ageretur, nulla dum eius rei idonea occasione oblata. Sed quum *tertio* libro Curio ad Danubium usque progressus esse narretur (v. Fr. III, 55.), admodum probabile est Sallustium, fluminis, quod tum primum conspexissent Romani, accurata mentione facta, adiunxisse huic disputationi nonnulla de gentium incognitarum ingenio et moribus, quae et trans illud flumen, et ad eius fontes ostiaque versus habitarent. Quum autem Germanorum natio per se latissime pateret, veteres, quaecunque gentes ultra Noricum, Pannoniam et Illyricum ad Danubium versus sedes habebant, universo Germanorum nomine comprehendere solebant; cf. Dionys. Perieg. v. 298 sqq. *Ῥήνῳ δ' ἐξείης ἐπιτέλλεται ἱερὸς Ἴστρος, Ἴστρος, ἐς ἀντολίην τετραμμένος ἄγχι θαλάσσης Εὐξείνου, τόθι πᾶσαν ἐρεύγεται ὕδατος ἄχνην Πενταπόροις προχοῇσιν ἑλισσόμενος περὶ Πεύκην.*

57. Germani intectum renonibus corpus tegunt.

Τοῦ μὲν πρὸς βαρέην τετανυσμένα φῦλα νέμονται Πολλὰ μάλ' ἐξείης Μαιώτιδος ἐς στόμα λίμνης· Γερμανοὶ Σαμάται τε Γέται θ' ἅμα Βαστάρναι τε; ae. v. Forbiger. Geogr. antiq. Vol. III. p. 315. et Paulyi Encyclop. Real. Vol. III, p. 776. Quare mirum videri non potest, quod Sallustius Curionis expeditionibus in has regiones delatus de illis gentibus disseruit, victu cultuque a politiorum populorum consuetudine tantopere abhorrentibus. — *Tegunt* ad *intectum corpus* relatum adeo male habuit Colerum, ut scribendum censeret *Germani intecti*: sed vulgaris lectio rectissime est, qua hoc significatur: Germani circa *nudum neque aliis vestimentis tectum corpus* renones gerunt, sive subter renones, quibus solis utuntur, nihil praeterea vestimenti habent. Gerlachius Vol. III. p. 123. locum dicit sibi vitiosum videri, aliusque vestimenti nomen excidisse. Scilicet coniunxit *intectum renonibus*, non assecutus *renonibus* pertinere ad *tegunt*, de qua verborum collocandi ratione v. quae annotavimus ad Cat. XXIX, 3. p. 135. De renonibus ipsis Isidorus l. l. haec habet: „*Renones* sunt velamina humerorum et pectoris usque ad umbilicum, atque intortis villis adeo hispida, ut imbres respuant." *Renonis* autem vocabulum, quamvis gallicae essèt originis (v. Varro de L. L. V, 35, 167. p. 65. ed. Müller.), de tali vestimenti genere haud inusitatum Romanis fuisse, (cf. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. V. p. 21.), patet ex Caesare de B. G. VI, 21, 5. *Germani pellibus aut parvis renonum tegimentis utuntur, magna corporis parte nuda.* Nam quum Caesar distinguat inter *pelles*, i. e. rudia coria de corporibus detracta neque ullo modo ad usum fabricata, et *renones*, i. e. facta ex pellibus agrestia vestimenta, non potuisset ita dicere, nisi lectores confisus esset scire, quid essent renones. Ceterum apud Caesarem, id quod interpretes non assecuti sunt, *parva renonum tegimenta* sunt tegimenta, *quae renonibus constant*, genitivo vim appositionis, qua alterius substantivi natura et potestas explicetur, obtinente; cf. Caes. B. C. I, 42, 3. *Caesar confisus est praesidio legionum et munitione fossae*, i. e. munitione, quae fossa constabat. — Id. ibid. III, 83, 4. *Pompeiani omnes de praemiis pecuniae agebant*, i. e. de praemiis quae pecuniâ darentur. Tacit. Ann. XII, 31, 4. *Dux romanus sine robore legionum sociales copias ducebat*, i. e. sine robore exercitus, quod legionibus continebatur. Plura de hoc genitivi usu v. apud Billroth. Gramm. Lat. §. 181. not. 3. p. 229 sq. ed. III. et in Rumpelii egregio libro de Casibus p. 222 sq. —

Fr. 58. [Deest ap. Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 181. ed. min. III, 30. p. 217, 10. Debr. II, 153.] Haec verba, quae Servius ad Virg. Georg. III, 383. sine libri nota attulit, dubium non est, quin ad eundem Historiarum locum, atque praecedens Fragmentum, per-

58. Vestes de pellibus renones vocantur.

tineant. Universus autem Virgilii locus a v. 349 — 383. ita comparatus est, ut vix possis coniectura abstinere, poetica ratione ibi descripta esse, quae Sallustius scriptoris more illustraverat, ita ut ille singula ex hoc hausisse videatur. Nam poeta de vario pascuorum genere agens, quum primum felicitatem gregum, quae sub mitissimo coelo habentur, laudaverit, deinde quam misera sit pecoribusque inimica regio sub septentrionibus sita, graphice depingit. In ea descriptione igitur terram a Germanis habitatam imprimis spectasse eum non solum colligitur ex eo, quod nives atque frigora earum regionum, quae Histrum attingunt, multa cum arte commemorat, sed etiam de hominum ingenio, moribus, victu cultuque ea affert, quae rursus cum Taciti de Germanis testimonio mirifice consentiunt. Ita enim Virgilius l. l. v. 376 sqq.

„Ipsi *in defossis specubus* secura sub alta
Otia agunt terra, congestaque robora totasque
Advolvere focis ulmos, ignique dedere.
Hic *noctem ludo ducunt*, et *pocula* laeti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.
Talis Hyperboreo septem subiecta trioni
Gens effrena virum Rhipaeo tunditur euro,
Et *pecudum fulvis velatur corpora setis.*“

Quodsi cum his contuleris, quae leguntur apud Tacitum Germ. 16, 3. *Solent et subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi:* — ib. 24, 3. *Aleam sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut extremo iactu de libertate contendant:* — ibid. 23, 1. *Potui humor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus;* — ibid. 17, 2. *Gerunt et ferarum pelles;* — his igitur collatis concedes, tantum esse Taciti cum Virgilio vel in singulis consensum, vix ut duos scriptores magis inter se congruentes reperias. Sed unde haec mira conspiratio? An Tacitus, religiosissimus homo et summae fidei, ex *poeta* mutuatus est, quae de Germanis tradidit? Minime. Sed Virgilius pariter atque Tacitus ex Sallustii Historiis hauserunt, quae de illius gentis moribus habent, id quod perspicitur ex Servio ad l. l., qui verbis Virgilii *Et pecudum fulvis velatur corpora setis* nihil aliud significari vidit, quam *renones*, quo vocabulo Sallustius de Germanis agens usus erat. — In ipsis Fragmenti verbis *vestes de pellibus* significant vestes *pellibus factae*, qui usus *de* praepositionis, ut materiam designet, paullo rarior est, quum hoc sensu vulgo *ex* ponatur, velut Fr. III, 26. *Ex latere munimenta.* Cic. in Verr. IV, 27, 62. *Pocula ex auro;* — ibid. *Vas vinarium ex una gemma pergrandi:* ib. 28, 64. *Candelabrum e gemmis clarissimis.* cf. ad Iug. c. LXI,

CAP. IV.

Bellum piraticum et Creticum. — M. Antonius infinitum imperium orae maritimae obtinet. — Cretae insulae descriptio. — Cretensium religiones. — Antonii turpis exitus.

---

59. Qui orae maritumae, qua Romanum esset imperium, contra piratas *[praefuit.]*

4. p. 329. et Gramm. lat. nostram §. 120, 2. not. 6. p. 287. Similes, quamquam non plane pares, sunt dictiones hae: Curt. VIII, 8, 9. *Spolia de hostibus.* — id. IX, 1, 2. *Spolia de Persis.*

Fr. 59. [Cort. p. 1012. Gerl. ed. mai. Inc. 175. ed. min. III, 67. p. 219, 27. Debr. III, 32. III, 42.] Schol. ad Iuvenal. Sat. VIII, 105., unde desumpta sunt verba, haec habet: „Antonius trium Antoniorum corruptor, ille Sallustius, qui orae maritimae, qua Romanum esset imperium, contrarius piratis;“ quae, licet corruptissima et a nemine intellecta, olim pro Sallustianis habita sunt. Ruhnkenius ad Vell. II, 31, 3. locum sic corrigendum putavit: *Antonius, triumviri Antonii pater, curator, ut ait Sallustius, orae maritimae, qua Romanum esset imperium, contra piratas.* Sed quamvis concedendum est sensui ita satis esse prospectum, tamen nullo pacto intelligitur quomodo tantae illae discrepantiae ex hac scriptura oriri potuerint. Praeterea, id quod gravissimum, illa de Antonii persona notitia, a Sallustii et usu et scribendi consilio alienissima, tota scholiastam olet. Utrumque valet etiam de Gerlachiana mutatione: „Trium Antoniorum *consulum pater ille*, qui orae maritimae, qua esset Imp. Rom., *praefuit* [*contrarius piratis*],“ — ut taceam falso tres M. Antonii filios consules dici, quum duo tantum consulatum gesserint. Nobis alia via incedendum videtur ad locum emendandum. Nimirum Sallustii tantummodo ea sunt, quae in textu expressimus, extremâ sane parte corrupta; quae autem praecedunt, scholiastae sunt verba, mutata interpunctione sic scribenda: „Antonius, trium Antoniorum corruptor ille. Sallustius: *qui* etc.“ Sensus scholii hic est: Antonius ille famosus, qui, quum ipse corruptissimus esset, etiam tres filios (Marcum, Gaium, Lucium Antonios) corruptissimos reliquit. Tum absolute positum Sallustii nomen indicat verba eius apponi, qui auctores veteres citandi modus Iuvenalis scholiastae est frequentissimus. — *Contrarius piratis* corruptum esse ex verbis *contra piratas* Ruhnkenius satis probabiliter suspicatus est. *Praefuit* ex coniectura additum uncinis inclusimus, re ipsa tale quid excidisse monstrante. Ex Cicerone in Verr. II, 3, 8.

60. Longe a continenti.

61. Creta altior est, qua parte spectat orientem.

62. Otus in Creta *[secundum Sallustium]*, unde Otii campi.

possis etiam suspicari a Sallustio scriptum fuisse *infinitum imperium obtinuit.* — Fragmentum pertinet ad bellum contra piratas et Cretenses a M. Antonio, oratoris filio, annis 74 — 72. a. Chr. n. gesto. cf. Appian. B. C. I, 111. *Τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους* (i. e. 74.) — *πόλεμοι ἤκμαζον — καὶ ὁ τῶν λῃστῶν ἐν ὅλῃ τῇ θαλάσσῃ, καὶ περὶ Κρήτην πρὸς αὐτοὺς Κρῆτας ἕτερος.* Ascon. ad Cic. in Verr. II, 3, 8. p. 206. Or. *M. Antonius — gratia Cottae consulis* (is cum L. Lucullo a. 74. consulatum gessit) *et Cethegi factione in senatu curationem infinitam nactus totius orae maritimae et Siciliam et provincias omnes depopulatus est, et ad postremum inferens Cretensibus bellum morbo interiit.* Vell II, 31, 3. *Quo senatusconsulto paene totius terrarum orbis imperium uni viro* (sc. Pompeio) *deferebatur. Sed tamen idem hoc ante septennium in M. Antonio praetore decretum erat.* Lactant. Instit. Div. I, 11, 32. p. 72. Bünem. *Neptuni regnum tale fuisse dicimus, quale M. Antonii fuit infinitum illud imperium, cui totius orae maritimae potestatem senatus decreverat, ut praedones persequeretur ac mare omne pacaret.* — De ea re *tertio* libro a Sallustio expositum fuisse non solum temporum ostendit ratio (Iuvenalis scholiasta enim ne Historias quidem nominavit, nedum librum), sed abunde patet etiam ex Fr. III, 65., quod de eodem Antonii imperio est.

Fr. 60. [Cort. p. 1011. Gerl. ed. mai. Inc. 211. ed. min. Inc. 62. p. 239, 5. Debr. IV, 34.] Servius quum ad Virgilii versum Aen. III, 104. *Creta Iovis magni medio iacet insula ponto* haec annotaverit: „*Medio ponto* potest quidem intelligi secundum Sallustium longe a continenti," — editores verba *medio ponto* pro Sallustianis habuerunt, quod est falsissimum. Sallustii enim nihil aliud est, quam *longe a continenti;* nam haec ipsa verba ille de Cretae insulae situ eo sensu posuit, quo Servius dicit Virgilianum *medio ponto* capi posse. Egit autem de Creta tum, quum Cretenses ab Antonio bello petitos fuisse narravit, quem locum *tertio* libro tractatum esse ad Fr. 59. demonstravimus; quare quin et hoc et tria proxima Fragmenta, ad eandem rem spectantia, recte hic posuerimus, dubitari nequit. De re ipsa v. Appian. de Reb. Cret. V, 6. (Vol. I. p. 98. Schweigh.) *Κρήτῃ ἔδοξε τοῖς πλεύσασι τότε λῃσταῖς ἐς χάριν τοῦ Μιθριδάτου συλλαβεῖν καὶ συμμαχῆσαι σαφῶς διωκομένοις ὑπὸ Μάρκου Ἀντωνίου. Πρεσβευσαμένου δὲ τοῦ Ἀντωνίου πρὸς αὐτοὺς, ὑπεριδεῖν καὶ ὑπερηφάνως ἀποκρίνασθαι. Καὶ πολεμῆσαι*

63. Primos Cretenses constat invenisse religionem.

64. Curetes, quia principes intellegendi divina fuerunt, vetustatem, uti cetera, in maius componentem, altores Iovis celebravisse.

μὲν αὐτοῖς εὐθὺς ἐπὶ τῷδε Ἀντώνιος, καὶ οὐ πρᾶξαι καλῶς. Flor. III, 7, 2. *Creta favisse Mithridati videbatur; hoc placuit armis vindicare. Primus invasit insulam M. Antonius.* Liv. Epit. XCVII. *M. Antonius praetor bellum adversus Cretenses parum prospere susceptum morte sua finivit.*

Fr. 61. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 103. ed. min. III, 69. p. 220, 5. Debr. IV, 38. V. 41.] Verba sine libri indicio sunt apud Serv. ad Virg. Aen. VI, 23. Per se quum plana sint, simul ostendunt auctorem in Historiis situm insulae atque naturam accurate descripsisse, antequam ad bellum Cretense accederet. Locos veterum scriptorum ad Cretam spectantium v. apud Forbiger. Geogr. ant. Vol. III. p. 1031—1044.

Fr. 62. [Cort. p. 1010. Gerl. ed. mai. Inc. 203. ed. min. II, 14. p. 201, 13. Debr. IV, 37. IV, 66.] Fragmenti, a Serv. ad Virg. Aen. III, 578. sine libri nota allati, forma valde incerta est, ita ut, quid Sallustius scripserit, non plane liqueat. *Otus* unus fuit ex gigantibus; cf. praeter Serv. l. l. Script. rerum mythic. Vol. I. p. 93. §. 55. ed. Bode. *Otus et Ephialtes, gigantes, Aloëi filii, tantae audaciae erant, ut montibus constructis coelum expugnare niterentur.* Gigantum autem fabula quoniam cum montibus ignivomis cohaeret, quippe quorum eruptiones ac lapidum flammarumque eiectiones antiqui homines pugnae monstrorum adversus deos assimularent, loca, ubi illi commemorantur, subterraneo igni flagrasse putanda sunt, neque *Otii campi* in Creta aliam vim habuisse videntur, quam multo notiores campi Phlegraei in Campania.

Fr. 63. [Deest ap. Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 66. ed. min. III, 68. p. 220, 1. Debr. V, 37.] Verba exstant apud Serv. ad Virg. Aen. III, 104., qui eadem ad Aen. VIII, 352. paullum mutata sic refert: *Cretenses primos invenisse religionem.* Sallustium, quum de Creta ageret, etiam de peculiaribus Cretensium religionibus ac de Iovis Idaei cultu exposuisse, ex hoc Fragmento perspicuum est. Perperam tamen Gerlachius in utraque ed. id cum sequente in unum conflavit. Nam licet cognati sit argumenti, neque multum ab eo distasse videatur, tamen ipsa orationis forma ostendit has particulas non cohaesisse.

Fr. 64. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 66. ed. min. III, 68. p. 220, 2. Debr. V, 38.] Lactantius Instit. Div. I, 21, 41. haec laudans genuina quidem auctoris verba praebere videtur, sed in obli-

65. M. Antonius perdundae pecuniae genitus vacuusque curis, nisi instantibus.

66. Ibi triennio frustra trito.

quam orationem transtulit, quae apud Sallustium sic legebantur: *Curetes, quia principes intellegendi divina fuerunt, vetustas, ut cetera, in maius componens, altores Iovis celebravit.* Haec Lactantius docet ita a Sallustio disputata fuisse, ut ostenderet, Curetum partes in recens nato Iove tuendo, quippe qui tinnitu aeris prohiberent, ne vagitus pueri audiretur (v. Ovid. Fast. IV, 207 sqq. Serv. ad Virg. Aen. III, 104. Scriptt. rer. mythic. Vol. I. p. 34. §. 104. et p. 79. §. 16. ed. Bode.), poetarum fabulis deberi, altoresque Iovis illos propterea potius fuisse dictos, quod primi rerum divinarum rationem intellexerint. — Pro *divina* in mullis Lactantii codd. est *divini*, quemadmodum etiam Buenemannus edidit; sed singularem (*divinum* = *res divinae*) consuetudo bonorum scriptorum prorsus respuit. — *Vetustas* hic significat *veteres homines*, abstracto vim concreti obtinente; cf. Quintil. I, 5, 72. „Ne *balare* quidem aut *hinnire* fortiter diceremus, nisi iudicio *vetustatis* niterentur.“ Frequentius *antiquitatis* vox ita usurpatur; cf. Cic. Tusc. I, 12, 26. *Antiquitas quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat.* Ceterum structura verborum, tot accusativis paullo impeditior, haec est, ut *vetustatem* subiectum sit, *Curetes* obiectum, *uti cetera* comparatio obiecti, *altores* obiecti attributum.

Fr. 65. [Cort. p. 979. Gerl. ed. mai. III, 39. ed. min. III, 66. p. 219, 25. Debr. IV, 31.] Verba servavit Pseudo-Asconius ad Cic. in Verr. I, 23, 60. p. 176. ed. Orell., neque Historiis neque libri numero laudatis. Sed de utroque testimonium exstat Arusiani v. *genitus*, p. 232. ed. Lind., qui ex Hist. III. affert *perdendae pecuniae genitus*. De Antonii in infinito imperio sibi collato avaritia et nequitia v. praeter Asconium l. l., qui eum dicit *dissolutissimum curatorem totius orae maritimae*, Cic. in Verr. III, 91, 213. *Antonium, quum multa contra sociorum salutem, multa contra utilitatem provinciarum et faceret et cogitaret, in mediis iniuriis eius et cupiditatibus mors oppressit.* Id. Divinat. in Q. Caec. c. 17, 55. *Ab Agonide Lilybaetana praefectus Antonii quidam symphoniacos servos abducebat per iniuriam, quibus se in classe uti velle dicebat.* cf. etiam ad Fr. III, 59. et 66.

Fr. 66. [Cort. p. 999. Gerl. ed. mai. Inc. 16. ed. min. Inc. 12. p. 237, 9. Debr. II, 92.] Serv. ad Virg. Aen. IV, 271. In summa brevitate et enunciationis primariae defectu difficile est verum ex his eruere. Sed quum Servius l. l. Virgilianum *teris otia* explicet „per negligentiam tempora consumis“, addatque „et est verbum ad

CAP. V.

Bellum servile. Eius initia. — Vesuvius a servis occupatus. — Vires servorum auctae. — Varinius rem male gerit. — Crixi clades. — Spartacus in Lucaniam se recipit. — Lentuli pugna cum fugitivis. — Spartacus Galliam cisalpinam petit.

67. Sin vis obsistat, ferro quam fame aequius perituros.

ignaviam positum", omnibus circumspectis neminem invenio, in quem hoc magis cadat, quam in M. Antonium, qui, quum imperium contra piratas *per triennium* gessisset, nihil plane effecit, et ad postremum turpem in Creta exitum habuit. Quae coniectura si non a verisimilitudine abhorret, *ibi* non refero ad *trito* participium, sed pertinere puto ad omissum verbum, velut *obiit*, vel simile quoddam. Vix enim dubium est, quin *ibi* spectet ad *Cretam*, ubi Antonius morbo periit; cf. Pseudo-Ascon. ad Cic. in Verr. I, 23, 60. p. 176. Orell. et ad Div. in Caec. c. 17, 55. p. 122. Orell. *Antonius — non solum ipse nequam, verum etiam comitibus pessimis, rem inauditam invasit, et indicto Cretensibus bello ibidem periit.* — Haec utut sunt, certe aliquanto sunt probabiliora, quam Debrossii sententia, Gerlachio quoque probata Vol. III. p. 118., qui verba de bello a Servilio Vatia contra piratas gesto intelligunt. In quo praeter triennium imperii dissimilia sunt omnia. Quanta enim in Antonio fuit ignavia, desidia ac negligentia, tanta in Servilio fortitudo, consilium reique militaris peritia (v. ad Fr. I, 79. 80.); quare nonnisi obtusa ingenia potuere in eam opinionem incidere, Fragmenti huius verba, quae tantam ignaviae vituperationem habent, de illo dicta esse.

Fr. 67. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 151. ed. min. Inc. 45. p. 238, 13. Debr. IV, 76.] Fragmentum, a Servio ad Virg. Aen. III, 265. laudatum, audacius quidem, sed, ut confidimus, non sine verisimilitudinis specie ad initium belli Spartacii retulimus. Nam quum verba aperte ducis sint copias suas, iniquo loco inclusas, edocentis, si clam hostibus evadere non possint, vi erumpendum esse, ferroque potius quam fame pereundum, haud incommode de Spartaco et de fugitivis cogitari potest, non multo post, quam Capua aufugerant, in ardua Vesuvii parte obsessis, si contuleris Plut. in Crasso c. 9, in. *Κλωδίου στρατηγοῦ μετὰ τρισχιλίων πεμφθέντος ἐκ Ῥώμης καὶ πολιορκοῦντος αυτοὺς ἐν ὄρει μίαν ἔχοντι καὶ χαλεπὴν καὶ στενὴν ἄνοδον, ἣν ὁ Κλώδιος ἐφρούρει, τὰ δ' ἄλλα κρημνοὺς ἀποτόμους καὶ λισσάδας, ἄμπελον δὲ πολλὴν ἀγρίαν ἐπιπολῆς πεφυκυῖαν, ἕτεμον*

68. Exuant armis equisque.

69. Locum nullum, nisi quo armati institissent, ipsis tutum fore.

70. Quae cis paucos dies iuncta in armis sunt.

τῶν κλημάτων τὰ χρήσιμα, καὶ συμπλέκοντες ἐξ αὐτῶν κλιμακίδας εὐτόνους καὶ βαθείας, ὥστ' ἄνωθεν ἀνηρτημένας παρὰ τὸ κρημνῶδες ἅπτεσθαι τῶν ἐπιπέδων, κατέβαινον ἀσφαλῶς. Idem tradit Florus III, 20, 4. *Prima velut ara viris mons Vesuvius placuit. Ibi quum obsiderentur a Clodio Glabro, per fauces cavi montis vitineis delapsi vinculis ad imas eius descendere radices.* Frontin. Strategem. I, 5, 21. *Spartacus in Vesuvio obsessus ea parte, qua mons asperrimus erat ideoque incustoditus, ex vimine silvestri catenas conseruit, quibus demissus non solum evasit, verum etiam ex alio latere Clodium ita terruit, ut aliquot cohortes gladiatoribus LXXIV cesserint.* Appian. B. C. I, 116, in. Praeterea *sin* particula indicio est in praegresso orationis membro aliam eamque minus gravem evadendi condicionem a duce fuisse ostensam, qua ipsa usi esse videntur, fortuna adiuti. — Gerlachius Vol. III. p. 136. verba vel de fugitivis a Crasso operibus clausis, vel de Calaguritanis, vel de Heracleensibus, vel de Amisenis intelligenda censet. Primum non plane negaverim posse fieri; cetera prorsus absona sunt.

Fr. 68. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 143. ed. min. III, 74. p. 220, 11. Debr. III, 77.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 80. — Recte coniecit Debrossius his verbis contineri praeceptum Spartaci fugitivis datum, quo melius se contra Romanos tuerentur. Praecipuam Spartaco armorum curam fuisse et per se consentaneum est, et testatur Plutarch. in Crass. c. 9. *Καὶ πρῶτον μὲν τοὺς ἐκ Καπύης ἐλθόντας ὡσάμενοι καὶ πολλῶν ὅπλων ἐπιλαβόμενοι πολεμιστηρίων ἄσμενοι ταῦτα μετελάμβανον.* cf. Appian. B. C. I, 116, extr. *Καὶ ὅπλα ἐχάλκευε (Σπάρταχος) καὶ παρασκευὴν συνέλεγεν.* Id. ibid. c. 117, extr. *Μόνον δὲ σίδηρον καὶ χαλκὸν ὠνοῦντο πολλοῦ, καὶ τοὺς ἐσφέροντας οὐκ ἠδίκουν.*

Fr. 69. [Cort. p. 978. Gerl. ed. mai. III, 29. ed. min. III, 90. p. 224, 4. Debr. IV, 85.] Fragmentum sic paullo plenius atque emendatius praebet Arusiani cod. Gud. v. *insisto loco*, p. 237. Lind. Vulgo edebatur *loc. null., nisi in quo arm. inst.*, omissis relicuis. Verba non solum eiusdem sunt argumenti, ac Fragmentum praecedens, sed, nisi omnia me fallunt, eiusdem etiam orationis, qua fugitivis armorum possessio a duce commendatur, quippe quibus Spartacus gravissimum argumentum afferat, cur ante omnia armis parandis studendum sit. Nam quum vis sententiae in *armati* voce insit, sensus est; sine armis nullum locum, ne commodissimum quidem ac

71. Dum paullatim suis invicem subveniunt, omnes in bellum coacti sunt.

72. Simul immanis hominum vis multis e locis invasere patentis tum et pacis modo effusas *urbis*.

natura munitissimum, ipsis tutum fore; unde consequi, primum esse, ut armis potiantur.

Fr. 70. [Deest ap. Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 188. ed. min. Inc. 59. p. 239, 1. Debr. IV, 17.] Locus sine libri nota exstat apud Cledonium p. 1933. ed. Putsch. *Quae* pronomen quoniam aperte homines designat, ut ex praedicato intelligitur, in antecedentibus *servitia* substantivum fuisse coniicio, ad quod relativum spectaret. Quae coniectura si non falsa est, Sallustius his verbis dixit de multitudine servorum primo statim tempore seditionis ex Campania undique ad Spartacum confluentium; cf. Appian. B. C. I, 116. *Ἔνθα πολλοὺς ἀποδιδράσκοντας οἰκέτας καί τινας ἐλευθέρους ἐκ τῶν ἀγρῶν ὑποδεχόμενος ἐλῄστευε τὰ ἐγγύς.* — *Cis paucos dies* est: antequam pauci dies praeterlapsi erant; cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 76., qui observat hunc *cis* praepositionis usum non inveniri, nisi *pauci* vocabulo addito. — *Iuncta* quamquam sensum satis bonum praebet, tamen haud scio an *cuncta* accommodatius sit.)

Fr. 71. [Deest ap. Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 183. ed. min. IV, 47. p. 228, 21. Debr. I, 24.] Fragmentum hoc, a Serv. ad Virg. Aen. XII, 282. sine libri nota allatum, dubitari non potest, quin progressum belli servilis tenuibus initiis orti demonstret, quum de servis agi planissimum sit, contagione seditionis paullatim correptis. Id non assecutus Gerlachius Vol. III. p. 143. verba portentose refert ad proelium ad Cabira (*ad Caberam* scribens V. D. *τὰ Κάβειρα* pro feminino generis sing. habet), eamque explicationem niti vult loco Plutarchi in Lucullo c. 15. Idem altius insurgens Debrossium adeo hariolari ait, qui Fragmentum de exardescente inter Marium et Sullam bello civili intellexit. Quod quamquam falsum est, tamen prae Gerlachiana sapientia ingeniosum dici debet.

Fr. 72. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 130. ed. min. Inc. 38. p. 238, 5. Debr. III, 14. III, 58.] Serv. ad Virg. Aen. I, 303. sine libri nota. Vitiose et cum sensus detrimento in Sall. edd. *multis* deest, *cum* pro *tum* legitur, utrumque contra Servii auctoritatem. Eo auctore *patens urbs* est *pacata*, i. e. in pace et otio agens. Quoniam autem *invasere* loci vocabulum requirit, quod attributis *patentis* et *effusas* conveniat, nihil certius est, quam *urbis* post *effusas* lectum fuisse; *effusae* vero urbes sunt *quae effunduntur*, i. e. ex quibus *incolae* se effundunt, sive frequenter negotiorum caussa egrediuntur et libere foras et retro commeant; cf. Tacit. Historr. IV,

73. Qui nullo certo exilio vagabantur.
74. Apertae portae, repleta arva cultoribus.
75. Cossinius in proxuma villa fonte lavabatur.

15, 4. *Dein vagos et pacis modo effusos lixas negotiatoresque Romanos invadunt.* — *Invasio* talium urbium quum non nisi repentino impetu fieri posset, *immanis* vero *hominum vis multis e locis* eas invadentium ostendat non de iusto exercitu hic agi, vix dubium est, quin hoc Fragmentum ad bellum servile referendum sit, ubi plurimae urbes subito fugitivorum incursu oppressae sunt, cui explicationi paene singulae voces conveniunt. *Simul* particula enim indicat eodem tempore, quo servi in urbibus ac villis dominos deserebant armatique in eos irruebant, extrinsecus multos alius generis ad eos confluxisse. Quae *immanis hominum vis multis e locis* conveniens constabat tum ex pastoribus et agrestibus, tum ex iis, qui agris pulsi (v. Iug. c. XLI, 8. Fr. I, 45, 12. et §. 24. Fr. I, 49.) aut civitate eiecti erant, de quibus v. Fr. sq. Ex *tum* particula ad *patentis* et *effusas* relata intelligitur hoc Fragmentum ad primum spectare belli servilis tempus, quo, quum novum adhuc esset illud malum, urbes minus sibi caverent a subito fugitivorum impetu; postea enim, seditione pervulgata, clausis eas egisse portis, neque patentes et effusas fuisse, non est quod dubitemus. In Campania autem haec acta esse per se patet.

Fr. 73. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 154. ed. min. I, 81. p. 196, 12. Debr. I, 68.] Serv. ad Virg. Aen. I, 2. Fragmentum praecedenti subiecimus, quod probabilitate non carere videtur significari id genus hominum, qui bonis domi amissis fugitivis sese adiungerent. Plerumque civitate expulsis certus locus vel dabatur, vel ab ipsis eligebatur, ubi exilium agerent. Hi autem quoniam fortunae iniquitate pressi patria relicta *quaerebant, ubi vitam sustentarent*, nullo *certo exilio* vagari dicuntur.

Fr. 74. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 93. ed. min. Inc. 19. p. 237, 13. Debr. III, 90.] Verba, a Serv. ad Virg. Aen. II, 27. laudata, eiusdem sunt argumenti, ut Fragm. 72. Nam hic quoque agitur de fugitivis inopinato calamitatem urbi alicui inferentibus, cuius apertae essent portae, repleta arva cultoribus. Quum igitur superiore Fragmento res in universum narrata esset, hoc de singulari quadam urbe dicitur.

Fr. 75. [Deest ap. Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 187. ed. min. III, 76. p. 220, 13. Debr. III, 86.] Verba libro non indicato sunt apud Cledon. p. 1916. Putsch., ubi pro *Cossinius* corrupte legitur *Cossutius*, ut est in utraque ed. Gerl. Luculenta brevis Fragm. illustratio exstat apud Plut. in Crass. c. 9, med. *Δεύτερος ἐκπέμπεται*

76. Incidere in colonos Avellanos praesidentis agros suos.

77. . . . *ig*ni torrere, quibus praeter speciem bello

πρὸς αὐτοὺς στρατηγὸς Πούπλιος Βαρῖνος, οὗ πρῶτα μὲν ὑποστρατηγόν τινα Φούριον ἔχοντα δισχιλίους στρατιώτας ἐτρέψαντο συμβαλόντες· ἔπειτα σύμβουλον αυτῷ καὶ συνάρχοντα Κοσσίνιον ἀποσταλέντα μετὰ πολλῆς δυνάμεως ἐπιτηρήσας ὁ Σπάρτακος λουόμενον περὶ Σαλήνας μικρὸν ἐδέησε συναρπάσαι. Χαλεπῶς δὲ καὶ μόλις ἐκφυγόντος εὐθὺς μὲν ἐκράτησε τῆς ἀποσκευῆς κ. τ. λ. Fons a Sallustio commemoratus quum apud Plutarchum dicatur prope *Salenas* fuisse, vix dubitari potest, quin intelligendae sint *Salinae Herculeae* haud procul ab Herculaneo sitae, de quibus v. Colum. X, 135. coll. Mannert. Geogr. ant. IX, 1. p. 746. Fortasse apud ipsum Plutarchum scribendum *Σαλίνας*, quod Sintenisius non satis circumspecte damnat. Iniquo fato obnoxius Gerlachius Debrossio, in hoc Fragm. explicando *εὐστόχῳ*, adversatur ut imprudenti, eundem ubique superstitiose secutus, ubi ineptit.

Fr. 76. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr.— Gerl. ed. min. III, 103. p. 224, 19.] Fragmentum recens accedit ex cod. Gud. Arusiani v. *praesidet*, p. 252. ed. Lindem. *Coloni Avellani* quum sint, qui circa *Avellam* sive *Abellam* (nam utraque forma in usu fuit, v. Drakenborch. ad Liv. XXIII, 19, 4. Forbiger. Geogr. antiq. Vol. III. p. 742.) habitabant, quod fuit Campaniae oppidum, dubitari nequit, quin de servorum irruptione hic agatur, Campaniam, postquam a Vesuvio digressi erant, vexantium; cf. Flor. III, 20, 5. *Deinceps oram totamque pervagantur Campaniam.* — De potestate et constructione *praesidere* verbi v. ad Fr. II, 34.

Fr. 77. [Cort. p. 1013. Gerl. ed. mai. Inc. 166. 167. 168. 169. 170. 171. ed. min. III, 77. p. 220, 15 — 223, 13. Debr. III, 83. 84. 85. 87. 95. 96. 97. IV, 5.] Hoc nobilissimum Fragmentum duobus foliis discissis continetur, ex antiquissimo codice felici casu relicuis et in Bibliotheca Vaticana asservatis, de quibus accuratius in Praef. diximus. Verba Fragmenti, a prioribus editoribus pessime habita ac magis etiam obscurata, Theoph. Kreyssigius in Commentatione de C. Sall. Crispi Hist. libri III. Fragmm. Misenae 1835. 8. tanto acumine tantaque doctrina artisque criticae peritia ordinavit, emendavit atque explanavit, ut, quantum humanis viribus in tam difficili argumento effici possit, illum plene praestitisse, quibus verum iudicum est (nam imperiti ac dissoluti non audiendi sunt), uno ore consentiant. Quare, ne lectoribus glandes pro frugibus obtulisse arguamur, in his Sallustii reliquiis illustrandis Kreyssigii potissimum opibus utemur, cuius ingenio eae plus debent, quam ceteris editoribus

necessariam haud multo secus quam ferro noceri pote-

omnibus. In textu Fragmenti exhibendo lacunarum spatia, ne elegantiae typographicae officeremus, non plene indicavimus; quae qui cognoscere volent, eius rei copiam habebunt ex tabula lithographica, in calce huius editionis adiecta, in qua exemplum codicis Vaticani accuratissime describendum curavimus.

Particulam historiae belli Spartacii Fragmento contineri res ipsa loquitur. Ad *tertium* autem librum eam pertinere ut non difficile est videre, aliis quoque eiusdem argumenti Fragmentis ex eodem libro servatis, ita testimonio Nonii confirmatur, qui VI, 44. p. 456, 15. Merc. verba §. 15. *Ac statim fugitivi* etc. ex lib. III. Histor. laudat. De primo autem illius belli tempore hoc Fragmento agi ex eo patet, quod Varinius, statim post Clodium contra fugitivos missus (v. Plutarch. in Crass. c. 9, med.), Spartacum obsidere narratur, tum quod Crixus, aliquanto post a Gellio caesus, hic adhuc in Spartaci castris est, denique quod fugitivi adhuc in Campania morantes per iuga Picentina in Lucaniam prorupisse traduntur, quam deinde diutius vexabant ac depraedabantur. His de caussis locum huic Fragmento a nobis assignatum minime dubium putamus.

§. 1. *igni torrere, quibus*) Portenta scripturae priorum editorum, Bimardi NI IORRERE QUIT; — Dousae *m or Trequij*; — Putschii *m or trequii*; — Gerlachii ed. mai. *mor Trequii*, concide-runt cognita lectione codicis Vat. NITOR·ERE QUIB. Inde Kreyssigius coniecit *nitor aere, quibus*, hoc significatum fuisse putans, fugitivos hastis suis in ferri inopia *nitorem aere* addidisse. Sed id, si condicionem servorum spectas, valde erat inutile; neque residua particula lineae directae inter R et E potest pro vestigio A litterae haberi. Quare omissa et hac, et nostra coniectura, olim in Seebodii Bibl. crit. a. 1830. Vol. II. p. 503. proposita *gerebant pila praemunita aere, quibus* etc., unice verum putamus *igni torrere, quibus*, quo ducit tum Bimardi lectio, tum ipsum cod. Vat. vestigium. In idem inciderat iam Debrossius, quamquam sensum loci non assecutus; neque se improbaturum fuisse significavit Kreyssigius p. 31., si modo commode explicari et cum sequentibus apte coniungi posset. Puto posse. In antecedentibus enim hoc fere aut simile quid fuit: *Spartacus eos, qui iusta arma non haberent, iussit sudes* (i. e. rudes hastas de viridi arbore sectas) *igni torrere*. Quod ne parum latine dictum putes, ut Kreyssigio visum, confer Virg. Aen. IX, 743. *Ille rudem nobis et cortice crudo Intorquet summis adnixus viribus hastam*; ad quem locum Servius: „*cortice crudo*, inquit, i. e. viridi; nam hastae *igni* plerumque *torrentur*."

speciem bello necessariam) Bimardus habet S . . CIEM BELLO NECESSARIO; Dousa *sciem bello necessariam*: Putschius *s r ciem*

2 rat. At Varinius, dum haec aguntur a fugitivis, aegra

necessariam, omisso vocabulo *bello*, quod inde in omnibus edd. deest; cod. Vat. integre *speciem bello necessariam*. — *Praeter*, prout ratio substantivi cum hac particula iuncti vel aiens est, vel negans, aut accessionem sive coniunctionem eius rei cum altera, aut exclusionem sive disiunctionem designat. Quare, quia sudes igni duratae iustam belli speciem non habent, verborum sensus est *excepta specie*, vel *si discedatur a specie bello necessaria*; cf. Liv. XL, 6, 6. *Nec praeter ferrum quicquam defuit ad iustam belli speciem*. v. Hand. de Partice. lat. Vol. IV. p. 540 sqq. Krüger. Gramm. lat. §. 332. 2, c. not. 2. p. 441.

§. 2. *Varinius*) In hac nominis forma cum Sallustio consentit Appian. B. C. I, 116. et Frontin. de Strateg. I, 5, 22.; *Varinus* dicitur apud Plutarch. in Crass. c. 9. et Cic. p. Flacco c. 19. (ubi Orellius tamen *Varinius* recepit), *Varenus* in Livii Epit. XCV. Utrumque improbandum esse monuit Sigonius ad Livii l. l. et Drumannus Hist. Rom. Vol. IV. p. 75. not. 78. coll. Vol. II. p. 185. not. 23. Integrum ei nomen fuit *P. Varinius Glaber*. Praetor contra Spartacum missus rem continuo male gessit. — Pro *auctumni* in cod. Vat. est *autumni*, quam scribendi rationem minus probam (v. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I, 2. p. 452.) recipere noluimus. — *Auctumni gravitate*, i. e. pestifera auctumni intemperie. Caes. B. C. III, 2, 3. *Gravis auctumnus in Apulia circumque Brundisium — omnem exercitum valetudine tentaverat*. v. Duker. ad Liv. III, 6, 2. atque interprr. ad Horat. Od. II, 14, 15. et Sat. II, 6, 19. KREYSS.

quum severo edicto iuberentur) Pro *quum*, quod h. l. valet *quamvis*, ut infra §. 18., in cod. Vat. non scriptum est, quod exspectes, *quom*, sed *cum*. Idem pro *iuberentur* vitiose habet *iuverentur*, qua litterarum *b* et *v* permutatione nihil est etiam in antiquissimis monumentis frequentius; v. supra ad Fr. II, 50, 1. Schneideri Gramm. lat. Vol. I, 1. p. 227. Drakenb. ad Liv. II, 46, 2. Ex verbo *redeuntibus* autem ad *iuberentur* supplendum *redire*; cf. infra ad Frag. III, 82, 18. — *Edicti severitas*, qua milites Romani *ex postrema fuga* revocati esse dicuntur, haud obscure significare videtur, Sallustium non tam ad certamina, id quod Bimardus opinatur, a Clodio Pulchro, Furio et Cossinio cum fugitivis commissa, quam ad illud proelium respicere, ex quo Varinium ipsum, amisso equo et magistratus insignibus relictis, aegre elapsum esse Plutarchus Crass. c. 9. atque Appianus B. C. I, 116. testantur. KREYSS.

redeuntibus) In cod. Vat. est *deeuntibus*, quod, sive oculorum sive mentis errore ortum, iam Dousa vidit in *redeuntibus* mutandum esse. — *Relicui* pro *reliqui*, quod cod. Vat. habet, scripsimus aequabilitatis caussa; cf. ad Catil. c. III, 5. p. 21. Minus bene Dousa *detractantibus*, quod cod. Vat. praebet, mutavit in *detrectan-*

parte militum auctumni gravitate, neque ex postrema fuga, quum severo edicto iuberentur, ullis ad signa redeuntibus, et qui relicui erant, per summa flagitia de-

tibus. De usu antiquioris formae *detractare*, in codd. saepe obscuratae, v. Drakenborch. ad Liv. XXXVI, 15, 9. Garaton. ad Cic. Philipp. XIV, 14. Vol. II. p. 589. ed. Wernsd., et quae annotavimus ad Iug. c. LIII, 8. p. 294. — Pro *C. Thoranium*, ut in cod. Vat. est, Gerlachius in ed. min. imperite et vana miserabilis doctrinae ostentatione scripsit *G. Thoranium*: scilicet quum alicunde arripuisset *Gaium* scribi, non *Caium*, tamen ignoravit *Gaii* nominis notam sive compendium C esse, non G. cf. Quintil. I, 7, 28. Schneideri Gramm. lat. Vol. I, 1. p 232 sqq. Krügeri Gramm. lat. §. 13, 2. p. 9. Ceterum C. Thoranium eundem esse, qui triginta annis post a triumviris proscriptus et interfectus est teste Appiano B. C. IV, 12. Valer. Max. IX. 11, 5. Oros. VI, 18., Bimardi et Debrossii est coniectura, Kreyssigio quoque probata. — *Praesente* in cod. Vat. vitiose scriptum *presente*. — Idem pro *facillume* vulgarem superlativi formam *facillime* exhibet. — Pro *noscerentur*, *miserat* in cod. Vat. duplici librarii errore exaratum est NOSCERENTUMMISERANT, quo VV. DD. frustra se torserunt. Nam quum opinarentur plenum verbum esse *noscerent*, lacunam suspicati sunt, cuius rei *um* syllaba ex intercepto vocabulo residua documentum esset. Quare Dousa scripsit *noscerent ..... um miserant*: Putschius *noscerent ..... commiserant*; Freinshemius, propius ad verum accedens, *noscerentur in urbem miserat.* Sed non lacunosum esse locum et Bimardus dudum viderat, et cognito codice Vaticano abunde patuit. Quare in Bimardi certissima emendatione acquiescendum est, quam nollem Kreyssigium ita probasse, ut certiora se exspectare diceret. — Ceterum recte Niebuhrius cum Bimardo perspexit, C. Thoranium a P. Varinio non Romam ad senatum, id quod Dousa, Freinshemius, Brossius et Meisnerus existimaverunt, sed ad milites Romanos ex fuga dispersos missum esse, ut hos, quo in statu res essent, praesens edoceret. KREYSS.

§. 3. *et tamen*) Hae particulae referuntur non ad ipsa quae praecedunt verba, sed ad sententiam concessivam in tota periodo latentem. Qua quum nihil aliud contineatur, quam hoc, in summa militum ignavia nihil grave contra servos geri potuisse, verba *et tamen* etc. ita inferuntur, ut cogitatione supplendum sit: *quamquam res ita se habebat.* Apposite Kreyssigius comparavit Iug. c. XXXIX, 2. et LIV, 2. ubi v. quae annotavimus. — *Cum* praepositio in cod. Vat. vitiose scribitur *quom*, quas voculas interdum a librariis confusas esse notavit Hand. de Particc. lat. Vol. II. p. 171.

tractantibus militiam, quaestorem suum C. Thoranium, ex quo praesente vera facillume noscerentur, miserat;
3 et tamen interim cum volentibus numero quattuor *milium*,

— *Volentes* hic opponi *militiam detractantibus* Kreyssigius recte vidit. Quae sequuntur verba inde a *quattuor* voce valde obscura sunt ac dubia. In cod. Vat. enim primus versus dextrae columnae in pagina prima ita evanuit, ut tantummodo quintae, sextae atque septimae litterae quaedam vestigia supersint. Ex quibus quum Niebuhrius solam mediam U eruisset, Maius postea IUM deprehendisse sibi visus est. Praeterea idem in fine versus litteras RUM aut certe perspicua earum vestigia notavit, quod mihi vehementer suspectum est. Hae litterae enim non intra id spatium, quod scripturae destinatum fuit, sed extra illud in margine comparent, neque primo versui e recta regione respondent, sed aliquando demissiorem locum habent, secundo versui quam primo propiorem. Ad hoc accedit, quod, si ad primum versum pertinerent, necessario eius finem occupare deberent. Sed quum secundus versus incipiat a syllaba NIS, perspicuum est in fine versus primi non fuisse RUM, sed MAG, quo *magnis* efficitur. Quae difficultates quomodo et ortae et tollendae sint, sic mihi videor expedire posse. Scilicet vestigia trium illarum litterarum haud procul a primi versus initio non ducunt ad IUM, quod Maius putavit, sed ad RUM, ut cuivis patebit, qui tabulam codicis Vat. lithographicam inspexerit. Quae autem in margine leguntur eaedem litterae, non a librario codicis exaratae sunt, neque ad Sallustii textum pertinent, sed ab uno eorum, qui diu ante Maium haec Fragmenta descripserunt, margini appictae sunt, quo facilius isto modo formam litterarum in ipso versu primo residuarum extricaret. Hinc etiam factum est, ut Niebuhrius in apographo ad Kreyssigium misso nullam earum rationem haberet. His profligatis de explenda lacuna videbimus. De profectione Varinii contra fugitivos, qui castris se tenerent, hoc loco agi neminem fugit. Inde Kreyssigius in Fragm. Vaticani editione a. 1829 parata coniecit: „cum volentibus, numero quattuor *mil*lium, *pergit ad castra mag*nis operibus commun*ita*.“ Sed huic emendationi non solum obstat falsa ratio litterarum IUM, sed etiam *castra* sine genitivo posita, quae nude non possunt de fugitivorum castris dici aut intelligi. Idem postea in Commentat. a. 1835. edita sententiam suam ita reformavit, ut scribendum censeret: „cum vol. num. quat. *mil*ium, *pergit ad castra fugitivo*rum *mag*nis op. commun*ita*“, quam coniecturam Gerlachius in ed. min. recepit. Quae quamquam uno nomine priore praestat, tamen propter ea, quae supra de syllabis IUM et RUM monuimus, nullo modo ferri potest, ac praeterea eo

*servo*rum *castra petit mag*nis operibus commun*ita*. Deinde 4 fugitivi, con*sum*ptis iam alimentis, ne *prae*dantibus ex propin*quo hostis* instaret, soliti *more mi*litiae vigilias

incommodo laborat, quod, quum numerus litterarum in singulis versibus ita inter 18 et 23 fluctuet, ut nusquam 23 excedat, unus versus 34 litteras contineret. Quare probabiliora quaerentes Sallustium scripsisse putamus: cum vol. num. qual. M, *servo*rum *castra petit mag*nis op. commun*ita*; — quae coniectura sensu non differt a Kreyssigiana, sed eam formam habet, quae lacunae condicioni non repugnet. — De appositione *numero* vocis v. annotata ad Iug. c. LIII, 4. p. 291.

§. 4. *Deinde*) Haec particula significat non statim post Varinii adventum, sed interiecto aliquo tempore accidisse, quae de Spartaci fraude referuntur; v. Hand. Tursellin. Vol. II. p. 240. Quae sequuntur, Frontinus Strateg. I, 5, 22. ex hoc ipso Sallustii loco repetita hunc in modum enarravit: *Idem, quum a P. Varinio proconsule praeclusus esset, palis per modica intervalla fixis ante portam erecta cadavera, adornata veste atque armis, alligavit, ut procul intuentibus stationis species esset, ignibus per tota castra factis. Imagine vana deluso hoste copias silentio noctis eduxit.* KREYSS. *Praedantibus* idem verissime restituit ex P...DANTIB. Freinshemius inconsulte coniecerat *nec suppeditantibus*. — *Ex propinquo* cum Kreyssigio refero ad *hostis instaret*, quamquam id non exemplis, sed ratione niti censeo; nam ut plane non est, cur *praedantibus* accuratius attributo definiatur, ita timoris caussa in *propinquitate hostis* erat posita.

soliti more militiae) cod. Vat. SOLITIM . . . . . LITIAE, quod Kreyssigius egregie restituit, collato Sall. Iug. c. XLIV, 5. *Neque muniebantur castra, neque more militari vigiliae deducebantur.* ib. c. LIV, 1. *Metellus meritos in proeliis more militiae donat.* Tacit. Ann. I, 6, 2. *Nuncianti centurioni, ut mos militiae, factum esse quod imperasset, respondit.* — Maius scripsit *solitas militiae vigilias*: — Gerlachius, qui in ed. mai. *solitas militiae* dedit, omissa voce *vigilias*, Vol. III. p. 139. supina negligentia ac prorsus somniculose: „videtur, inquit, emendandum esse *stationes vigiliasque*.“ Lacunam STA.....Q· iam Bimardus recte explevit. *Vigiliae* noctu intra castra agebantur, *stationes* interdiu pro portis castrorum erant; cf. Fr. II, 63. — *Munia exsequi* Kreyssigius acute eruit ex lacunosis cod. Vat. vocibus MUNIA E....., quum ex Niebuhrii apographo MUNIA EA, et ex Bimardi lectione MUNIA ES coniecisset extremam litteram, quae in Maii editione plane deest, neque A neque S, sed residuam particulam X litterae esse. *Munia* hic

sta*tiones*que et alia munia ex*sequi*, secunda vigilia *si-*
5 *lentio* cuncti egredi*untur*. *Re*licto bucina*tore in ca*stris, et ad vigi*lum speciem* procul visen*tibus ere*xerant ful*ta*

simpliciter commemorata intelligenda sunt, quae apud Liv. IX, 3, 5. XLIV, 4, 10. *militaria munera*, XXVII, 9, 9. *munera militiae*, XXXII, 16, 15. *munera belli*, XXXVI, 31, 12. *munia belli* dicuntur. cf. Böttcheri Lex. Tacit. p. 146. De verbi *exsequi* usu cf. Sall. Cat. c. LX. 4. *Catilina strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur.* Liv. X, 19, 18. *Duces imperatoria opera exsequuntur.* Tacit. Ann. I, 11, 1. *Plures facilius munia reipublicae sociatis laboribus exsecuturos.* Qui loci omnes Kreyssigio debentur. Gerlachius in ed. mai. *explent* habet. — Lacunam unius vocabuli post *vigilia* Kreyssigius explevit *noctis* voce; et sane interdum ita dixerunt veteres, velut Liv. X, 40, 2. *Tertia vigilia noctis Papirius surgit.* id. XXV, 38, 16. *Tertia vigilia noctis silenti agmine ducam vos.* Sed quum haec vox ad rem plane otiosa sit, nobis persuasum est *silentio* potius excidisse, quod ad modum nocturnae profectionis declarandum longe est accommodatissimum, neque parum Frontini testimonio (*copias silentio noctis eduxit*) confirmatur. In idem iam inciderat Kreyssigius; sed quod putavit in hac sententia commutato verborum ordine *cuncti silentio egrediuntur* scribendum fuisse, quum *cuncti*, quo orationis subiectum denotatur, prius animo cogitantis sese offerat, quam *silentio*, quo modus egrediendi definitur, plane contra est; nam propter id ipsum, quod vis sententiae in attributo praedicati cernitur, *silentio* priorem locum occupare debet; cf. Krügeri Gramm. lat. §. 676. p. 928 sqq. — De adverbiali potestate *silentio* ablativi v. ad lug. c. LIII, 7. p. 293. ib. c. CVI, 4. *Sulla milites prima vigilia silentio egredi iubet.* cf. Grammat. lat. nostr. §. 129, 5. p. 392. — *Egrediuntur* iam Freinshemius e cod. vestigiis EGREDIU.... restituit. Puncto post hoc verbum opus esse optime vidit Kreyssigius; commate perquam imperite Gerlachius in ed. mai. interpunxit.

§. 5. *Relicto bucinatore in castris*) Cod. Vat. ....LICTOBUCINAT.....TRIS, quod Freinshemius restituit. De scriptura *bucinator* vocis non sollicitanda v. Schneideri Gram. lat. Vol. I, 2. p. 402. Drakenb. ad Liv. VII, 35, 1. Bucinatores interdum ad fallendos hostes solos in castris relictos esse Kreyssigius docuit coll. Caes. B. C. II, 35, 7. et Frontin. Strateg. I, 5, 17. — *Ad vigilum speciem* Kreyssigius verissime eruit ex vestigiis cod. Vat. ADUIGIL..... Freinshemius tentaverat *ad vigiliarum speciem*, quod quum litterarum multitudine versus modum excedit, tum per se falsum est. Nam quoniam de falsa virorum specie oculis obiecta agi-

palis fixis recentia *cadavera, et cre*bros ign*is fecerant. For*midini . . *Va*rini . . ti . . da . . . inviis convertere. 6

tur, necessario requiritur vocabulum, quo *homines* significentur, quibus falsa imago assimulari queat. *Vigiliarum* nomen autem, sicubi pro *vigilibus* dicitur, quoniam abstractum est, eam potestatem mentis vi, non oculorum ministerio accipit; unde sequitur *speciei* notionem, quae concreto tantum vocabulo convenit, non posse ad abstractum traduci.

procul visentibus erexerant) Cod. Vat. PROCULUISEN . . . . . XERANT. Haec quoque Kreyssigius feliciter expedivit ductus Frontini verbis I, 5, 22. *ut procul intuentibus stationis species esset.* Praeterea apte contulit Sall. Fragm. IV, 36. *Scyllam accolae saxum mari imminens appellant, simile celebratae formae procul visentibus.* Curt. V, 1, 34. Iustin. IV, 1, 18. — Freinshemius scripsit: *procul visenti cadaveribus, quae erexerant fulta palis*, quae ut alia taceam, versus modum longe excedunt. — In verbis *fulta palis fixis* a Kreyssigio nobis discedendum putavimus. Cod. Vat. quum habeat FULT....., *fulta* satis certum est propter *recentia* [*cadavera.*] Quoniam autem planum est ablativum excidisse, quo *fulta* participium definiretur, Kreyssigius *arboribus* in lacuna fuisse coniecit, ea voce *stipites* vel *palos* significari putans. Sed id nobis valde dubium est, neque Kreyssigius, alias in loquendi usu exemplis firmando diligentissimus, exempla attulit. Quare Frontino duce posuimus *palis fixis*, quae verba tum rei accommodatissima sunt, tum iustum versui ambitum praebent. Gerlachius in ed. mai. tantummodo *fulta* expressit, ablativo non addito. — *Recentia cadavera* Kreyssigius ex cod. Vat. vestigiis RECENTIAC . . . . . certa manu restituit. — Non minus acute idem ex residuis cod. Vat. litteris ...BROSIGN..... assecutus est apud Sallustium fuisse *et crebros ignis fecerant*, nisus Frontini verbis *ignibus per tota castra factis*, et coll. Sall. Iug. c. XCVIII, 6. *Dein crebris ignibus factis plerumque noctis barbari suo more laetari.* ib. c. CVI, 4. *Sulla in castris ignis quam creberrumos fieri iussit.* De simili strategemate comparavit Frontin. I, 1, 7. et 9. I, 5, 24. Polyaen. Strat. III, 9, 50. III, 11, 15. VII, 11, 4. Liv. XXXI, 38, 10. Prudenter quoque idem monuit cavendum esse, ne quis ex cod. vestigiis suspicetur scriptum fuisse *crebro signum datum*, vel simile quid. Nam quum bucinatoris esset singularum initia vigiliarum indicare, non crebro id, sed quater tantummodo per noctem fiebat; neque, quod re ab hoc loco prorsus abhorret, cum orationis universa conformatione potest conciliari.

§. 6. *Formidini*) Quum ex hoc versu in cod. Vat. nihil super-

7 At *Var*inius multa iam luce *desi*derans solita a fugi-
tivis convicia et in ca*stra* coniectus lapidum, *ad hoc*

sit, quam ...MIDINI, quod fuisse *formidini* facile intelligitur, ex sequente ..RIN..., quod ad *Varinii* nomen ducit, ex tertio ...TI, unde nihil elicias, imus autem in paginae primae columna secunda et summus in paginae secundae columna prima toti perierint, de explenda tanta lacuna cogitare non licet. Quare nihil potest constitui, quam in hac, quae intercidit, particula adhuc de discessu clandestino fugitivorum, formidine Romanorum adiuto, dictum esse, id quod colligitur tum ex postremis interceptae periodi verbis *inviis convertere*, tum ex *at* particula initio sequentis posita, qua significatur ad rem vel personam transiri priori contrariam.

inviis convertere) Ita cod. Vat. — Niebuhrius minus accurate legit INITIIS CONUERTERE S..; Bimardus IN,..SCONUERTERENT. Gerlachius quum in ed. mai. scripsisset *in s. converterent*, Vol. III. p. 140. admodum ingeniose magnoque adhibito acumine coniecit *in se converterent*. — Pro *inviis* Maius dedit *in viis*, quod, quaecunque fuit orationis interruptae structura, nullo modo cum *convertere* verbo conciliari potest. Consentaneum est in antecedentibus fuisse regionis vel loci nomen, quo fugitivi se *itineribus* vel *saltibus inviis convertere*.

§. 7. *At Varinius*) Cod. Vat. AD...INIUS. Oscitantia librarius scripsit *ad* pro *at*, quem errorem iam Maius perspexit. *Varinius* explevit Niebuhrius. — *Multa iam luce*, i. e. postquam multum diei processerat, ut Sall. Iug. c. LI, 2. loquitur; cf. Tacit. Hist. V, 22, 5. II, 44, 2. Caes. B. G. I, 22, 4. Liv. III, 60, 8. Eius contrarium est *multa nocte*; cf. Cic. Epp. ad Q. Fr. II, 9. Q. Cic. de Petit. cons. c. 13. Liv. XXXV, 4, 5. Tacit. Hist. III, 77, 1. KREYSS.

desiderans solita a fugitivis convicia) Cod. Vat. ...DERANSSOLITAAFUGI.....CONUICIA; — Bimard. ....DERANS SOLITA A FULI.....ONO ACTAE. Verba feliciter restituit Kreyssigius, quamquam de verbo *desiderans* immerito sibi diffidens. *Desiderare* enim non solum dicitur de iis, quae abesse dolemus, vel requirimus, sed latiore sensu etiam significat *animadvertere*, *aliquid, quod fieri solet*, *non amplius fieri*, quae duplex vis pariter in vernaculo *vermissen* inest; cf. Caes. B. C. III, 9, 6. *Salonenses*, *pueris mulieribusque in muro dispositis ne quid quotidianae consuetudinis desideraretur*, *ipsi — in proxima Octavii castra irruperunt*. — *Convicia solita a fugitivis* intellige *fieri*. — Pro *desiderans* Maius dedit *considerans*, sensu alieno. — *Et in castra coniectus lapidum* Kreyssigius verissime exhibuit ex cod. Vat. ETINCAS ....ONIECTUS LAPIDUM. Bimardus in legendo codice sic aberravit: ET IN

strepitus tumul*tuosi* sonores undique *ruenti*um, mittit equites *in tumul*um circum pro*minentem*, ut explorarent *fugitivos*, propere vesti*gia secu*tos credens lo . . *to*to ta- 8

CASS.....NI ICTUS SI ARIDUM; quo seductus Maius verba perperam explevit: et *in cassum conicctus lapidum.*

ad hoc strepitus tumultuosi sonores) Cod. Vat. scripturam Niebuhrius sic enotavit: .... C STREPITUS TUMUL ..... I SONORES; Maius .... STREPITUS TUMUL .... SONORES; Bimardus .... STREPITUS TUMUL .... I CON. NON. Ex residua littera C, quam Niebuhrius solus animadvertit, Kreyssigius primo conieceral *ad haec* a Sallustio scriptum esse; sed deinde *ad hoc* rectius iudicavit, quod unice probamus, non tam quia quattuor litterarum spatium lacuna prodere videtur, ut ille censet, sed quia loquendi usus id exigit, quo de exposuimus ad Catil. c. XXXI, 8. p. 148. Idem ex I littera, quam et Niebuhrius et Bimardus in codice legerunt, summa probabilitate suspicatus est abruptam vocem TUMUL .... I integram fuisse *tumultuosi*. — Maius, nulla singularum, quae restant, litterarum ratione habita, locum sic supplevit: *vocum strepitus, tumultuantium sonores*, quod nemo neque fide externa, neque constructione, neque sensu melius putabit. — Verba proxima cod. Vat. sic habet: UNDIQ.....UM. Sagaciter Kreyssigius assecutus est in lacuna *um* syllaba terminata participii genitivum latere; sed quod primo coniecit *praedantium*, propterea ferri nequit, quod paullo ante (§. 4.) dictum est fugitivos timore hostium ex propinquo instantium praedatione abstinuisse. Postea tentavit *ruentium*, explicans *castrorum portis occursantium*. Nobis magis placeret *concurrentium* vel *accurrentium*, quia persuasum est agi de tumultuosis clamoribus servorum, qui dominis relictis quotidie *ad Spartacum undique confluerent* eiusque exercitum augerent; sed quia sic versus 27 vel 26 litteris constaret, quod fieri nequit, in verbo *ruentium* acquiescendum puto, quo accommodatius, quod versum non excedat, non reperio. — Maius, vacuo post *undique* spatio relicto, *sum mittit equites* scripsit, quod de *explorando* latine non dicitur. KREYSS.

in tumulum circum prominentem) Cod. Vat. quamquam nihil habet praeter .... UMCIRCUMPRO ...., tamen apertum est in lacuna ante CIRCUM locum fuisse indicatum, quo Varinius equites mitteret. Vix autem aliud succurrit, quam quod a Kreyssigio propositum in textu expressimus, vel quod ipsi olim coniecimus *in montium circum prominentia*, i. e. in montes prominentes, qui circum erant. — Gerlachius Vol. III. p. 391. Sallustium *mittit equites sociorum circum propinqua loca* scripsisse minus recte

men ag*mine* . . pavens se . . . m dupli . . . tumas . . .
ga . . *Post* aliquot dies contra morem fiducia augeri
nostris coepit et promi lingua. Qua Varinius contra spe-

existimavit, quum vocabulum *sociorum* lacunae spatium non expleat, et verba *propinqua loca* illud excedant, neque probabile sit Varinium integras sociorum alas, si quidem habuit in exercitu raptim conscripto, exploratum misisse. KREYSS. — Post *explorarent* quid exciderit, etiamnum nihil reperio melius, quam quod olim conieci *fugitivos*, Kreyssigio quoque non improbatum, nisi dubitaret latine dici posse *hostes explorare*. Sed quum *explorare* saepissime absolute positum significet *rerum status et condicionis cognitionem petere*, quemadmodum obiecto addito Sallustius dixit Iug. XXXV, 5. *Itinera egressusque eius, postremo loca atque tempora cuncta explorat*, vel Cicero p. l. Man. 12, 34. *Pompeius Africam exploravit*, sic etiam *fugitivos explorare* dici potuit, i. e. explorare, ubi fugitivi essent aut quo abiissent.

§. 8. *propere vestigia secutos*) Quae sequuntur, lacunis quovis versu auctioribus, ita comparata sunt, ut nullo pacto, quae exciderunt, suppleri possint. Verba cod. Vat. PROPEREUESTI ..... Kreyssigius explevit *propere vestigia secutos*: — Maius *propere vestigarent fugitivos*. — *Toto tamen agmine* Kreyssigius eruit ex cod. Vat. vestigiis .. TOTAMENAG.....; Niebuhrius legerat .... OLAMENAG ....; Bimardus .... OTAMENAG .... Gerlachius Vol. III. p. 391. coniecit *loco consedisse occulto*. — Cetera in tabula cod. Vat. lithographica inspiciantur. Quod ad sententiam attinet, quae hoc lacunoso loco continebatur, quoniam §. 9. et sqq. Varinium fugitivis rursus instantem videmus, apparet Sallustium narrasse Varinium, in magno adhuc timore versantem, quum fugitivos clam abiisse cognovisset, eos tamen insecutum esse, ac rursus castra contra posuisse.

§. 9. *Post aliquot dies*) Cod. Vat. ... *aliquod dies*, quod iam Dousa emendavit. Librarium eadem oscitantia, qua §. 7. *ad* scripsit pro *at*, hic *aliquod* exarasse pro *aliquot* in promptu est. — Pro *augeri nostris* Bimardus vitiose habet AUGERINUS TRIS; idem statim post ET PROMI LINGU, quia in cod. A littera cum C in unam figuram coaluit. — *Promere linguam* explicavimus ad Iug. c. XLIV, 1. p. 251.

§. 10. *Incaute*) Cod. Vat. INCAUTAE, quo modo interdum peccatur a librariis. Correxit Dousa. — *Incognitosque*, pro quo Bimardus habet INCOGNITOQ., significat *qui quales futuri essent, nondum cognoverat*, sive *nondum probatos*. — *Perculsos* quam vim habeat patebit ex annotatis ad Catil. c. VI, 4. p. 34. — *Tamen* re-

etatam rem incaute motus novos incognitosque et aliorum casibus perculsos milites ducit tamen ad castra fugitivorum presso gradu, silentis iam, neque tam magnifice sumentis proelium, quam postulaverant. Atque illi 11

fertur ad sententiam condicionalem sive concessivam, quae in praecedentibus inest, de qua orationis forma iam diximus ad §. 3. — *Presso gradu*, i. e. lento. Liv. XXVIII, 14, 14. *Scipio Hispanos presso gradu incedere iubet*, cui ibidem §. 17. *citato gradu in hostem ducere* opponitur, ut alibi *pleno gradu*, de quo v. Drakenborch. ad Liv. IV, 32, 10. Sic etiam Liv. VIII, 8, 9. *pede presso* et Ovid. Met. III, 17. *presso gressu* legitur. KREYSS. — Accusativi *silentis* et *sumentis* hac terminatione exstant in cod. Vat ; cf. ad Catil. c. I. 1. — *Sumere proelium*, i. e. *inire, incipere:* cf. Tacit. Hist. II, 42. IV, 34, 5. Eodem modo Sallustius dixit *bellum sumere*, Iug. c. XX, 5. LXII, 9. LXXXIII, 1. — *Magnifice* non cum Kreyssigio explicaverim *gloriose, iactanter;* quia enim *verborum fortitudini* non respondebat *fortitudo re probanda*, *tam magnifice* simpliciter est *tam conspicua insignique virtute.*

§. 11. *certamine consili*) Cod. Vat. CERTAMINECONSILII; — Niebuhrius legit CERTAMINI CONSILII. Dousa, qui idem legerat, inde fecit *certamini conscii*, de qua perversa coniectura longe perversissima exstat annotatio Gerlachii Vol. III, p. 139., cuius nugas merito castigavit Kreyssigius. Verborum sensus est: *quum de incundo consilio dissentirent et inter se certarent.* Genitivum *consilii*, quam formam cod. praebet, aequabilitatis caussa, quam in orthographia sequendam putamus, in *consili* mutavimus; v. ad Cat. c. I, 3. — Pro *iuxta* in cod. Vat. frequenti scribendi lapsu (cf. Drakenb. ad Liv. V, 6, 18. XLI, 6, 10.) est IUSTA, quod iam Dousa emendavit. *Iuxta seditionem erant* significat *haud procul seditione aberant*, ut Livius VIII, 32, 13. loquitur. Tacit. Ann. VI, 13, 1. *Gravitate annonae iuxta seditionem ventum.* — Pro *ultro offerre* librarius oscitanter in cod. Vat. scripsit ULTROFERRE, oculis duplicatione litterarum OOFF deceptis, de quo vitii genere haud raro obvio v. Drakenborch. ad Liv. XXXIX, 6, 2. et Kreyssigium in Commentat. ad haec Fragmm. p. 81. Errorem iam Dousa correxit. *Pugnam offerre* per se patet esse *pugnae copiam facere.* — *Contra Spartaco* non plene exstat in cod. Vat., qui tantummodo habet CONTRASPARTA.. Eo Dousa contineri putavit *contra Spartacum*, ut Gerlachius in ed. mai. scripsit, haec verba coniungens cum praecedentibus *offerre pugnam cupientibus;* sed verissime Kreyssigius atque Maius perspexerunt Sallustium scripsisse *contra Spartaco*, constructione ablativorum absolutorum in bimembri oratione continuata,

certamine consili inter se iuxta seditionem erant, Crixo et gentis eiusdem Gallis atque Germanis obviam ire et
12 ultro offerre pugnam cupientibus, contra Spartaco . . ni secum . . ne qua . . ad id tempus . . mque seclu . . m

cuius ratio haec est: illi iuxta seditionem erant, *Crixo — atque Germanis* obviam ire *cupientibus*, contra *Spartaco* proelium *dissuadente*, etc.

§. 12. Quae hac paragr. continentur verba, ita obscurata sunt, ut, quum columnae quintae et octavae media pars plane exciderit, in singulorum versuum initio tantummodo quinque sexve litterae, in fine autem pauciores etiam supersint, raro in integrum vocabulum coëuntes. Nihilominus sententia totius loci non ita recondita videtur, ut non in universum certe definiri possit. Undecim primis enim versibus continetur sermo Spartaci contra Crixum, quo docuit iusta pugna abstinendum esse, idque agendum, ut oppressis hostibus et extinctis ex Italia in patriam quisque suam perrumperent. Haec verba obliqua oratione esse concepta intelligitur quum ex vestigio coniunctivi . . . *asset* versu 8., tum ex postrema enunciationis parte versu 10. et 11. *aliam* . . . . . *capiendam*. In sequentibus expositum, quam varie Spartaci oratio a prudentibus, a stolidis et a vulgo servorum excepta fuerit. Haec non sine aliqua probabilitate supplevisse nobis videmur, ita tamen, ut singula verba praestare nolimus; in superioribus ultra paucarum vocum restitutionem progredi non valuimus.

ni secum) Cod. Vat. NISECU . . . . Kreyssigii coniectura, quam in textu expressimus, non minus incerta, quam si suspiceris *secu* particulam esse *secutus* participii. — *Ad id tempus* inesse in scriptura cod. Vat. . . DIDTEMP . . . Kreyssigius recte sensit. — In vestigiis cod. . . . MQ·SECLU . . . inesse verbum *secludere* idem assecutus est. Fortasse fuit *cumque seclusum*, quod ad Varinium pertinuit. — Litterae . . . *m et extin* . . . . ducunt ad *extinguere* verbum, quod sive participium fuit, sive finitum, de Varinio dictum puto. — Syllabae . . . . *asset haud* aperte leguntur in cod. Vat., qui habet . . . AS—SETHAU . . .; Maius tamen scripsit IS. SED HAUD. — Ad quae verba pertinuerint syllabae . . . . *aque quamc* nemo dixerit. — Quae sequuntur verborum reliquiae quoniam extremam Spartaci orationem continent, ut patet ex mutata sequentium constructione, in cod. Vat. vestigiis . . UDALIAM . . . . . APIENDAM latere suspicor *haud aliam ipsis spem capiendam esse*. — API syllabam, cuius prima littera non plene exstat, Niebuhrius falso legit SPE.

Sed pauci prudentes) In fine versus 11. nihil superest quam PRU, quod cum initio versus 12. bene coit in *prudentes*. Cui vocabulo quod praemisimus *sed pauci*, non improbabunt, qui nobiscum

et extin . . . . l curam . . . asset haud . . aque quame . . haud aliam *ipsis spem capiendam esse. Sed pauci* prudentes *ingenuique animi* nobile *studium gerunt*, laudantque, *quod suaserat facere*; pars stolida *ac levis*, ad-

in eo consentient, novam hinc eamque praecedenti adversativam incipere periodum, neque sententiam aut lacunae spatium supplemento nostro obstare. — *Ingenuique animi* ut scriberemus, permoti sumus residua in fine versus 12. ... MI syllaba, quae indicio est *animi* in cod. fuisse, quod cum adiectivo coniunctum potestate attributiva ad *pauci* subiectum pertineret. Homines autem *ingenui animi* i. e. generosioris indolis recte cum *prudentibus* componi, nemo, opinor, dubitabit. — *Nobile studium gerunt*, quod tentavimus, eo maxime nititur, quod ex *que* particula *laudant* verbo addita patet aliud praecessisse praedicatum; rursus ex *nobile* adiectivo colligitur verbum, quod intercidit, cum obiecto fuisse coniunctum. Aliud autem, quam id, quod posuimus, quum vix reperiatur, in sententia satis commoda acquiescendum putavimus, cui neque lacunae spatium, neque dicendi usus refragatur; nam quemadmodum dicitur *gerere animum*, *curam*, *morem*, *amicitiam*, *odium*, ac similia, sic etiam dici posse *gerere studium* in promptu est.

quod suaserat facere) Ex RE syllaba, quae in fine versus 14. superest, satis probabiliter coniicias infinitivum ibi fuisse; quem quum necesse sit cum iis, quae ei adhaererent, obiectum *laudant* verbi continuisse, hoc certe iis praestatur, quibus lacunam explevimus, quamquam facile concedo etiam aliud a Sallustio scribi potuisse. — Versu 15. iam Kreyssigius ex vestigiis PARSSTO .... assecutus est *stolidos* in textu fuisse, qui *prudentibus* opponerentur. Idem litteras ...TS, quae in fine versus sunt, ex ES vel IS corruptas esse bene vidit. Nos, eadem re animadversa, locum ita refinximus, ut *pars stolida ac levis* scriberemus, quibus verbis novae enunciationis subiectum, *prudentibus* oppositum, continetur. — *Adfluentium* facilis est ex ADFLUENT . . . emendatio, quum versu 17. AU ..... litterae dubitare non sinant, quin AUXILIO lectum fuerit. — *Undique*, quod addidimus, quam et rerum condicioni et lacunae spatio (quippe UNDIQ· scriptum) conveniat, planum est. Neque *firmo* admodum dubium, quum ..MO supersit. — Quae sequuntur *suae patriae inmemor esse* tum emendationis facilitate, tum ipsius sententiae, opinor, veritate commendantur. Videtur enim Spartacus de reditu in patriam, cuius ipse desiderio summo tenebatur, servos commonuisse; sed quum illi stolidi ac leves nihil eo ad sanum consilium sequendum moverentur, satis iam tutos se esse rati, facile intelligitur, cur *patriae immemores* fuisse dicantur.

fluen*tium undique firmo* fidens au*xilio*, *su*ae patriae in-
me*mor esse; plu*rumi servili *ingenio* ultra prae*dam nihil*
13 *cogitare. Ita irritum fuit Spartaci* con*silium*, *quod in tali*

plurumi servili ingenio) Quum in cod. Vat. adhuc supersit ...RUMISERUIL...., dubium non est, quin quattuor primae litterae ex superlativo supersint. Quodsi reputaveris praecessisse *prudentes*, — *pars*, certum videtur hic fuisse *plurumi*, quo partitio plena perficitur. In SERUIL . . . autem non *Servilii* ducis nomen latet, ut Gerlachius Vol. III. p. 389. satis inperite coniicit, sed *servilis* adiectivi casus aliquis. Quare *servili ingenio* a Sallustio scriptum fuisse non minus certum putamus, quam *plurimi*, si modo in sensu sequentium verborum assequendo verum tetigimus. Servilis enim ingenii quum sit furari, rapere, praedari, ex codicis Vat. vestigiis ULTRA PRAE... sponte elicitur *ultra praedam*. Quae verba quum postulent negationem subiici, rursus necessitate quadam ad supplementum *nihil cogitare* ducimur. *Praedam cogitare*, vel *ultra praedam nihil cogitare*, quam recte et ad sententiam huius loci accommodate dicatur, intelligitur coll. Cic. in Catil. II. 9, 20. *Desinant furere ac proscriptiones et dictaturas cogitare.* — Obiter monemus Niebuhrium in duobus postremis versibus columnae quintae eruendis minus quam Maium felicem pro SERUIL...ULTRAPRAE .... legisse SERUU...IUMPRAE. Ad hunc ipsum locum respexisse videtur Plutarchus in Crasso c. 9, p. med., qui, quamquam narrationem de singulis Spartaci pugnis atque consiliis coartans, haec refert: *Ἤδη μὲν μέγας καὶ φοβερὸς ἦν, ἐφρόνει δὲ τὰ εἰκότα, καὶ μὴ προσδοκῶν ὑπερβαλέσθαι τὴν Ῥωμαίων δύναμιν ἦγεν ἐπὶ τὰς Ἄλπεις τὸν στρατὸν, οἰόμενος δεῖν ὑπερβαλόντας αὐτοὺς ἐπὶ τὰ οἰκεῖα χωρεῖν, τοὺς μὲν εἰς Θράκην, τοὺς δ' εἰς Γαλατίαν. Οἱ δὲ πλήθει τε ὄντες ἰσχυροὶ καὶ μέγα φρονοῦντες οὐχ ὑπήκουον, ἀλλ' ἐπόρθουν ἐπιπορευόμενοι τὴν Ἰταλίαν.*

§. 13. *Ita irritum fuit Spartaci consilium*) Primus columnae sextae versus totus intercidit, ex secundo tres tantum primae litterae CON .... supersunt. Quae lacuna licet maior sit, quam quae certo expleri possit, tamen iusta cogitandi ratio ostendit, aliquam sententiam a Sallustio fuisse positam, qua praecedens narratio de certamine consilii inter fugitivos plane absolveretur. Quare tentavimus: *ita irritum fuit Spartaci consilium*, quocum bene congruunt cetera, quibus secundum versum supplevimus: *quod in tali re optimum videbatur.* — Aliam viam ingressus est Maius, qui primi versus lacunam non attingens ex codicis vestigiis CON..... TIMUMUIDEBATUR coniecit *consilium profecto optimum videba-*

*re op*timum videbatur. Deinceps monet in *l*axiores agros 14
magisque pecuarios ut egrediantur, ubi, priusquam refecto
exercitu adesset Varinius, augeretur numerus lectis viris;

tur. Neque Kreyssigium verum assecutum esse putaverim, qui proposuit *consilium capit, quod optimum videbatur.* Nam si ad antecedentia refers, ibi non de capto consilio dici potuit, quod fere omnes reiicerent; sin ad sequentia trahis, ei rei repugnant verba *deinceps monet*, quae ita comparata sunt, ut nequaquam iam captum consilium declarent. Praeterea monendum videtur, si cui nostra coniectura eo displiceat, quod secundus versus XXIII litteras continet, pro *in tali re* facili negotio neque sensu multum mutato *tunc* scribi posse. — Hoc quoque loco Niebuhrius minus perspicax quam Maius pro ... TIMUMUIDEBATUR legit ... TIMU UUIDI. ..MA; Bimardus vero multo deterius TIMILIRUIT.

§. 14. *Deinceps monet*) Haec verba documento sunt, Spartacum, quum id, quod vellet, efficere non potuisset, aliud tentasse. Voluerat autem fugitivos in castris se tenere et pugna tum abstinere. Hoc illis abnuentibus, quo a committendo proelio eos avocaret, locum subito mutandum censuit et ex montium saltibus et angustiis in loca plana et fertilia concedendum. — Pro *laxiores* in cod. Vat. evanidâ primâ litterâ et falsa terminatione est . AXIO-RIS, unde Kreyssigius veram scripturam recte elicuit, *agros laxiores* explicans *ampliores* sive *spatiosiores*, coll. Columella 1, 3. ubi *laxus ager* opponitur angusto. Niebuhrius legit .AXIOAIS. — *Pecuarios* ita praestat cod. Vat., ut omissa A littera minore forma supra U posita appareat PECURIOS. Niebuhrius et Bimardus habent PE . URIO; Gerlachius in ed. mai. *in ..... agros malisq. pe....urio.* — *Agri pecuarii*, i. e. *boni pecori*, ut Sallustius Iug. XVII, 5. loquitur, sive *rei pecuariae aptos, ideoque armentis gregibusque abundantes*; cf. Liv. XXIX, 31. ubi mons *pecori bonus alendo* describitur. *Agros* tamen praeter Sallustium nemo scriptorum latinorum *pecuarios* dixisse videtur. KREYSS. Sed quemadmodum Caes. B. G. I, 10, 2. dixit *loca frumentaria*, ita Sall. *agros* vocavit *pecuarios*. — Pro *egrediantur* in cod. Vat. vitiose est EGREDIANTOR; Niebuhrius tamen coniunctivum exhibuit. — *Refecto exercitu* praebet cod. Vat.; Bimardus, quum falso legisset RELIGIO EXERCITU, inde coniecit *reliquo exercitu.* Quum apud Livium III, 10, 8. *reficere exercitus* idem significet, quod *exercitus supplere*, atque VIII, 36, 8. *refecto exercitu* sit idem, quod *exercitu ex vulneribus recreato*, dubium videatur, quo sensu Sallustius exercitum Varinii *refectum* dixerit. Sed si ea, quae supra §. 2. de Varinii militibus narrantur, cum hoc loco contuleris, *refecto exercitu*

et propere nanctus idoneum ex captivis ducem Picentinis deinde Eburinis iugis occultus ad Naris Lucanas, atque inde prima luce pervenit ad Anni Forum, ignaris culto-

milites partim in supplementum additos, partim ex morbo recreatos denotari, facile intelliges. KREYSS. — *Adesset* i. e. rursus sibi *instaret*, v. ad. lug. c. L, 4. p. 283. Bimardus habet ADESSE.

augeretur numerus lectis viris) Cod. Vat. AUGER.TUR NUMERUSLECTISUIR..; Bimardus AUGER.TUR NUMERO SELECTIS UIR.. Verba codicis, si discedas ab evanidis litteris E et IS, per se satis plana Kreyssigius falso ad Varinium retulit, nescio quo errore in eam opinionem delatus *augeretur* pariter atque *adesset* pendere ex *priusquam* particula, ac *lectis viris* significari robur exercitus Variniani. Neutrum fieri potest. Nam *verba augeretur numerus lectis viris* ex *ubi* pendent, Spartacique consilium declarant, cur suos vellet in laxiores agros magisque pecuarios egredi. Huic finali sententiae, ex *ubi*, i. e. *ut ubi*, suspensa, interposita est temporalis enunciatio per *priusquam* illata. *Lecti viri* autem non sunt *robur exercitus*, sed servi validi, strenui et ad pugnandum apti, quos Spartacus sperabat ex cultiore et magis pecuaria regione frequentes ad se conventuros ac *suorum numerum aucturos*. Quae quum ita sint, patet post *viris* non posse commate interpungi, quod fecit Kreyssigius, ac multo peius Gerlachium omnem omisisse interpunctionem, quasi uno tenore omnia decurrerent, sed maiore opus esse distinctione, qua sequentia, quibus moniti continetur executio, a monito ipso disiungantur. Hanc totius loci rationem iam perspexerat Maius, et ante hunc Garatonius ad Cic. p. Flacco c. 13. Vol. VIII. p. 182., quamquam is haud dubie manca codicis scriptura seductus pro *augeretur numerus* scripsit *augetur numero*, et rursus post *egrediantur* falsam semicoli interpunctionem posuit.

nanctus) Ita cod. Vat. Hoc ab editore Divionensi in *nactus* temere mutatum est. Similiter in cod. Vindob. Livii XLII, 48. *nanctus*, XLIII, 16. *nancti sunt*, et XLIV, 5. *nanctis* legitur. KREYSS. v. supra ad Fr. III, 41. — Pro *idoneum ex captivis ducem*, quod cod. Vat. praebet, Bimardus habet *idoneum et callivis ducis*: similiter Freinshemius *idoneos ex callibus duces*. — *Picentinis, deinde Eburinis iugis* lectio est cod. Vat. Bimardus dedit *et centinis deinde Ebur nis iugis*; — Garatonius l. l. *Picentinis, deinde Eburianis iugis*. De hoc loco Gerlachius Vol. III. p. 141. multa, ut solet, nugatur. Primum quod Eburinos Plinio teste H. N. III, 15. in *media* Lucania fuisse dicit, ne verbum quidem verum est, quum ex eo, quod Plinius Eburinos statim post Bantinos nominat, clare intelligatur, eos prope Bantiam in ipso agri Picentini confinio fuisse, quod idem ex

ribus. Ac statim fugitivi contra praeceptum ducis rapere 15
ad stuprum virgines matronasque. Et alii civium obvium

Sallustii verbis patet. Tum *Eburnianos montes* fingens inde *Alburnis iugis* emendandum duxit, frustraque de Alburno monte disputat. Denique miserandum in modum multa doctrina multoque acumine adhibito eo devenit, ut rem in medio relinqueret. „Tanta est in Gerlachio inconstantia mutabilitasque mentis, cum iudicii perversitate coniuncta.“ KREYSS. — *Ad Naris Lucanas* in cod. Vat. est ADN.RISLUCANAS; nomen loci, quod etiam comparet in Tabula Peutinger. Segm. VI., restituit Freinshemius et Bimardus. — *Anni Forum* alias non cognitum est. Freinshemius substituit *Popili Forum*, quod Gerlachius in ed. mai in *populi Forum* corrupit. — Pro *cultoribus* Bimardus et Gerlachius in ed. mai. habent *cul..rib.* — Quamquam alibi, v. c. apud Liv. XXVIII, 11, 9. Sall. Iug. c. XLVI, 5. XLVIII, 4. Hist. Fr. III, 74. agri cultores sive agricolae absolute *cultores* dicuntur, hic tamen eodem vocabulo *incolas* significari nemo dubitabit. V. Drakenborch ad. Liv. XXVIII, 28, 6., et locis ibi laudatis adde XXIV, 10, 12. Sall. Iug. c. XVII, 7. Hist. Fr. I, 86. III, 34. KREYSS.

§. 15. *Ac statim fugitivi — matronasque*) Totum hunc locum accurate ita, ut in cod. Vat. exstat, refert Non. VI, 44. p. 456, 15. Merc. ex Histor. libro III. — Pro *ad stuprum virgines matronasque* in cod. evanidis paucis litteris est ADSTUPRUMUIR . . NESMATR . . ASQ ·; — Niebuhrius sic legit: ADSTUPRUMUIRG . NESMATR . . . . SQ; Bimardus corruptius AD SE UIRUM UIR . . NES MATR . . . . In extremo vocabulo Freinshemius *matres* latere suspicabatur; neque Kreyssigius olim id improbaverat, quia *matrum matronarumque* vocabula haud raro promiscue usurpantur, velut Liv. XXVI, 13, 15. *Nec rapi ad stuprum matres Campanas, virginesque et ingenuos pueros.* Id. XXIX, 17, 15. Sall. Catil. c. LI, 9., sed postea consensu Nonii cum cod. Vat. permotus nihil mutandum censuit. — Residuae in ultimo columnae versu litterae . . . ETALIIC, quas Niebuhrius minus accurate legerat ETELUC, expleri nequeunt, versibus duobus sequentibus interceptis. Hoc tantummodo patet verbis *et alii* respondere infra §. 17. *alii in tecta iaciebant ignis.*

§. 16. *nunc restantes ei illudebant*) Hic locus usque ad *omittentes* satis difficilem explicationem habet, quum non solum propter defectum duorum primorum in columna septima versuum plurima obscura sint, sed ipsa scriptura constructio et interpunctio eorum, quae supersunt, in nonnullis dubia videatur. Columna septima sextam continuo excipiente hoc planum est, narrari a Sallustio quanta crudelitate et quam incredibili nequitia fugitivi miseros oppidanos, quos invaserant, vexaverint. Verissime enim Kreyssigius p. 102. monuit,

quemque promiscue caedere, atque nunc restantes ei illudebant simul, nefandum in modum perverso volnere, et

haec omnia, quae in utroque Fragmento memoriae prodita leguntur, neque Nolae, neque in Popilii Foro, neque Metaponti, ut Freinshemius, Bimardus et Debrossius opinati sunt, sed in eo Lucaniae oppido, quod Anni Forum vocabatur, a fugitivis perpetrata esse, ac rursus nugas agere Gerlachium, qui Vol. III. p. 101. et 138. insigni acumine suo nihil eruerit, quam haec in urbe *aliqua* esse facta. Quale vero facinus patratum fuerit, et in quem vel in quos, sequentibus enucleabimus.

nunc restantes ei illudebant) Cod. Vat. . UNCRESTANTESETILLUDEBANT; — Niebuhrius .INCRESTANTESEILLUDEBANT; — Bimardus INGRES TANT ESE ILLUDEBANT; — Dousa *ingres tante set vi debacrittur* (f. *debacchantes*); — Putschius *ingre tante setui debacrittur*. His scripturae monstris quamquam liberamur codice Vat., qui *restantes* et *illudebant* certo praebet, tamen, quum aperte littera exciderit, utrum *et illudebant*, an *ei illudebant* scriptum fuerit neque liquet, neque, si liqueret, de sensu constat. Kreyssigius, qui *ei* probavit, Spartacum designari censet, ac *restantes* interpretatus *resistentes* sensum hunc esse vult: *Spartaco illudebant, praecepto eius resistentes*. Quod quamquam olim in Seebodii Bibl. crit. a. 1830. Vol. II. p. 507. probavimus, nunc tamen non amplius ferri posse iudicamus. Nam quum infra demum §. 18. narretur Spartacum frustra suorum furori obstitisse, non consentaneum est Sallustium eandem rem paullo ante iam commemorasse. Tum *illudere alicui* non significat *ei non obedire*, quo sensu interdum *eludere aliquem* dicitur, sed potius valet *ludibrio habere* vel *cum ludibrio tractare*. Ad hoc quum Sallustius facinora a servis commissa recenseat haec: stuprum, caedem, incendium, praedationem, necesse est in antecedentibus aliquid fuisse, quo *factam caedem esse* indicaretur; et ad interfectum aliquem hominem spectare verba *ei illudebant* clare ostendunt ea, quae sequuntur. Sed ut de certo aliquo vix cogitari potest in promiscua caede omnium, ita quominus ad plures *illudebant* referas, quod res ipsa suadet, prohibere videtur singularis numerus *ei* pronominis. Quare ut haec omnia quoquomodo expediremus, lacuna utcunque fieri potuit expleta totum locum sic constituere conati sumus: „et alii *civium obvium quemque promiscue caedere, atque nunc* restantes ei illudebant simul, nefandum in modum perverso volnere, et interdum lacerum corpus semianimum omittentes.“ Iam singula dispiciamus. Ad *civium* vocem ducere videtur C littera in imo versu columnae sextae residua; *obvium quemque* autem scriptum fuisse probabile reddit *ei* pronomen, quod ita habet quo sensu plurali referatur. Quodsi haec, ut confidimus,

interdum lacerum corpus semianimum omittentes; alii in 17
tecta iaciebant ignis, multique ex loco servi, quos inge-
nium socios dabat, abdita a dominis aut ipsos trahebant

non omni probabilitate carent, planum erit *restantes* non idem esse, quod *resistentes*, sed oppositum participio *omittentes* hic significare *remanentes*, sc. apud caesos, eosque circumstantes. Praeterea mutata interpunctione loco vexatissimo medicinam attulimus. *Simul* enim, quod omnes editores, commate post *illudebant* posito, ad sequentia trahunt, quo fit ut ablativi absoluti *perverso volnere* cum *omittentes* participio prorsus insociabili modo socientur, cum *illudebant* coniungendum est. Iam ex loco sic constituto haec sententia prodit: alii fugitivorum cives obvios *interficiebant*, neque simpliciter interfecisse contenti *simul iis illudebant*, modo circum eos restantes ac volnere crudeliter aucto diducloque eos conficientes, modo ne plene quidem interfectos relinquentes et lacerum corpus semianimum omittentes. Quemodmodum igitur *restantes* opponitur participio *omittentes*, ita sibi respondent particulae *nunc — interdum*, pro *nunc — nunc* vel *modo — modo* positae, de quo permutationis genere v. quae annotavimus ad Iug. c. LXII, 9. p. 336. Caussa autem, cur Sall. altero loco *et interdum* poneret, fuit haec, quod semianimorum omissio rarior fuerat, quam nefanda corporum laceratio. — *Perverso volnere* Gerlachius Vol. III. p. 139. ita explicat, ut appareat eum *perversum* pro adiectivo habere, dicens „*perversum vulnus* est quod foedum, deforme et *contra ius fasque* infertur." Quod quale sit, vix assequare, nisi forte Gerlachius cogitavit de more certaminum studiosorum digladiantium. Intelligentius Kreyssigius vidit ablativos esse absolutos, ac dictionem verbalem *volnus pervertere* significare *telum in vulnere versare*, quod vernaculo dicas *in der Wunde herum bohren, herum wühlen*. — *Semianimum*, pro vulgari *semianime*. Utrumque autem, ut alia eiusmodi vocabula, veluti *exanimus* et *exanimis*, in pedestri quoque oratione promiscue ponitur; cf. Liv. III, 57, 4. *Tollentes corpus semianime virginis*. Id. XXVIII, 23, 2. *Quum in succensum rogum semianima pleraque iniicerent corpora*. v. Drakenborch. ad VII, 21, 5. Ruddim. Inst. Gramm. I. p. 164. Böttticher. Lex. Tac. p. 180. v. *exanimus*. KREYSS.

§. 17. *iaciebant ignis*) Ita cod. Vat. — Bimardus *iacebant ignis*; — Dousa *iaciebant ignes*. — *Ex loco servi* sunt qui in Anni Foro erant, id quod ex eo intelligitur, quod inter hostilem oppidi direptionem abdita a dominis aut ipos ex occulto traxisse dicuntur. Imperite igitur Gerlachius Vol. III. p. 139. *locum* contendit in universum regionem significare, ubi urbs sita fuerit. Recte vero Kreyssigius docet *locum* interdum nude, ut graecum τόπος nostrumque *Ort*, de

ex occulto; neque sanctum aut nefandum quicquam fuit
18 irae barbarorum et servili ingenio. Quae Spartacus nequiens prohibere, multis precibus quum oraret, celeri-

oppidis dici, si eorum nomen in antecedentibus iam positum est, ut, quod intelligatur, dubium non sit; velut Liv. I, 15, 1. XXVII, 30, 3. XXXII, 15, 4. XLIV, 13, 3. — *Neque sanctum aut nefandum quicquam fuit*, i. e., ut Gerlachius recte explicat, *a nullo facinore aut propter religionem aut propter atrocitatem abhorrebant*. cf. Doederlin. Synonym. lat. Vol. II. p. 150. et III. p. 198.

§. 18. *multis precibus quum oraret*) Cod. Vat. MULTISPRAECIB·QUO ‖ MORARET; — Bimardus MULTIS PRECIB QUO MORARET; — Dousa *multis precibus cum oraret*. Quam olim in Seebodii Bibl. crit. a. 1830. Vol. II. p. 507. probavimus huius loci constituendi rationem, ut verbis *multis precibus* ad *prohibere* relatis *quo moraret* a Sallustio scriptum esse contenderemus, eam Kreyssigius merito repudiavit, non solum activa forma *morare* verbi, sed etiam sensu eius obstante, quippe quod non significet *restringere* vel *modum rei facere*, sed *retardare ac celeritatem inhibere*. Dubitari enim non potest, quin M littera, a librario initio sequentis versus posita, ad QUO pertineat, quae scribendi ratio quamquam insolita est, tamen a more eius, qui cod. Vat. exaravit, non est aliena, qui in columna IV. inter versum 5 et 6 ita verba diviserit CONTRAS — PECTATAM pro *contra — spectatam*. — *Quum* hic valere *quamvis* per se patet; v. ad Fr. I, 51, 18. — *Multis precibus orare* eodem modo legitur apud Liv. II, 2, 8.

celeritate praevertere, mittere nuntios) Cod. Vat. CELERITATEPRAEUERTEREMIT . . ENUNTIOS; — Niebuhrius CELERITATEPRAEUERTERE . . . . . SNUNTIOS; — Bimardus CELERITATE PRAEUERTERE . . . . . NUNTIOS. — *Celeritate praevertere* quid significet, paullo est obscurius. Kreyssigius *praevertere* absolute positum censet, quod ipse dicit paullo insolentius esse. Nobis *celeritate praevertere* pariter cum *prohibere* referendum videtur ad *quae*, ita ut posteriore verbo quasi correctio prioris contineatur. Nam quum *praevertere aliquid* significet *aliquid eludere vel irritum reddere*, sensus est: Spartacus, quum servorum nefanda facinora imperio prohibere nequiret, celeritate (sc. itineris) *ea eludere*, i. e. *impedire* studebat. *Praevertere* autem neque cum *mittere* coniungendum, neque ex verbo aliquo, velut *statuit* vel *tentavit*, ut Gerlachio visum Vol. III. p. 139, aptum est, sed infinitivus est historicus, semicolo ab sequente verbo seiungendus. Nam verba *mittere nuntios* explicationem inferunt prioris sententiae, quae oppositione verborum *nequiens prohibere — celeritate praevertere* absolvitur.

tate praevertere; mit*tere* nuntios . . *q*ua neque e . . 19
*ag*men se c . . . s crudel . . . *occ*upatos a . . gravis
pler . . illum diem . . noctem ib*i* . . . s duplica*to* . . .
orum nume*ro* . . . *p*rima cum lu*ce* . . . in campo sat*is* 20

§. 19. *qua neque*) Haec verba et quae sequuntur octava continentur codicis Vat. columna. Quae quum quintae ex altera parte respondeat, non minus quam illa lacunosa est, neque potest in integrum restitui. Quantum tamen ex abruptis syllabis et vocibus coniici licet, Sallustius hoc loco narravit, Spartacum, quo servorum facinoribus modum faceret, non ultra unum diem et insecutam noctem in Anni Foro commoratum valde aucto fugitivorum numero ulterius processisse aliamque regionem petiisse. — Primus columnae versus totus excidit. Ex secundo in fine superest ...UANEQ·, quod Kreyssigius recte mutavit in *qua neque*. — In versu 3—4 Maius legit MENSE || O . . .; Niebuhrius MENSU˜ || O . . .; nobis *agmen se* magis placet. — Versu 4—5 est SCRUDE || L . . . in quibus vel adiectivi *crudelis* vel substantivi *crudelitas* aliqua forma latet. — Versu 5—6 cod. Vat. habet . . UPATOS || A . . quam partem esse OCCUPATOS participii per se patet. Minus recte Niebuhrius legit . . . UBAIOS || A . . — Versu 6—7 restat GRAUISPLE || R . . . — Versu 7—8 cod. Vat. ...ILLUMDI || EM; — Niebuhrius ILLUMDI || EA . . . — Versu 8—9 cod. Vat. NOCTEM || IB . . Kreyssigius fuisse suspicatur: *illum diem et proximam noctem*. — Versu 9—10 cod. Vat. SDUPLI || CA . . .; — Niebuhrius ODUPLI || CA. — Versu 10—11. cod. V. . . ORUMNU || ME . . . Hunc versum Kreyssigius olim expleverat *duplicato armatorum numero*: postea recepit, quod ego in Seebodii Bibl. Crit. a. 1830. Vol. II. p. 507. suaseram *duplicato fere fugitivorum numero*. — Versu 11—12. cod. V. . . RIMACU˜ || LU . . i. e. *prima cum luce*, ut Kreyssigius recte vidit, coll. Plaut. Cist. II, 1, 49. Ter. Ad. V, 3, 55. Cic. Off. III, 31, 112. Epp. ad Attic. IV, 3. Hand. Tursell. Vol. II. p. 141. — Versu 12—13. cod. Vat. . . . NCAMPO || SAT. Haec omnia quum ita disiecta sint, ut praeter singulas voces, quae haud difficiliter restitui possunt, vix quicquam eruas, tamen in versibus 7—13 resarciendis, Kreyssigium in nonnullis auctorem secutus, periculum feci hoc: *Per* illum diem *et proximam* noctem ib*i retinuit suos*, duplica*toque fugitivo*rum nume*ro profectus* prima cum luce *constitit* in campo sat*is* . . .; sed non tantum huic coniecturae tribuo, ut in textum recipiendam censuerim.

§. 20. . . . *nos aedificiis*) Cod. Vat. . . NOSEDIFI || CIS . . Haec verba ceteris eo sunt obscuriora, quod librarius aperte in *edificis* voce peccavit. Probabiliter quidem Kreyssigius suspicatus est, *aedi-*

. . . nos *ae*dificiis . . . Et tum mat*ura in agri*s erant aut*umni frume*nta. Sed in*colae ple*no die gnari ex *fuga finit*umorum fugi*tivos ad se ad*ventare . . . omnibus . .

ficiis veram scripturam esse, sed quid eo facias, difficile dictu est. — ..NOS syllabam, quam olim ex *dominos* substantivo residuam putaveram, nunc partem *colonos* vocis esse iudico. Nam de iis dictum esse ut credam, facit non modo *campi* mentio, sed etiam proxima verba, quae non nisi respectu colonorum addita videntur. Quare non possum Kreyssigii sententiam probare, qui reconditiorem corruptelam subesse ratus coniecit: *in campo satis magno, sed aedificiis vacuo.* — Felicius idem et prorsus egregie sequentia, v. 14—16, ..ETTUM || MAT.....SERANT || AUT.....NTA sanavit reponendo *et tum matura in agris erant auctumni frumenta.* Emendationem per se certissimam confirmat Porphyrionis testimonium, qui ad Horat. Epp. II, 1, 140. annotavit „*autumni frumenta* Sallustius dixit." Haec Gerlachius Vol. III. p. 146. negligentissime, ut solet, novis Fragmentis accenset, his verbis usus: „Vide(!) ap. Porphyr. ad Hor. Ep. I, 10, 40. Sed ibi haec non exstant."(!!) Sed puerili plane socordia eadem in ed. min. hoc ipso loco, Kreyssigium secutus, exhibet, et nihilominus p. 240, 4. inter *Incerta* refert, inepta loci, unde ea petiisse simulat, significatione addita hac: „Hor. Ep. Porph. I. X. 40."!! Haec atque talia cuiusnam farinae?

Sed incolae) Cod. Vat. SEDINC ...; Niebuhrius SEDINO. — Kreyssigius, Maii lectionem secutus, in C littera initium *castris* vocabuli agnoscit, quod nobis quoque olim visum est. Sed *castris* nihil hic loci esse potest, quoniam et Romani, a quibus clam discesserat Spartacus, longe aberant, neque Spartacus ipse castra habebat, quippe qui modo in illum campum advenisset. Quare probabilius putamus INC litteras initium esse vocis *incolae*, qui *colonis in campo* oppositi domi de adventu fugitivorum cognoscerent. — Versu 17—18 verborum reliquias ..NODIEGNA || RIEXF.... Kreyssigius explevit *nono die gnari ex fuga.* Quod olim a nobis probatum nunc ita refingendum putamus, ut pro *nono* scribatur *pleno*, quum, quae *noni* diei vis sit, non intelligatur, *plenum* autem *diem* opponi praecedentibus *prima cum luce* vix dubitari possit. — In sequentibus, versu 18—19, ...UMORUM || FUGI..... UENTA || R. rursus Kreyssigio maximam partem adstipulamur supplenti: *finitumorum fugitivos adventare.* Sed quum in versu 19. lacuna maior sit, quam quae septem litteris expleatur, inserendum putavimus *ad se*, quod ad sententiam non incommodum iustum litterarum numerum complet. Celerum *gnari ex fuga finitumorum* significat *quum ex fuga finitimorum intellexissent*, unde planum est

78. Divorsa, uti solet rebus perditis, capessunt; namque alii fiducia gnaritatis locorum occultam fugam, pars globis eruptionem tentavere.

ex his verbis pendere accusativum cum infinitivo. *Adventare* Sallustium saepius ponere pro *advenire* Kreyssigius recte monuit coll. Cat. c. LVI, 4. Iug. XXVIII, 2. XXXVI, 4. LIII, 7. XCIX, 1.

Fr. 78. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. III, 2. ed. min. III, 9. p. 216, 5. Debr. II, 137.] Totum Fr. exstat apud Nonium II, 367. p. 116, 20. Merc., sex priora verba etiam apud Prisc. X, 8, 45. p. 504. Kr., sed neutro loco satis emendata. Nam primum in plerisque Prisciani codd. laudatur *secundus* Hist. liber, Nonio *tertium* tuente. Tum pro *capessunt* Nonii plerique codd. praebent *capessivit*, Paris. α. δ. *capessium*; apud Priscianum, vero pauci libri tenent *capessivit*, maior pars *lacessivit*. Quod quamquam Priscianus ipse legisse videtur (nam et Sallustii loco utitur, ut probet Latinos dixisse *lacessivi*, et statim post *capesso* ut eiusdem generis laudat), tamen falsum est, et iam ante Priscianum in Sall. codd. scribarum culpa invasit. *Capessere* ipsa sententia flagitat, quum de diversis *consiliis* agatur, quae non *lacessuntur*, sed *capiuntur* vel *capessuntur*; pariter necessarius est pluralis propter *alii — pars*, de quo numero eo minus dubitandum, quum *capessiuit* eosdem plane litterarum apices habeat, quos *capessunt*. — Pro *pars* in omnibus Nonii codd. est *sparsi*, quod Dousa verissime emendavit, quum voces *alii — pars* saepissime sibi respondeant; v. ad Cat. II, 1. Iug. XIX, 1. Nullo modo autem ferri potest Coleri coniectura: *occulta fuga sparsi, alii globis er. tent.*: neque magis probanda Gerlachii scriptura a Cortio petita *in occultam fugam sparsi; alii er. tent.*, quorum nemo vidit, qui *sparsi esse* dicantur, non potuisse id ipsum, ut spargerentur, *consilio* facere. — De dictione *uti solet* v. supra ad Fr. III, 52. — Quo referendum sit Fragmentum, satis obscurum est; tamen ex commemorata *fiducia gnaritatis locorum* coniicio de fugitivis hic dictum fuisse; qui quum *rebus perditis* fuisse dicantur, de nulla re commodius id intelligi potest, quam de Crixi clade, coniuncta opera L. Gellii consulis et Q. Arrii praetoris secundo belli anno, i. e. 72. a. Chr. n., iis illata; cf. Appian. B. C. I, 117. *Οἱ δ' ἐν ἄστει τοὺς ὑπάτους ἐξέπεμπον μετὰ δύο τελῶν, καὶ τούτων ὑπὸ μὲν θατέρου Κρίξος ἡγούμενος τρισμυρίων ἀνδρῶν περὶ τὸ Γάργανον ὄρος ἡττᾶτο, καὶ δύο μέρη τοῦ στρατοῦ καὶ αὐτὸς συναπώλετο αὐτοῖς.* Plutarch. in Crasso c. 9, extr. *Ἀμφοτέρους ἐξέπεμπον τοὺς ὑπάτους, ὧν Γέλλιος μὲν τὸ Γερμανικὸν ὕβρει καὶ φρονήματι τῶν Σπαρτακείων ἀποσχισθὲν ἐξαίφνης ἐμπεσὼν ἅπαν διέφθειρε.* Liv. Epit. XCVI. „*Q. Arrius praetor Crixum, fugitivorum ducem, cum viginti millibus hominum ce-*

79. Unus constitit in agro Lucano gnarus loci nomine Publipor.

80. Et eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum, multo sanguine suorum defensum, postquam ex

cidit. Oros. V, 23. *Deinde consules Gellius et Lentulus adversus eos* (sc. servos) *cum exercitu missi: quorum Gellius Crixum acerrime pugnantem proelio oppressit.*

Fr. 79. [Cort. p. 963. Gerl. ed. mai. III, 3. ed. min. III, 70. p. 220, 6. Debr. IV, 86.] Priscian. VI, 9, 48. p. 251. Kr.; ad nomen *Publipor* respexit etiam Probus Instit. gramm. II, 1, 34. (Corp. Gramm. lat. Vol. I. p. 116. Lindem.) Ex verbo *constitit* coniicias Publiporem ex longa fuga in Lucaniam devenisse. Quod si quis post Crixi cladem factum putaverit, nos habebit non dissentientes, quamquam pro certo affirmare nolim. — Perquam inepte Gerlachius Vol. III. p. 84. de Publipore „is, inquit, reliquias fugitivorum collectas trans Alpes ducere voluisse existimatur, sed in Pompeium ex Hispania redeuntem incidit, a quo caesus est.“ Haec quomodo *tertio* libro narrari potuerint, quo primus et secundus tantum belli annus continetur, nemo, qui sana mente est, intelliget. Sed his ineptiis non contentus homo levissimus et prorsus nugatorius, quo rei fictae veritatis speciem adderet, ad Ciceronis auctoritatem or. in Verr. V. c. 15 et 16. provocat, ac lectores ad eos scriptorum locos remittit, quos ipse p. 31. de fine belli Spartacii contulit, quibus omnibus non magis de Publipore dicitur, quam in Ovidii carmine de arte amandi.

Fr. 80. [Cort. p. 979. Gerl. ed. mai. III, 37. ed. min. III, 78. p. 223, 14. Debr. IV, 11.] Non. XIV, 11. p. 538, 32. Merc. — *Et* ante *eodem* in Sallustii edd. sine idonea caussa omissum est. — Pro *locum editum* in Nonii codd. corrupte legitur *longum editum*, quod correctum a Iunio et Mercero. — *Defensum* e coniectura scripsimus pro *defensus*, quod Nonii codd. constanter tenent. Id Sallustii editores omnes parum probabiliter mutarunt in *defendens*; nam quum periodus manca sit, propius accedit ad verum *locum editum* simul cum participio regi verbo, quod Nonius addere neglexit, quam substantivum cum adiectivo pendere ex *defendens*, quod coniecturae editorum debetur. Quare commate post *editum* distinximus. Quae sequuntur tum a scriptura, tum a sententia aliquantum habent difficultatis. Nam quae in Nonii codd. leguntur verba *astari*, *ostari*, *hostari*, *obstari*, *obstare*, corrupta sunt omnia, sed certa via ducunt ad *ostentari*, quod e coniectura scripsimus, reiecto absurdo Coleri commento *hastati*, quod multas Sallustii edd. invasit, aliis *adstare* tenentibus. Verbis obscurioribus autem hoc significari videtur,

sarcinis paludamenta ostentari et delectae cohortes intellegi coepere....

81. Citra Padum omnibus lex Lucania fratra fuit.

CAP. VI.

Res urbanae. — Oratio Lic. Macri. — Contentiones de restituenda potestate tribunicia. Fr. 82—85. [Anni 74—72. a. Chr. n.]

---

82. *Oratio Macri Licini tribuni plebis ad plebem.*

Si, Quirites, parum existumaretis, quid inter ius

Lentulo valde a servis presso copias auxilio venisse, easque *paullatim*, *dum propius accedunt*, *cognitas fuisse*, quum primo sarcinae dubiam speciem obiicerent, deinde vestis militaris (*paludamenta*) appareret, denique ipsae delectae cohortes clare intelligerentur. *Ex sarcinis* igitur hic idem fere est atque *per sarcinas quasi pellucentia paludamenta* etc. (aus dem Gepäck heraus, durch das Gepäck hindurch). Quae pugna intelligenda sit, et quo loco facta, dici non potest. Hoc unum certum, post Crixi demum cladem Lentulum cum Spartaco pugnasse, ut patet ex Livii Epit. XCVI. Num huc pertineat locus apud Flor. III, 20, 10. *Inde iam consulares quoque aggressus* (Spartacus) *in Apennino Lentuli exercitum percecidit*, dubium est.

Fr. 81. [Deest apud Cort. — Gerl. ed. mai. Vol. III. p. 148. n. 248. ed. min. Inc. 71. p. 239, 16. Debr. III, 93.] Fragmentum, quod exstat apud Cledon. p. 1934. Putsch., vitiosa scriptura ita obscuratum est, ut de recta eius explicatione desperandum sit; frustra enim quaeras quid in corrupta voce *fratra* lateat. Sed praeterea etiam *lex Lucania* de vitio suspectum est, non solum quia adiectivi forma *Lucanus* est, nunquam *Lucanius*, sed etiam quia neque de singulari quadam lege Lucana constat, neque intelligitur, quid talis lex ad omnes citra Padum pertineat. In tantis tenebris nihilominus satis magna verisimilitudinis specie coniici potest ad Spartacum et fugitivos haec pertinere, quia Padi et Lucaniae mentio vix de alia re fieri potuit. Ex Italia enim inferiore ad Padum et in Galliam cisalpinam progressum esse Spartacum aperta docent scriptorum testimonia; cf. Appian. B. C. I, 117, in. *Σπάρταχον δὲ διὰ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ἐπὶ τὰ Ἄλπεια καὶ ἐς Κελτοὺς ἀπὸ τῶν Ἀλπείων ἐπειγόμενον ὁ ἕτερος ὕπατος προλαβὼν ἐκώλυε τῆς φυγῆς, καὶ ὁ ἕτερος ἐδίωκεν.* Plutarch. in Crass. c. 9, extr. *Λέντλου δὲ τὸν Σπάρ-*

a maioribus relictum vobis et hoc a Sulla paratum servitium interesset, multis mihi disserendum fuit docen-

τακον μεγάλοις στρατοπέδοις περιλαβόντος ὁρμήσας ὁμόσε καὶ μάχην συνάψας ἐκράτησε μὲν τῶν πρεσβευτῶν, ἔλαβε δὲ τὴν ἀποσκευὴν ἅπασαν. Ὠθουμένῳ δ' αὐτῷ πρὸς τὰς Ἄλπεις Κάσσιος ὁ τῆς περὶ Πάδον Γαλατίας στρατηγὸς ἔχων μυρίους ἀπήντησε· καὶ γενομένης μάχης κρατηθεὶς καὶ πολλοὺς ἀποβαλὼν μόλις αὐτὸς ἐξέφυγε. Flor. III, 20, 10. *Spartacus apud Mutinam C. Cassii castra delevit.* Oros. V, 23. *Dehinc C. Cassium proconsulem idem Spartacus oppressum bello interfecit.*

Haec, olim scripta, iam impressa erant, quum Casselius V. D. ingeniosam loci desperati emendationem mecum communicavit, quam non possum quin hic subiiciam. Coniecit enim a Sallustio scriptum fuisse: *citra Padum omnibus lex Licinia fraudi fuit*, ea verba perquam acute ad narrationem caussarum belli socialis referens. Quae simpliciter dicitur *lex Licinia*, intelligenda est *Licinia et Mucia*, lata a. 95. a. Chr. n. a L. Licinio Crasso et Q. Mucio Scaevola coss., de qua cf. Cic. p. Cornel. Fr. 10. *Legem Liciniam et Muciam de civibus regundis video constare inter omnes, quum duo consules omnium, quos vidimus, sapientissimi tulissent, non modo inutilem sed perniciosam reipublicae fuisse*; ad quem locum Asconius p. 67. Orell. haec annotavit: *L. Lic. Crassum et Q. Muc. Scaevolam — significat. Hi enim legem eam, de qua loquitur, de regendis in sua civitate sociis, in suo consulatu tulerunt. — Verum ea lege ita alienati animi sunt principum Italiae populorum, ut ea vel maxima causa belli Italici, quod post triennium exortum est, fuerit.* Ad eandem legem spectat etiam Cic. p. Sest. 13, 30. ubi v. Schol. Bob. p. 296. Orell., et de Off. III, 11, 47. ubi cf. Beier. p. 264. Iam verba *citra Padum omnibus*, quibus fortasse praecessit *Italicis* vel *sociis*, aperte hoc significant, illam legem ad omnes socios Italicos usque ad Padum pertinuisse, ita ut quicunque in tota Italia usque ad id flumen essent populi, eà tenerentur; Transpadani enim, quippe apud quos illo tempore rarae adhuc essent coloniae, neque dum civitatis ita erant cupidi, ut Italici omnes, neque hanc ipsam ob caussam belli socialis erant participes. *Fraudi esse alicui* significat *incommodum, damnum, detrimentum affere alicui*: cf. Cic. Epp. ad Famm. VII, 26, 5. *Lex sumptuaria, quae videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit.* Id. Epp. ad Attic. V, 21, 12. *Fit senatusconsultum, ut neve Salaminiis, neve qui eis dedisset, fraudi esset.* Id. Philipp. VIII, 11, 33. *Qui ab armis discesserint — iis fraudine sit, quod cum M. Antonio fuerint.* v. annotata ad Catil. XXXVI, 2 Lex Licinia igitur quum dicatur omnibus citra Padum fraudi fuisse, sensus Frag-

dumque, quas ob iniurias et quotiens a patribus armata plebes secessisset, utique vindices paravisset omnis iuris sui tribunos plebei. Nunc hortari modo relicuum est et 2 ire primum via, qua capessundam arbitror libertatem. Neque me praeterit, quantas opes nobilitatis solus, im- 3

menti est: illam legem omnibus Italicis usque ad Padum pergravem fuisse, magnamque ipsis attulisse molestiam atque incommodum. Quodsi haec emendatio summa probabilitate non caret, Fragmenti locus erit post I, 15., ubi consentaneum est Sallustium, commemorata maiorum cura pro Italica gente, de iniquitate legis Liciniae Muciae non siluisse.

Fr. 82. [Cort. p. 967 — 978. Gerl. ed. mai. III, 22. ed. min. III, 1. p. 209. Debr. III, 98 a.] Haec oratio exstat in codd. Vatice., Ciacc., Ursin. et Balliol., de quibus v. Praef. Habita est a Licinio Macro, qui a. 73. a. Chr. n. tribunus plebis ad restituendam potestatem tribuniciam plebem incitare studuit, quae contentio inde a Sullae morte nobilitatis adversarios exercuit. Initium a. 78. fecerat M. Lepidus, a Catulo ceterisque optimatibus oppressus. Idem frustra tentaverat L. Sicinius a. 76., quum proximo anno consul C. Cotta lege lata tribunis plebis rursus aliquid dignitatis addidit. Anno post (74. a. Chr.) L. Quintius conatus est iura tribunorum plebis restituere, vehementer obnitente L. Lucullo, cui ille postremo tamen concessit. Deinde quum nonnulli alii eandem rem sine successu agitassent, C. Licinius Macer exstitit, et acerrime in senatum et paucos potentes invectus, quo ius a Sulla ereptum rursus extorquerent, plebi suasit, ut militiam detrectarent, neque operam suam patriciis ad ullam rem commodarent. Sed quum senatus paullo ante lege Terentia et Cassia frumentaria (v. infra ad §. 19.) plebem aliquantum demulsisset, et quaedam de restituenda tribunicia potestate promittere videretur, ne tum quidem Licinius, quod voluit, efficere potuit, tota re in Pompeii consulatum protracta. — De Macri oratoria facultate cf. Cic. Brut. c. 67, 238. *Non erat abundans, non inops tamen, non valde nitens, non plane horrida oratio; vox, gestus et omnis actio sine lepore: at inveniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognoverim, sed eam ut citius veteratoriam quam oratoriam diceres. Hic etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum.*

§. 1. *Si parum existumaretis*) Haec laudat Donat. ad Ter. Phorm. I, 1, 11. *existumare* dicens pro *aestumare* positum, quod falsum esse ostendimus ad Catil. c. VIII, 2. p. 43. et ad Iug. c. LXXXV, 14. p. 451. Sensus hic est: si parum sciretis ac iudicaretis; sive, si iudi-

potens, inani specie magistratus, pellere dominatione incipiam, quantoque tutius factio noxiorum agat, quam soli innocentes. Sed praeter spem bonam ex vobis, quae metum vicit, statui certaminis advorsa pro libertate potiora esse forti viro, quam omnino non certavisse, quam-

cio vestro parum constaret. — Pro *quid* Cort. et Gerlachius in ed. mai. soloece habent *quod*. — *Ius a maioribus relictum* intelligendum de tribunicia potestate; eadem ab Sulla paene sublata dicitur *hoc a Sulla paratum servitium*. — *Disserendum fuit*, quod codd. omnes tenent, in multis edd. temere mutatum in *diss. fuisset*: cf. Iug. LXXXV, 48. *Quae si dubia essent, tamen omnis bonos reipublicae subvenire decebat*. et v. Kruegeri Gramm. lat. §. 640. p. 875. not. 3. — Pro *docendumque* Vat. 2. praebet *docendique*, quod Faber inconsulto recepit; tam arte enim duo verba cohaerent, ut constructio mutari nequeat, quin recta dicendi ratio graviter laedatur.

§. 2. *Nunc*) Hac particula breviter indicatur praesens eaque vera rerum condicio, sententiae praecedenti contraria. Quare sensus est: quum vero haec omnia vobis notissima sint. V. ad Iug. c. LXXXV, 13. p. 450. ib. XIV, 17. et §. 24. et imprimis Hand. de Partice. Lat. Vol. IV. p. 340. §. 13. — *Primum* Cortius perperam pro adverbio habet, explicans *ante omnia*. Recte Gerlachius vidit adiectivum esse, quo subiectum definiatur; nam *ire primum* est *ire principem, ducem esse, praeire*.

§. 3. *Solus*) i. e. aliorum auxilio destitutus; cf. Iug. c. XIV, 17. *Exul patria, domo, solus, atque omnium honestarum rerum egens, quo accedam?* — *Inani specie magistratus*, i. e. tribunus plebis omni auctoritate per Sullam privatus. Similiter Vellei. II, 30, 4. *Tribuniciae potestatis Sulla imaginem inanem reliquerat*. — *Factio*, cui *soli* opponuntur, latinis idem significabat, quod recentiores voce *Camarilla* designant; cf. ad Iug. c. XLI, 1. p. 234.

§. 4—5. *praeter spem bonam — statui*) *Praeter* non pendet ex *statui*, sed cum substantivo iunctum breviloquentiae inservit eum in modum, ut sensus sit: *praeterquam, quod spes bona est ex vobis*. — Post *certavisse* in omnibus edd. puncto distinguitur, quod sententia ipsa flagitante in comma mutavimus; nam quum hoc dicat Macer, *se solum* certamen suscipere decrevisse contra factionem nobilitatis, quamquam *omnes alii* plebis commodum parum curent, luce clarius est haec ita cohaerere, ut maiore interpunctione disiungi nequeant. — *Omnes alii creati pro iure vestro* non sunt tribuni, sed ceteri magistratus, quibus salus civium suprema lex esse debebat. — *Vim cunctam* i. e. potestatem muneris sui. — *Gratis* hic valet

quam omnes alii creati pro iure vostro vim cunctam et imperia sua gratia aut spe aut praemiis in vos convortere, meliusque habent mercede delinquere quam gratis recte facere. Itaque omnes concessere iam in pau- 6
corum dominationem, qui per militare nomen aerarium, exercitus, regna, provincias occupavere, et arcem habent ex spoliis vostris, quum interim more pecorum

sine mercede, *sine commodo*, quo sensu Catil. c. XVI, 3. *gratuito* legitur, ubi v. annot.

§. 6. *concessere in — dominationem*) De hac dictione v. ad Fr. I, 11. — *Per militare nomen* non significat, ut Wassius vult, *quia dicuntur imperatores*: sed quum *nomen* saepe *rei ipsi* oppositum *speciei* vim accipiat, sensus verborum est *militiam* sive *bellum praetendentes*, vel, ut Cortius non male interpretatur, *eo praetextu, quod bellum geratur contra hostes reipublicae*. Eandem sententiam Sallustius, sed ut suam, protulit Iug. c. XLI, 7. *Paucorum arbitrio belli domique agebatur: penes eosdem aerarium, provinciae, magistratus, gloriae triumphique erant.* — *Arcem habent ex spoliis vostris*, i. e. firmum potentiae suae praesidium habent iis ipsis rebus, quas vobis eripuerunt. — *Multitudo* quum appositio sit subiecti, quod verbo *praebetis* continetur, plenior oratio sic se habet: vos, qui *multitudine* sive numero praestatis, habendos fruendosque vos praebetis *singulis*. — *Habendos* invidiose dictum significat plebeios nobilitati se in servitutem tradere quasi *rem*, quae ab illis possideatur. — Verba *nisi quia vobismet ipsis — dominos destinatis* ita spectant ad praecedentia *vos habendos fruendosque praebetis*, ut dominorum destinatio sola eximatur ex servili obedientia; cf. Handii Turscll. Vol. IV. p. 235. §. 17. qui bene ita disseruit: „His loquendi formulis (*nisi quod*, *nisi quia*) utuntur Latini ad significandam exceptionem, qua id, quod antea dictum, non totum tollitur, sed aliquid apponitur, quod primariam sententiam aliquo modo moderetur aut coërceat.“ Cum magna acerbitate autem Macer quem solum relicuum dicit libertatis usum in creandis magistratibus, eundem arguit a plebe ad servitium suum stabiliendum converti. — *Vobismet ipsis* constans est codd. lectio, quam Cortius ex ed. Venet. mutavit in *vobismet ipsi*. Id Gerlachius Vol. III. p. 93. unice verum dicit, et tamen titubans, ut solet, in ed. min. dativum reposuit. Utrumque hic commode dici potest; nam si *ipsi* dicitur, sensus est: *dominos vobis non alii destinant, sed ipsi hoc facitis*: in dativo vero hoc inest: *dominos non aliis destinatis, sed vobis ipsis*. Quare

vos, multitudo singulis habendos fruendosque praebetis, exuti omnibus, quae maiores reliquere, nisi quia vobis-
met ipsis per suffragia, uti praesides olim, nunc domi-
7 nos destinatis. Itaque concessere illuc omnes, et mox, si vostra receperitis, ad vos plerique; raris enim ani-
mus est ad ea, quae placent, defendenda; ceteri vali-
8 diorum sunt. An dubium habetis, num officere quid

a codd. non est recedendum. cf. Gramm. lat. nostr. §. 121, 10. additam. 2. p. 311. Krügeri Gramm. lat. §. 417. p. 555.

§. 7. *concessere illuc omnes*) Cortius et Gerlachius in ed. mai. contra codd. ediderunt *conc. illic omnes*, eodem soloecismo, quo Fr. I, 11. scripserunt *in gratia concedere*. — *Illuc* est *ad illos* sc. dominos vestros; cf. ad Catil. c. V, 2. p. 27. et ad Iug. c. XIII, 5. p. 68. — *Et* particula ante *mox* ferri quidem potest, sed tamen in aperta oppositione conversi rerum status mirum quantum languet. Quare haud scio an Sallustius *at* scripserit. — *Ad vos plerique*, sc. concedent; cf. ad Iug. LXXV, 7. p. 398. Id non assecutus Gerlachius in ed. mai. ex interpolatis edd. veteribus scripsit *ad vos redibunt plerique*. — Pro *raris*, i. e. *paucis*, edd. nonnullae interpolatae habent *rarus*. Apte Faber contulit Tacit. Hist. I, 81. *Rari domos, plurimi amicorum tecta petivere*. Germ. c. 2. *Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur*. — *Ceteri* sunt *ignavi*, qui nihil addent ad potentiam tuendam. Cortius, qui non intellexit Macrum loco communi uti ad praecedentem sententiam confirmandam, verba *raris — defendenda* parenthesi inclusit, et *cetera* pro *ceteri* scribendo totius loci sensum pervertit.

§. 8. *num officere*) Cortius et Gerlachius in ed. mai. habet *ne officere*, pariter contra codd., atque contra grammaticam. — *Ex factione media consul* Faber interpretatur *qui vel maxime ad factionem pertinet*, quasi dictum sit *ex medio factionis*. Sed si quid video, ad talem sententiam requiritur, ut adiectivum substantivo praeponatur, quod et ratio ipsa dicendi exigit, et exempla ostendunt; cf. Cic. Phil. V, 12, 32. *Alteri sunt e mediis C. Caesaris partibus*. de Legg. II, 21, 53. *Hoc e medio est iure civili*. or. in Catil. IV, 9. *Habetis consulem ex media morte — reservatum*. Quintil. XII, 1, 28. *Ex mediis sapientiae praeceptis orationem trahet*. Quare *factionem mediam* a Macro intelligi puto eam, quae inter nobilitatem plebi infestissimam et acres plebeiorum propugnatores quasi media fuit moderatis partium studiis, neque huic sententiae, quam verba suadent, repugnat Cottae oratio ad populum, libro secundo relata.

vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos socordesque pertimuere? Nisi forte C. Cotta, ex factione media consul, aliter quam metu iura quaedam tribunis plebei restituit; et quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunicia loqui ausus, mussantibus vobis, circumventus erat, tamen prius illi invidiam metuere, quam vos iniuriae pertaesum est. Quod ego nequeo satis

— *Iura quaedam tribunis plebis restituit.* Haec illustrantur loco Ciceronis ex or. p. Cornel., Vol. II, 2. p. 78. Orell. *Inimicissimi* (sc. nobiles) *C. Cottae fuerunt, quod is consul paulum tribunis plebis non potestatis, sed dignitatis addidit*, ad quae verba Asconius l. l. haec habet: „Hic Cotta, ut puto, legem tulit, ut tribunis plebis liceret postea alios magistratus capere, quod lege Sullae iis erat ademptum.“ Eandem rem tangit Ascon. p. 66. v. Fragm. Hist. II, 51. — De *L. Sicinio* a. 76. a. Chr. n. tribuno plebis v. ad Fragm. II, 42. et 46. et cf. Cic. Divinat. in Q. Caec. 3, 8. *Iudiciorum desiderio tribunicia potestas efflagitata est;* ubi Asconius p. 103. Orell. *Primus*, inquit, *Sicinius tribunus plebis, nec multo post Quintius, et postremo Palicanus perfecerant, ut tribuniciam potestatem populo darent consules Cn. Pompeius Magnus et M. Licinius Crassus.* — *Circumventus erat* Gerlachius Vol. III, p. 94. imperite explicat *occisus erat*, lectores remittens ad p. 15. ubi haec scripsit: „Sicinius libertatis poenas dedit. Paulo post enim subita morte exstinctus est; facinoris invidia oneratur Curio.“ Haec quamquam mera somnia sunt, tanta tamen est Gerlachius impudentia, ut falsis testimoniis lectores decipere non dubitet, addens *confer* or. M. Licin. Sall. Fragm. 3, 22. 2, 35. Val. Max. IX, 14. 5. Ascon. Pedian. in Divinat. p. 19. — quibus locis ne syllaba quidem de subita Sicinii morte a Curione machinata legitur. Scilicet hoc est historicum esse! *Circumventus* hic significat *oppressus*, i. e. vi et malis artibus coërcitus; cf. Catil. XXXI, 9. *Quoniam quidem circumventus ab inimicis praeceps agor.* ib. LI, 40. *Circumveniri innocentes coepere.* Fragm. I, 45, 1. *Iniuriae*, sc. ab illis vobis illatae. Verba *quam vos iniuriae pertaesum est* Arus. p. 253. Lind. laudat ex Hist. III.

§. 9 — 10. *spem frustra fuisse*) sc. vestram, ius vobis redditum iri. — *Tumultus* est Lepidi, de quo actum libro primo. — Verba ad *exitium usque insontis tribuni* Faber falso refert ad Sicinium, quia is §. 8. *circumventus* dicatur. Hic enim agitur de *Q. Opimio*, suasore legis Aureliae, non interfecto, sed malitiosa adversariorum accusatione dignitate ac bonis everso. V. ad Fragm. Hist. II, 51.

9 mirari, Quirites. Nam spem frustra fuisse intellexistis. Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem
10 mali credebatis. Ortus est longe saevior Catulus. Tumultus intercessit Bruto et Mamerco consulibus; dein C. Curio ad exitium usque insontis tribuni dominatus est.
11 Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quinctium, vidistis; quantae denique nunc mihi turbae con-

§. 11. *quantis animis*) i. e. quanta superbia, quo fastu et arrogantia; cf. Fr. Hist. I, 45, 24. *Quare igitur tanto agmine et animis incedit?* v. Drakenb. ad Liv. VII, 10, 8. Invidiose rem auxisse Macrum patet ex Plutarcho in Lucull. c. 5, extr. *Λεύκιον δὲ Κόϊντον, ἄλλον δημαγωγὸν, ἐπαναστάντα τοῖς Σύλλα πολιτεύμασι καὶ ταράττειν τὰ πράγματα πειρώμενον ἐκ τοῦ καθεστῶτος ἰδίᾳ τε πολλὰ παραμυθούμενος καὶ δημοσίᾳ νουθετῶν ἀπέστησε τῆς πείρας καὶ κατεστόρεσε τὴν φιλοτιμίαν.* De L. Quinctio v. etiam Cic. Brut. c. 62, 223. — *Agebantur*, quod omnes codd. tenent, in interpolatis edd. male mutatum in *agerentur*; nam quo sententia gravior fiat, quae potuissent fieri, Macer ut iam facta enunciat. Ceterum *quae* non unice ad proximum nomen *turbae* refertur, sed omnino omnia, quae in antecedentibus dicta sunt, complectitur. — *His civilibus armis* est *in partium certamine, quod inde a Mario et Sulla usque ad hoc tempus pertinuit.* — *Dicta alia*, sc. *sint, ad caussam certaminis probandam*, i. e. *quum alio quidem praetextu pugnatum sit, sed revera certatum* etc. — *Certatum utrimque* quid sit, patet ex Fr. I, 11. *Pauci potentes sub honesto patrum aut plebis nomine dominationem affectabant.* Sine iusta caussa igitur R. Jacobsius pro *utrimque* scribendum coniecit *utique*, neque magis necessarium aut verum est, quod Linkerus de Praef. urbis Ferr. lat. p. 8., reiecta Jacobsii coniectura, proposuit *utcunque*. Quippe praeter nobiles Macer etiam notat eos, qui plebis caussam se agere simulantes dominationem affectabant, velut Cinna et Lepidus. — *De dominatione in vobis* Gerlachius Vol. III. p. 95. miserabili modo ita, si diis placet, illustrat, ut ad insanias suas, quibus p. 51. barbaram constructionem Fr. I, 9. *quorum in gratia plerique concesserant* defendit, lectores remittat, et praeterea Cat. c. 42 comparet, ubi ne littera quidem est, quae huc pertineat. Ablativi ratio repetenda est a verbo *dominari;* quod quum ita usurpetur, ut vel quietis notio praevaleat (*dominari*, i. e. dominum esse, *in aliqua re*), vel motus et actionis in obiectum directae notio potior sit (*dominari*, i. e. dominationem

citantur! Quae profecto incassum agebantur, si prius quam vos serviundi finem, illi dominationis facturi erant; praesertim quum his civilibus armis dicta alia, sed certatum utrimque de dominatione in vobis sit. Itaque cetera 12
ex licentia aut odio aut avaritia in tempus arsere; per-

exercere *in aliquos*), eadem dicendi ratio etiam in substantivo conspicua est. Ita igitur differt *dominatio in vos* et *dominatio in vobis*, ut illud simpliciter designet *obiectum* dominationis, i. e. eos, qui dominationem patiuntur, hoc paullo generalius indicet, *ubi* sive *apud quos* dominatio valeat. Utrumque eodem redit, nisi quod accusativus, quo Sallustius in eadem re Fragm. I, 45, 2. usus est, servitii notionem graviorem habet. Cum nostro loco congruit Cic. in Verr. V, 68, 175. *Tulit haec civitas regiam istam vestram dominationem in iudiciis et omni republica.*

§. 12. *Itaque cetera — arsere*) Haec Arusianus v. *in tempus* p. 241. Lind. ex III laudat. — *Arsere* Cortius perperam interpretatur *afflicta et vexata sunt*, ac perversius etiam alteram suadet explicationem, ut *arsere* de nobilibus dictum *cetera* obiectum habeat, structura ac sententia tali, qualis est apud Virg. Ecl. II, 1. *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.* At Faber scite monuit *ardere* translate dici de iis, quae vel ipsa vehementer commota et agitata sint, vel propter quae homines exagitentur, coll. Liv. II, 29, 12. *Iam hic, quo nunc omnia ardent, conticesceł furor.* Id. VI, 31, 1. *Insequentis anni principia statim seditione ingenti arsere.* Cic. Epp. ad Q. Fr. II, 15, extr. *Res ardet invidia.* Quare sententia loci haec est: cetera, prout licentia aut odium aut avaritia valebat atque instigabat, per aliquod tantum tempus *homines exagitabant eorumque studia et cupiditates exercebant.* — *In tempus*, quod praegnanti sensu est *in aliquod tempus* (v. Hand. de Partice. lat. Vol. III. p. 338. §. 3. et Tacit. Ann. XIV, 20, 2.), opponitur sequentibus verbis *permansit una res modo, quae utrimque quaesita est*, quo sententia haec efficitur: cetera certamina in aliquod tempus modo viguerunt; sed contentio de tribunicia potestate sola per totum hoc tempus continua fuit, neque unquam intermissa. — *Utrimque quaesita* Cortius recte interpretatur „a plebe, ut confirmarent, ab optimatibus ut tollerent.“ — *Telum* dicitur potestas tribunicia non quo eâ plebes defendatur, sed quod eius ope impetus in nobilitatem paucosque potentes fieri possunt; cf. Tacit. dial. de orat. c. 5. *Non hercule lorica aut gladius in acie firmius munimentum, quam res et periclitanti eloquentia praesidium simul et telum, quo propugnare pariter et incessere possit.* Liv. V, 29, 9. *Si tribunicia vis tribunicio auxilio repelli nequeat,*

mansit una res modo, quae utrimque quaesita est, et erepta in posterum, vis tribunicia, telum a maioribus li-
13 bertati paratum. Quod ego vos moneo quaesoque, ut animadvortatis, neu nomina rerum ad ignaviam mutantes otium pro servitio appelletis. Quo iam ipso frui, si

aliud telum patres inventuros esse. Id. III, 69, 2. *Iuventus detrectationem militiae telum acerrimum adversus patres habere solita erat.*

§. 13. *Quod ego vos moneo quaesoque, ut animadvortatis*) lisdem plane verbis auctor usus est in Ep. Pompeii, Fragm. III, 1, 8., neque multum diversis in or. Philippi I, 51, 9. Etiam proxima sententia *neu nomina rerum* etc. similiter prolata est a Catone in Catil. c. LII, 11. — *Ad ignaviam*, i. e. secundum ignaviam vestram, congruenter ignaviae vestrae; cf. Hand. de Partice. Lat. Vol. I. p. 107 sq. §. 2. Cic. Epp. ad Famm. XV, 6. *Ad meum sensum et ad illud sincerum ac subtile ingenium nihil potest esse laudabilius, quam ea tua oratio.* — *Otium pro servitio appelletis*, i. e. otium appelletis, quod servitium appellandum est. — Verbis *vera et honesta* hic significatur *ius libertatis plebi a maioribus relictum*, cui opponitur *flagitium*, i. e. *vis et superbia nobilitatis.* — *Non est condicio*, i. e. *non ita comparatae res sunt, ut frui possitis*; sive simplicius, *frui non licet.* — *Animum advertere* sc. nobiles ad ea, quae agitis; animo intento sunt. In ed. Venet. ex interpolatione est *animum advortite*, quod Cortius et Gerlachius ed. mai. inconsulto receperunt. — Pro *gravitate* Orellius in ed. Oratt. et Epp. a. 1831. e coniectura scripsit *probitate*, quod codicum lectio probabilem non admittat interpretationem. Qui eius error inde fluxit, quod sibi persuaserat ablativo contineri obiectum comparationis inter *iniuriam* et eius contrarium. Sed dubitari non potest, quin *gravitate* recte se habeat, quippe quod caussae potestate positum significet *per gravitatem.* Sententia enim haec est: omnis iniuria (sc. quae infertur) gravitate sua tutior est (sc. quam infirma patientia), i. e. omnes, qui iniuriam inferunt, viribus suis tutiores sunt, quam qui patiuntur. *Gravitas* hic *vires et potentiam* designat, ut apud Caes. B. G. IV, 3, 4. *Hos quum Suevi propter amplitudinem gravitatemque civitatis finibus expellere non potuissent*: ubi v. Herzog. Eandem sententiam Sallustius aliis quoque turbulentis oratoribus tribuit, velut Memmio, Iug. XXXI, 14. *Ita quam quisque pessume fecit, tam maxime tutus est*: et Lepido, Fragm. Hist. I, 45, 6. *Per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit.* — *Artius habebunt*, sc. vos, i. e. magis vos prement. cf. Iug. c. LXXXV, 34. *Neque illos arte colam, me opulenter.* Plaut. Asin. I, 1, 63. *Quamquam illum mater arte contenteque habet.*

vera et honesta flagitium superaverit, non est condicio; fuisset, si omnino quiessetis. Nunc animum advortere, et nisi viceritis, quoniam omnis iniuria gravitate tutior est, artius habebunt. Quid censes igitur? aliquis vostrum 14
subiecerit. Primum omnium omittundum morem hunc, quem agitis, impigrae linguae, animi ignavi, non ultra

§. 14. *omittundum*) Hoc omnes tenent codd.; sed quum Arus. v. *ago*, p. 212. Lind. hunc locum sic afferat: *amittendum hunc morem, quem agitis*, Orellius et Gerlachius in ed. min. *amittendum* receperunt, quod valde inconsulto factum, non magis certissima librorum fide, quam recta dicendi ratione, cuius certior etiam est auctoritas, obstante. Verissime enim Faber: „*omittimus*, inquit, volentes et sponte, *amittimus* inviti et casu;" quibus adde, quae diximus ad Iug. c. XXXI, 17. p. 186. In tanto sensus discrimine, constanter a scriptoribus observato, non difficile erat videre *amittendum* apud Arusianum corruptum esse, neque ullam caussam esse, cur ei maior fides, quam Sallustii codicibus tribuatur. Nimirum ad tempus oblitus est Orellius Arusianum non instar oraculi esse aut ab ipso Apolline exaratum, sed pariter ut alios libros hic illic corruptelis deformatum, certiorisque fidei, quam relicua, ea tantummodo esse apud eum verba, quae ad lemmata articulorum spectant. Huius autem articuli lemma non est *amittere*, sed *agere*. — Quae sequuntur verba, ita comparata sunt, ut *impigrae linguae*, *animi ignavi* genitivi sint attributivi ad *morem hunc* pertinentes, *non ultra concionis locum memores libertatis* appositio *vos* subiecti, quod in *agitis* verbo inest. Aliam interpretationem inierunt Gerlachius et Orellius, qui *impigrae linguae*, *animi ignavi* pro nominativis vel vocativis habent, Romanos ipsos ita a Macro appellatos rati. Sed quamquam concedendum est, Latinos pariter atque Graecos interdum hac synecdoche usos esse, ut *corporis* partes pro universa persona ponerent (cf. Plaut. Poen. I, 2, 173.), tamen non id sibi permiserunt ut homines dicerent *animos*, quippe quod paene absurdum videri deberet. Ut autem recta dicendi ratio hanc interpretationem respuit, ita peculiaris nostri loci natura illam alteram commendat atque flagitat. Nam verba *morem hunc* nisi accuratius definiuntur, ut sciri possit, *qualis* mos intelligatur, sine illis genitivis non solum obscura, sed prorsus absona sunt. — Ad verba *non ultra concionis* etc. Wassius scite notavit Sallustium imitatum videri Demosthenem in Philipp. IV. p. 53. *Οὐδέν ἐστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν πάντων δυσκολώτατον εἰς τὸ παρὸν, ἢ ὅτι ταῖς γνώμαις ὑμεῖς ἀφεστήκατε τῶν πραγμάτων, καὶ τοσοῦτον χρόνον σπουδάζετε, ὅσον ἂν πάθη-*

15 concionis locum memores libertatis. Deinde (ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebei, modo patricium magistratum, libera ab auctoribus patriciis suffragia maiores vostri paravere) quum vis omnis, Quirites, in vobis sit, et quae iussa nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non agere certe possitis, Iovem aut alium quem

σθε ἀκούοντες ἢν προσαγγελθῇ τι νεώτερον. Εἶτ' ἀπειλθὼν ἕκαστος ὑμῶν οὐδὲν φροντίζει περὶ αὐτῶν, ἀλλ' οὐδὲ μέμνηται.

§. 15. *Deinde Iovem aut alium quem deum consultorem exspectatis?*) Alterum, quod censet Macer, per interrogationem elatum, hanc habet sententiam: *Dein* (sc. censeo), quum in vestra manu sit vobis ipsis consulere, *ne exspectate Iovem aut alium quem deum consultorem*. Ita recte Debrossius hanc periodum constituit, quae olim puncto post *possitis* finiebatur, interrogatione in sequentibus sublata. In parenthesi varie turbatum fuit. *Quo* enim quum non intelligerent editores, alii inde fecerunt *quum*, alii *quis*, contra fidem codicum. Rursus alii aliter voce *modo* laborant. Ciacconius enim, *quis* pro *quo* scribens, *modo* delendum censet, Orellio non multum dissentiente; — Ursinus maluit *quis tribunos pl. modo, modo p. m.*; — Cortius non geminat quidem particulam, sed pro geminata accipiendam censet; — Debrossius *quo tribunis plebei mandando patriciam mag.* scripsit; — Gronov. Observv. I, 25. p. 157. *quo* per tmesin a *modo* seiunctum putans pro *quomodo* capit; — Orellius denique *modo* ad praecedentia trahens *duntaxat* interpretatur, quia patricii ab eo magistratu omnique eius iure exclusi essent. Haec omnia falsa. Primum tenendum est *quo* ad *virilia illa* relatum non esse pronomen, sed adverbium, quo relatio generalior quaedam conficitur, quam per adiectivam formam cum praecedente nomine congruentem. Huius dicendi generis, quo caussae atque instrumenti notio generaliter exprimitur, similis est ratio, quae conspicitur in *qua* et *ea* adverbiis, quibus locus ita, ut nulla ad praecedentis substantivi genus atque numerum relatio sit, indicatur; cf. Nep. I, 3, 1. *Pontem fecit in Histro flumine, qua copias traduceret.* Id. XVIII, 8, 4. *Duae erant viae, qua ad adversariorum hibernacula posset perveniri.* Sall. Iug. XXXVIII, 6. *Locum hostibus introëundi dedit, eaque Numidae cuncti irrupere*, ubi v. Cort. Neque alia dicendi ratione nititur, quod pro *a quibus* etiam poni potest *unde*, pro *apud quos* etiam *ubi*, pro *ad eos* etiam *illuc*, et plurima huius generis alia. Quare *quo* ad *virilia illa* relatum non minus recte habet, quam in vernacula *um euch nicht zu jenen mannhaften Thaten aufzufordern, wodurch ihr* etc., pro *durch welche ihr.*

deum consultorem exspectatis? Magna illa consulum im- 16
peria et patrum decreta vos exsequendo rata efficitis, Quirites, ultroque licentiam in vos auctum atque adiutum properatis. Neque ego vos ultum iniurias hortor, magis 17

— *Plebei* (de qua genitivi forma v. Schneideri Gramm. lat. II, 1. p. 359.) praebent codd.; Cortius scripsit *plebi*. — Verbis *modo patricium magistratum* significatur magistratus, quem patricii soli habebant, neque aditum ad eum plebeiis concedebant, vernacula *die ausschliesslich patricische Würde*. Consulatum intelligi lege Licinia et Sextia a. 377. a. Chr n. patriciis extortum clarum est. In tanta sententiae perspicuitate interpretibus, quominus verum perspicerent, unice offuisse videtur insolitus *modo* particulae locus, quae frequentius sane vocabulo, ad quod pertinet, postponitur. Sed etiam ante id collocari posse recte praecipit Handius de Partice. Lat. Vol. III. p. 651. — *Libera ab auctoribus patriciis suffragia* quae intelligenda sint, patet ex Livio VIII, 12, 14. *Dictatura* (*Q. Publilii Philonis a.* 339. *a. Chr. n.*) *popularis fuit, quod tres leges secundissimas plebei, adversas nobilitati tulit, unam ut plebiscita omnes Quirites tenerent, alteram, ut legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent, tertiam, ut alter utique ex plebe censor crearetur.* — Pro *auctoribus patriciis* Ciacconius maluit *auctoribus patribus*, quod res ipsa flagitare videtur; *patres* enim non diversi sunt a *senatu*, qui hic intelligitur, sed probe discernendi a *patriciis*, qui inde a Servio Tullio universam nobilitatem sive gentes nobilium complectebantur. Inde perspicitur, cur nunquam *patricii* pro *patribus* dicerentur, quamquam inverso modo *patres* interdum latiore sensu pro *patriciis* dicti sunt; v. Beckeri Antiqq. rom. Vol. II, 1. p. 141. Nihilominus verba huius loci integra putamus, Macrumque invidiose magis quam vere suffragiorum auctores *patricios* dixisse, quum tantummodo *patres* i. e. senatus dicendus esset. — Pro *quum vis*, quod codd. praebent, edd. vett. interpolatae habent *quamvis*. — Eaedem codicum lectionem *et quae* mutarunt in *uti quae*. — Verba *quae iussa pro aliis toleratis* Cortius bene vidit spectare ad militiam, gravissimum plebeiorum onus (cf. Iug. c. XLI, 7.); ita enim sententiam supplet: illis nempe militatis, illis vincitis. Ceterum *iussa* non obiectum verbi, sed attributum relativi est. — *Aut non agere certe*; his verbis Macer iam digitum quasi intendit ad id, quod toti eius orationi finis propositus est, ut plebs, quo nobilitatem frangat, militiam detrectet.

§. 16. *Magna*) Recte Cortius: „ut omnia in hac oratione, ita et vox *magna* ad invidiam comparata, pro *magnifica, alta, superba*."

uti requiem cupiatis; neque discordias, ut illi criminantur, sed earum finem volens iure gentium res repeto, et si pertinaciter retinebunt, non arma, neque secessionem, tantummodo ne amplius sanguinem vestrum praebeatis, 18 censebo. Gerant habeantque suo modo imperia, quae-

cf. Liv. XXXIV, 5, 6. *Verba magna, quae rei augendae caussa conquirantur, et haec et alia esse scio.* Id. XXXV, 2, 2. *Tum adversae quam secundae res magnis sermonibus celebrabantur*, ubi v. Drakenb. Hor. Sat. I, 6, 73. *Pueri magnis e centurionibus orti.* — Sententia haec ἀσυνδέτως priori adiecta proprie per *at* particulam illi contraponenda erat. — *Properatis* ad analogiam *ire* verbi cum supino iunctum est, de quo diximus ad Catil. c. XXXVI, 4. p. 168. cf. Fr. V, 17. *Video indigentium donu quaesitum gratiae properantem.* Paullo insolentius quidem eadem constructio statim post ex *hortor* verbo pendet, sed commodam excusationem habebit, si reputaveris in *hortari* transitivam sententiam esse, quae in *properare* intransitiva est. Verba *neque ego vos ultum iniurias hortor* sine *ego* pronomine laudat Arus. v. *hortor*, p. 234. Lind. ex III., *ultum* explicans *ultum ire*, unde hoc certe patet falso Fabrum ad Cat. V, 9. coniicere librariorum culpa *ire* ante *iniurias* excidisse.

§. 17. *cupiatis*) Edd. veteres interpolatae *capiatis.* — *Res repeto*, i. e. iura nobis erepta ut nobis restituantur postulo, metaphorâ sumptâ a fetialibus, qui, antequam populus Romanus bellum faceret, mittebantur *ad res repetendas*, cuius instituti haec erat vis, ut gens hostilis rapta restitueret, aut alio modo satisfaceret; cf. Liv. I, 32, 6. sqq. Brisson. de Form. IV. p. 341. — Pro *censebo*, quod in omnibus codd. est, Cortius ex edd. interpolatis scripsit *censeo*, non assecutus futurum propter praegressum *retinebunt* utique esse necessarium. — De duplici structura *censere* verbi, ex quo primum accusativus obiecti, deinde enunciatio finalis apta est, cf. ad Catil. c. V, 9. p. 31. et ad Iug. c. XXV, 1. quibus locis similes constructiones illustravimus. *Censere arma* eadem breviloquentia dictum, ut *iubere legem* (v. ad Iug. c. LXXXIV, 1. p. 436.), *decernere praemium* (v. ad Cat. c. XXX, 6. p. 146.) Caes. B. G. VII, 77, 2. *Pars deditionem, pars eruptionem censebant.* Liv. X, 12, 3. *Bellum Samnitibus patres censuerunt.* Tacit. Ann. III, 57, 1. *Nec tamen repertum, nisi ut effigies principum, aras deum, templa et arcus aliaque solita censerent.* Quae exempla Fabro debentur.

§. 18. *suo modo*) i. e. fastu et arrogantia ipsis propria. —

rant triumphos, Mithridatem, Sertorium et reliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis; absit periculum et labos, quibus nulla pars fructus est. Nisi forte 19
repentina ista frumentaria lege munia vostra pensantur, qua tamen quinis modiis libertatem omnium aestuma-

Cum imaginibus suis significat *sociis et adiutoribus imaginibus suis usi*, cui sententiae tacito opponitur *sine vobis*. Mirifice autem Faber hic observat, *cum* saepe ita poni, ut contemptus atque indignationis vim habeat; quasi ulla praepositio ullusve casus, quibus *grammatica* nominum ratio indicatur, honorem aut contemptum significare possint, quae, si quando locum habent, in universa sententia, non in praepositione insunt. *Cum*, quod in universum duarum rerum coniunctionem designat, hic indicat imagines nobilibus ita adhaerere, ut sine iis constare nequeant. Contemptus igitur vel potius ironia in eo cernitur, quod nobiles iubentur a re vanissima, sed cui illi plurimum tribuunt, auxilium ad bella gerenda petere. — *Quibus* refertur ad *iis* (i. e. *vobis*), quod in antecedentibus ad *absit* supplendum est; cf. Krügeri Grammat. lat. §. 549. p. 737. nostr. §. 145, 4, p. 486.

§. 19. *repentina ista frumentaria lege*) Intelligitur lex Terentia et Cassia frumentaria, lata a. M. Ter. Varrone et C. Cassio Varo coss. a. 73. a. Chr. n. cf. Cic. in Verr. III, 70, 163. et V, 21, 52. *Repentina* ea lex dicitur, quia, quum plebs iam per longius tempus caritate annonae premeretur patribus opem non ferentibus, consules, ne seditio oriretur, praeter expectationem lege lata animos demulserunt. — *Ista* in universum designat, quod ad secundam personam pertinet (v. Gramm. lat. nostr. §. 121, 5. p. 299 sqq.); quare h. l. est: vel in vestrum commodum lata, vel *vobis grata*. Hoc verisimilius, quia Macer legem apud plebem in invidiam vocare studet. — *Munia* capienda sunt de stipendiis et militiae laboribus plebi pro potentia nobilitatis subeundis. — *Quinis modiis*. Scilicet lege frumentaria cuivis civi permittebatur in singulos menses quinos tritici modios vili pretio emere; v. ad Fr. I, 45, 11. Pro modio autem senos asses cum triente solvebant, teste Schol. Bob. ad Cic. p. Sest. p. 300. et 303. Orell. Universa Macri sententia hic et in sequentibus ostendit, patres eo consilio plebi vilius frumentum praebuisse, ut hoc beneficio libertatis studia omitteret. — *Qui* quum referatur ad *modiis*, sensus est: quini isti modii non minus tenuem vobis victum praebent, quam servis alimenta carceris.

et ignaviam cuiusque tenuissima spe frustratur) Cod. Vat. 1. *et ignam quiusque tenuissimas per frustratur*: — Vat. 2. *et ignavi*

vere, qui profecto non amplius possunt alimentis carceris. Namque ut illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires, sic neque absolvit cura familiari tam parva res, et ignaviam cuiusque tenuissima spe frustratur; quae tamen quamvis ampla quoniam serviti pretium osten-

quisque tenuissima perfrustrantur; — cod. Ciacc. *et ignavi cuiusque tenuissima spe frustratur*. Hae codicum discrepantiae multum editores torserunt. Edd. Ven. enim praebent *et ignavi qui usque tenuissimas perfrustrantur*: — Puteanus apud Carrionem *et ignavus quisque tenuissima spe frustratur*; — Gruterus *et ignavissumi quique tenuissima spe frustrantur*; — Gronov. Obss. III, 2. p. 343. ed. Lips. *et ignavi cuiusque tenuissimas spes frustratur*. Haec attulimus, non quo singula refelleremus, sed ut, quam falsa essent, sola vi verae lectionis pateret. Felicissime enim Orellius in ed. a. 1840. vidit *ignam*, quod apicibus litterarum non diversum est ab *ignaui*, compendium *ignaviam* vocis esse, neque ceteras corruptelas aliter quam distractione litterarum ortas esse, de quo vitii genere v. supra ad III, 23. et ad Fr. I, 33. Quibus in ordinem repositis integerrima prodit sententia bimembris, negans altera, altera aiens, cui utrique commune est subiectum *tam parva res*. Quae quum *ignaviam cuiusque tenuissima spe frustrari* dicitur, sensus est: exigua frumenti largitio, quoniam falso benevolentiae nobilitatis in plebem documentum habetur, omnes ignavos in tenuissimam et prorsus vanam spem melioris condicionis inducit. Aliter Cortius: „Decipiuntur, quando sperant quinis his modiis posse seque suosque sustentare. Neque melius Gerlachius Vol. III. p. 98. „Fraus potius in eo erat posita, quod hac parva *mercede* (?) maioris *praemii* (?) spes iis erepta est.“ Quod idem vero, ut *ignavus quisque* tueatur, praecipit „ad *elegantias* orationis Sallustianae pertinere, subiecta, quae dicunt, mutare,“ id ad obsoletas sordes grammaticas pertinet, quibus hodie nemo vel mediocriter latine doctus inquinatur. Ex ipsis autem talium ineptiarum patronis si quaeras, quid sit elegans, nihil sani audies; nam ut quidque est maxime vitiosum aut absurdum, ita iis videtur elegantissimum.

§. 20. *quamvis ampla*) Haec quoniam fictam exaggerationem subiecti continent, in *quamvis* voce primitiva *verbi* potestas praevalet, quae planius intelligitur, si pro singulari pluralem posueris *quam vultis ampla*, ut est apud Cic. in Verr. V, 5, 11. *Exspectate facimus quam vultis improbum: vincam tamen exspectationem omnium.* Ad cetera recte capienda tenendum est, quum Macer in antegressis *tenuitatem largitionis* maxime exagitet, *quae*

taretur, cuius torpedinis erat decipi et vostrarum rerum ultro iniuriae gratiam debere? Cavendus dolus est. Namque alio modo neque valent in universos, neque cona-

non referendum esse ad *tenuissima spe*, sed ad *tam parva res*, *servitii pretium* autem nominativum esse attributivum *quae* subiecti. Totius igitur loci sensus hic est: *tam parva frumenti largitione vobis non consulitur: sed fingite eam esse amplissimam: tamen, quoniam ea nihil aliud esset, quam servitii pretium, summae torpedinis erat decipi.* — Pro *quae tamen* Orellius ex Faerni coniectura scripsit *qua tamen*, sine ulla necessitate. — De ratione passivi in verbo *decipi* v. Grammat. lat. nostr. §. 116, 7. c. not. 10. p. 250. — *Iniuriae* nostra coniectura est pro *iniuria*, ut codd. et edd. habent. Quod quamquam Gerlachio mirifice placet (nam Vol. III. p. 98. „*iniuria* additum, inquit, ut iudicium [?] de hac agendi ratione [?] interponeret; neque erat, quod interpp. hoc in loco offenderent, cum haec dicendi ratio [quaenam?] quam maxime Sallustiana sit [?!] cfr. Catil. c. 7, 4. *in castris per laborem usu militiam discebant.*"), tamen, quia corruptam infert sententiam, tolerari nullo pacto potest. Nam quum *ultro* significet, id, quod enunciatur, exspectari non potuisse, idem non potest dici *iniuria* fieri, ut facile patet ex sententiae conformatione, quae sic se habet: quantae torpedinis erat decipi, et vestras res non solum amittere, *sed adeo amissionis gratiam debere.* Quod quum torpedinis cumulus sit, quomodo *iniuriâ* in cogitationem addi possit, non liquet. Id bene perspexit Faber, sed non satis probabiliter incommodae sententiae ita medendum censuit, ut vel *iniuria* tanquam *ultro* vocis glossa eiiciatur, vel *in iniuria* scribatur. Gronovius Observatt. III, 2, p. 343. ed. Lips coniecit *et vestra munerantibus pro iniuria gratiam debere:* Wassius *altera iniuria:* Contarenus in libro de Frumentar. Rom. largitione *ultra iniuriam.* Sed nihil horum probari potest. Nobis persuasum est Sallustium scripsisse *iniuriae*, quo et sententiae aliquanto fit acerbior, et verborum constructio magis perspicua, dativo ad infinitivum addito. *Iniuria* enim abstracto vim concreti obtinente, ut supra §. 13., eos significat, *qui* (vobis) *iniuriam faciunt.* Eodem modo apud Livium XXVIII, 42, 7. *fraus* dicitur pro homine, qui fraudem facit. — *Vostrarum rerum* duplici modo potest intelligi, vel ita, ut sit *earum rerum*, *quae iure vestrae sunt* (euer Eigenthum), *sed vobis ereptae*, vel *miserae condicionis vestrae.* Illud si admiseris, *iniuriae* est *iis*, *qui eas per iniuriam possident:* hoc si probas, in dativo haec sententia inest: *iis*, *qui per iniuriam vestras res miseras effecerunt.*

§. 21. *Cavendus dolus est)* Ita exstat in Vat. 1. Balliol. et apud

buntur. Itaque simul comparant delenimenta, et differunt vos in adventum Cn. Pompei; quem ipsum, ubi pertimuere sublatum in cervices suas, mox dempto metu la-

Arus. v. *Kave*, p. 243. ed. Lind. Vulgo legitur *cavendus tamen dolus est*, quo vis sententiae valde debilitatur ac pervertitur. Neque respicienda Gronovii (Obss. III, 2. p. 343.) coniectura *tantum*, quippe quae interpolata lectione nitatur. Ceterum haec verba, quae in codd. et edd. omnibus post *conabuntur* comparent, post *debere* transposuimus, Fabri auctoritate moti, qui acutissime suspicatus est ea in antiquissimo aliquo codice, unde ceteri fluxerunt, loco suo mota fuisse. Nihil enim, ut vulgo edebatur, accurate inter se cohaeret; nam ut verba *namque — conabuntur* nullam prorsus caussam continent praecedentium, ita subiecta his sententia *cav. dol. est* minime ex superiore prodit, neque rursus quae sequuntur ullo modo per *itaque* particulam cum proximis sociari possunt; nam quod Gerlachius Vol. III. p. 99. allucinatur *itaque* saepius [?!] vi explicativa poni pro *nempe* vel *nimirum* [?!], id huius viri insipientiae condonandum est. Transpositis vero verbis omnia expedita fiunt. Nam quum verbis *cuius torpedinis erat decipi* rectissime et cum magna orationis vi subiicitur *cavendus dolus est*, tum hanc sententiam optime excipiunt haec: *namque alio modo* (sc. quam *dolo*) *neque — conabuntur*, quippe quibus cautionis necessitas demonstratur. Iam etiam *itaque* recte se habet, quo sententia annectitur doli modum, cui nobilitas studebat, ostendens; hoc enim in particula inest: *solo igitur dolo nitentes* etc. — Ad *conabuntur* ex *valent* verbo supplendum est *valere;* cf. Fr. II, 50, 4. III, 77, 2. et Gramm. lat. nostr. §. 159, 5. p. 603.

ubi pertimuere sublatum in cervices suas) i. e. *quem tum, quum in summo timore fuerunt, sustulerunt in cervices suas.* Intelligit Macer tempus illud, quo Metellus in Hispania tam male rem contra Sertorium gerebat, ut Romani in uno Pompeio spem melioris fortunae ponerent, eumque summo imperio praeditum contra illum mitterent. Dictionem *in cervices tollere* Orellius recte vidit desumptam esse a *servis lecticariis, dominum cervicibus gestantibus;* quare hoc significatur, nobilitatem rerum suarum timore commotam Pompeium quasi dominum sibi constituisse ac servili obsequio coluisse. — *Mox* non est *nunc*, ut Gerlachio visum, sed *aliquo praeterlapso tempore*, quod ipsum definitur verbis *dempto metu*, sc. Sertorii, periculique ex Hispania imminentis. Mirifice igitur Gerlachius et Faber verba *dempto metu*, quae aperte opponuntur praecedentibus *ubi pertimuere*, capiunt de Pompeio, quem nobiles non amplius timerent. Totius autem loci sensum prorsus pervertit Faber, ita interpretatus: „so

cerant. Neque eos pudet, vindices, uti se ferunt, liber- 22
tatis, tot viros sine uno aut remittere iniuriam non audere, aut ius non posse defendere. Mihi quidem satis 23
spectatum est, Pompeium, tantae gloriae adulescentem, malle principem volentibus vobis esse, quam illis dominationis socium, auctoremque in primis fore tribuniciae

lange er, durch sie emporgehoben, Gewalt über sie hat, beben sie vor ihm, bald nachher aber, wenn sie nicht mehr Ursache haben ihn zu fürchten, greifen sie ihn heftig an." — *Lacerant*, i. e. iniquis iudiciis et sermonibus perstringunt, sive, ut Cicero p. Balbo c. 26, 57. loquitur, „more hominum invident, in conviviis rodunt, in circulis vellicant, maledico dente carpunt." Cic. Brut. c. 42, 156. *Obtrectatio et invidia solet lacerare plerosque.* Liv. XLII, 3, 5. XLIII, 8, 3. Videtur autem ex eo maxime tempore nobilitati simultas cum Pompeio intercessisse, quum ille epistola ad senatum data (v. Fr. III, 1.) summam arrogantiam in eum ordinem ostenderat.

§. 22. *se ferunt*) i. e. se iactant, gloriantur; cf. Drakenborch. ad Liv. IV, 45, 7. *Se quisque belli ducem potiorem ferre.* Vell. I, 11, 1. *Pseudophilippus se Philippum regiaeque stirpis ferebat.* — *Remittere iniuriam* hic significat *iniuriam, quae sublata potestate tribunicia commissa erat, tollere eâ restituendâ.* Id Macer criminatur nobiles non audere sine Pompeio, si peccatum esse concedant; sin iure factum putent, non posse ius suum sine illo defendere, eaque de caussa totos ex eo pendere.

§. 23—25. *spectatum*) i. e. rebus ipsis cognitum. *Spectantur* enim, quae oculis subiecta sunt. — *Adulescens* quomodo appelletur Pompeius tum triginta tres annos natus (v. Fischeri Tabb. chronol. hist. Rom. p. 160.), patebit ex annotat. ad Catil. c. XXXVIII, 1. p. 176. — *Volentibus vobis* est *voluntate et consensu vestro*, ut Catil. c. XXXIII, 2. *Volentibus omnibus bonis argentum aere solutum est.* Pro *in primis* Orellius in ed. a. 1840. et Faber perperam scripserunt *inprimis*; adverbio enim hic non est locus. v. ad Catil. c. LX, 6. p. 322. et Kühner. ad Cic. Tusc. III, 6, 12. — *Auctorem tribuniciae potestatis* non ita dictum est, ut suppleatur *restituendae*, quamquam id ad sententiam illustrandam admodum est accommodatum, sed *auctor* simpliciter valet *commendatorem*, *defensorem*, *patronum*, quo sensu saepissime de legibus ferendis dicitur; cf. supra ad Fr. II, 47. et v. Rein. in Pauli Encyclop. real. Vol. I. p. 997. — *Claudit* antique dictum pro *claudicat*, i. e. minus procedit. Laudat hunc locum Donat. ad Ter. Eun. I. 2, 84. simul cum altero Histor.

24 potestatis. Verum, Quirites, antea singuli cives in plu-
ribus, non in uno cuncti praesidia habebatis, neque mor-
25 talium quisquam dare aut eripere talia unus poterat. Ita-
que verborum satis dictum est. Neque enim ignorantia
26 res claudit, verum occupavit nescio quae vos torpedo,
qua non gloria movemini neque flagitio, cunctaque

Fragmento (Inc. 74.), quod iterum ad II, 3, 38. attulit. *Claudere* pro *claudicare* etiam dixit Cicero Tusc. V, 8, 22. *Beatam vitam, etiam si ex aliqua parte claudere t, tamen ex multo maiore parte obtinere nomen suum*, ubi v. Kühner. Id. Orat. 51, 170. *Quid est, cur claudere aut insistere orationem malint?* Brut. 59, 214. *In quacunque parte una plane claudere t, orator esse non posset.* cf. Drakenb. ad Liv. XXII, 39, 3. infra Fr. III, 98.

§. 26. *qua non gloria movemini*) Pro *qua*, quod tenet Vat. 1. et 2., olim legebatur *quia*, ex mera interpolatione librariorum, qui ignorarent, haud raro duos ablativos diversae potestatis ad idem verbum pertinere. Hoc igitur loco *qua* ad torpedinem relatum caussae vim habet, *gloria* et *flagitio* instrumenti, quae dicitur, potestate capiendum; cf. paullo supra §. 19. *Qua* (sc. lege frumentaria) *quinis modiis libertatem omnium aestumavere*, ubi relativum remotiorem caussam designat, alter ablativus pretii, quae dicitur, potestatem habet. Fr. IV, 19, 15. *Multitudinem artis locis pugna prohibuere.* ib. IV, 34. Pluribus de hoc usu egerunt Matthias ad Cic. p. Mur. c. 40, 87. Ellendtius ad Cic. de Orat. III, 44, 174. Kuehnerus ad Tusc. III, 15, 31. — *Cuncta*, i. e. iura, libertatem, dignitatem vestram. — *Mutavistis* Orellius recte interpretatur *vendidistis pro praesenti ignavia*, quod hic valet neglexistis vel abiecistis, ut in praesentia ignavis vobis esse liceat. Metaphora ducta a mercando, quum aliud datur, ut aliud accipiatur; cf. Iug. XLIV, 5. *Lixae permixti cum militibus pecoris et mancipiorum praedas agere, caque mutare cum mercatoribus vino advectitio.* Hist. Fr. I, 51, 7. *Tum erat Lepidus latro cum — paucis sicariis, quorum nemo non diurna mercede vitam mutaverit.* Catil. c. LVIII, 15. *Nemo nisi victor pace bellum mutavit.* — De *esse* infinitivo ad praedicati substantivum *libertatem* omisso v. ad Fragm. I, 45, 19. — *Quia tergis abstinetur.* Spectant haec ad legem Porciam, de qua Livius X, 9, 4. *Porcia lex*, inquit, *sola pro tergo civium lata videtur, quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit.* cf. Catil. c. LI, 22. et v. Zumpt. ad Cic. Verr. V, 63, 163. p. 978. Reinii Ius Rom. priv. p. 44. — Verba *munera dilium dominorum* appositionis vi referuntur ad praecedentes enunciationes. Id constructionis

praesenti ignavia mutavistis, abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur, et huc ire licet atque illuc, munera ditium dominorum. Atque haec eadem non sunt agresti- 27
bus, sed caeduntur inter potentium inimicitias, donoque dantur in provincias magistratibus. Ita pugnatur et vin- 28
citur paucis; plebes, quodcumque accidit, pro victis est, et in dies magis erit, siquidem maiore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem.

genus duobus fit modis, prout verbum, quod praecedit, vel intransitivum est aut passivum, vel transitivum; illud appositionem casu nominativo habet, hoc accusativo, eo sensus discrimine, ut nominativus rem designet, qualis sit, accusativus, qualis efficiatur. Ex illo genere est noster locus; ad alterum pertinet Hist. Fr. IV, 19, 8. *Eumenem* (Romani) *initio prodidere Antiocho*, *pacis mercedem*, — i. e. *ut pacis merces esset*. I, 45, 12. *Plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites*, *mercedem scelerum*. cf. Kruegeri Gramm. lat. §. 296, 2. not. 6. p. 389. et Gramm. lat. nostr. §. 120, 4. not. 11. addit. d. p. 296. Ante Cortium in edd. corrupte legebatur *munere*, quo acerba ironia prorsus tollitur.

§. 27. *haec eadem*) i. e. haec tenuia et exigua, qualia sunt verberum immunitas et liber incessus. — *Agrestibus*, h. e. plebi rusticae, quae durioris erat condicionis, quam urbana, delectibus acerbissimis vexabatur, agris suis pellebatur, aut, quum seditiones et civiles turbae exarserant, prout adversae parti addicta fuerat, caedebatur. *Agrestes* vocat, quos Catil. c. XXXVII, 7. *iuventutem*, *quae in agris manuum mercede inopiam tolerabat*, et Livius XXV, 1, 8. *rusticam plebem* dixit. CORT. — *Inter potentium inimicitias*, h. e. dum potentes armis civilibus inter se certant; adeo nec terga, nec vitam ipsam libera habent. CORT. — *Dono dantur in provincias magistratibus*, h. e. magistratibus assignantur, quibus ad provincias obtinendas militibus opus est; adeoque illis non huc ire licet atque illuc. CORT.

§. 28. *paucis*) Ita recte exstat in Vat. 1. et 2.; ceteri codd. et edd. nonnullae veteres ex interpolatione futili tenent *a paucis*. Sensum verae lectionis Cortius recte perspexit esse hunc: in paucorum gratiam et commodum pugnatur et vincitur, i. e. pro paucorum potentia pugnatur, et, si vincitur, illi commoda ad sese rapiunt. — *Pro victis* per synesin tritissimam referri ad *plebes* in promptu est. Et tamen in nonnullis edd. vett. et nuper in Weisiana ex interpola-

83. Collegamque eius Octavium mitem et captum pedibus.

84. Male iam assuetum ad omnis vis controversiarum.

85. Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat.

tione legitur *pro victa.* — De vi coniunctivorum *retinuerint* et *repetiveritis* v. Gramm. lat. nostr. §. 118, 4. p. 274.

Fr. 83. [Cort. p. 979. Gerl. ed. mai. III, 42. ed. min. II, 82. p. 205, 16. et III, 3. p. 215, 24. Debr. II, 75.] Verba exstant apud Arus. v. *Kaptus*, p. 243. ed. Lindem., qui tres priores voces ex cod. Gud. primus addidit. Incredibili autem perversitate Gerlachius hoc Fragmentum, quod Arus. ex *tertio* laudat, non solum in hoc retulit, sed etiam *secundo* inseruit, decurtata priorum edd. forma retenta, quum tamen locum Arusiani ex Lindemanni ed. citaverit. — Quamquam dubitari nequit, quin et hoc et duobus sequentibus Fragmentis de rebus urbanis dictum fuerit, tamen nimis abrupta sunt omnia, quam ut vera verborum sententia erui possit. Si quid tamen coniectura tentandum est, suspicor Sallustium, quum de contentionibus tribuniciis dicere ingressus esset, hic aliquid narrasse de Sicinnio, tribuno plebis dicacissimo (v. ad Fr. II, 45. 46.), consules anni 76. a. Chr. n. Cn. Octavium et C. Scribonium Curionem lacessente. De his enim sermonem esse ex eo patet, quod Octavius *captus pedibus* dicitur; cf. Cic. Brut. 60, 217. *Quum Curio multa dixisset sedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis et multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus*, quem locum respexit Quintil. XI, 3, 129. — *Captus pedibus* intelligendus est, qui morbo liberum pedum usum amisit. Similiter dicitur *oculo, membris, parte membrorum captus*; cf. Duker. ad Liv. XXII, 2, 11. et Drakenborch. ad XLI, 16, 3.

Fr. 84. [Cort. p. 963. Gerl. ed. mai. III, 4. ed. min. III, 6, p. 215, 27. Debr. I, 10.] Locum affert Priscian. VI, 12, 64. p. 261. ed. Kr. propter insolitam pluralis formam *vis* vocis. Eandem tangit Probus Instt. Gramm. II, 1, 40. (p. 1461. P.). „*Lucretius tamen* (II, 586. III, 266.) *numero plurali hae vis et has vis, ut sit plurali et hae vis, has vis, o vis, casus habens in numero plurali tres.* cf. eund. ibid. II, 1, 54. (p. 1476. P.)." *Vis controversiarum* autem quum significet *violentiam, qua controrersiae exercebantur*, probabile est hic agi de turbulento aliquo et violento tribuno vel plebis exagitatore, qui iam in consuetudinem violentarum contentionum devenisset.

Fr. 85. [Cort. p. 978. Gerl. ed. mai. III, 34. ed. min. III, 8. p.

CAP. VII.

Fragmenta prorsus obscura aut paucissimis verbis composita. Fr. 86—99.

---

86. Quod ubi frustra tentatum est, socordius ire

216, 4. Debr. II, 74. IV, 90.] Fragmentum, ab Arus. v. *gratia* p. 232. ed. Lind. servatum, quam sententiam habeat, prorsus obscurum est, nisi quod dubitari nequit, quin ad locum pertinuerit, quo auctor de dissensionibus studiisque civilibus exponeret. *Gratiam facere alicuius rei* significat *veniam dare* sive *ignoscere*: cf. Catil. c. LII, 8. *Qui mihi nullius unquam delicti gratiam fecissem.* Iug. CIV, 5. *Senatus Boccho delicti gratiam facit.* Ceterum respicitur ad legem Plautiam sive Plotiam *de reditu Lepidanorum*, de qua v. Sueton. vit. Caes. c. 5. *L. Cinnae, uxoris fratri, et qui cum eo civili discordia Lepidum secuti post necem consulis ad Sertorium confugerant, reditum in civitatem rogatione Plotia confecit, habuitque et ipse super ea contionem.* Gell. NN. AA. XIII, 3. *Reperi tamen in oratione C. Caesaris, qua Plautiam rogationem suasit, necessitatem dictam pro necessitudine, id est iure affinitatis.* cf. Non. p. 354, 8. ed. Mercer. De eius latae tempore notabilis est error Drumanni Hist. Rom. Vol. III. p. 139. not. 29., qui totam rem ad annum 70. a. Chr. n. refert, quo anno Sertorius iam biennium caesus, eius bellum compositum, Pompeius consul factus fuit. Sed ut consentaneum est finito Lepidi bello, neque septem annis post, nonnullis, qui eius caussam secuti erant, redeundi veniam esse datam, ita aperte patet ex Suetonii l. l. a. 77. Caesarem suasisse rogationem Plautiam, quum ex peregrinatione Asiatica reversus tribunatum militum adeptus esset. Quae Gerlachius Vol. III. p. 14. de lege Plautia *a Catulo repetita* (?!) fabulatur, merae nugae sunt, et non magis turpis inscitiae, quam ingenii ad iudicandum inhabilis insignia documenta.

Fr. 86. [Cort. p. 979. Gerl. ed. mai. III, 35. ed. min. III, 99, p. 224, 14 Debr. IV, 6.] Apud Nonium, qui verba IV, 3. p. 235, 14. ed. Merc. affert, pro *socordius ire milites occoepere* in codd. est *socerdius ire miles obcepere*, quod correxit Mercerus. Praeterea edd. Nonii pro *occoepere* habent *obrepere*, plane futili sententia; in Sallustii autem edd. ante *laxiore* insertum legitur *et*, quod quamquam haud incommodum est, tamen, quum de integra periodo non constet, nullo pacto potest praestari. Quid a Sallustio narretur frustra tentatum esse, aut a quibus, quove loco atque tempore, erui non potest, nisi hoc licet coniicere, de seditioso aliquo agi exercitu, in quo

milites occoepere, non aptis armis, ut in principio, laxiore agmine.

87. Ut sustinere corpora plerique nequeuntes arma sua quisque stans incumberet.

ad parendum et ad disciplinam militarem reducendo *ducis consilium frustra fuisset.* Solus Debrossius pro certo scit haec dicta fuisse de Gellii consulis exercitu, anno 72. a. Chr. n. a Crixo oppresso. — *Aptis* voci Freundius in Lex. h. v. p. 319. haud recte vim adiectivi tribuit interpretatus *commodis*, *idoneis*, quod huic loco parum convenit. Participium esse verissime vidit Douza, ablativos modi sic explicans: *armis aptatis, expeditis atque ita compositis, ut, ubi usus veniret, ad manum atque in promptu esse possent.* Frequenter isto sensu dicitur *aptare arma*; cf. Liv. V, 49, 3. *Suos in acervum coniicere sarcinas et arma aptare iubet.* X, 33, 2. *Vixdum satis aptatis armis in ordines eunt.* XXII, 5, 3. *Ut vix ad arma capienda aptandaque pugnae competeret animus.* Patet igitur Sallustium prisci verbi *apere* participio usum esse pro tritiore frequentativo *aptare.*

Fr. 87. [Cort. p. 978. Gerl. ed. mai. III, 25. ed. min. III, 12. p. 216, 10. Debr. II, 117.] Arus. v. *incumbo*, p. 235. et Lind. Pro *quisque* in cod. Ambros. est *quisquis*; pro *stans* autem in eodem et in Gud. legitur *instans*, quae vitia facile possunt ex Servio emendari, qui ad Virg. Aen. IX, 229. posteriorem Fragmenti partem sic refert: *fessi arma sua quisque stantes incumbere.* Quae quamquam memoriter a grammatico laudata sunt, ut patet tum ex eo, quod Sallustii verba *sustinere corpora plerique nequeuntes* uno vocabulo *fessi* complexus est, tum ex mutata sententiae forma universa, hoc tamen certa via intelligitur, *stare* a Sallustio fuisse positum. Nam hoc ipsum in Virgilianis verbis *stant longis annixi hastis* illustraturus Servius: „quod *stant*, inquit, et Romani moris est, et bellicae necessitatis. Hunc autem *standi* habitum et Sallustius commemorat, ut: *fessi* etc.“ Rursus ex eo, quod Arusianus habet *incumberet*, planum fit, pluralem *stantes* non Sallustii esse, sed Servii, liberius illius verba referentis. Inconsulto igitur Carrio, quem plurimi secuti sunt, verba sic constituit: „ut sustinere corpora plerique nequeuntes, *fessi*, arma sua quisque stan*tes* incumber*ent*.“ De praedicato singulari numero ad *quisque* appositum relato, ubi subiectum plurale est, v. Gramm. lat. nostr. §. 114, 2. a. bb. not. 5. p. 237. — Argumentum Fragmenti prorsus incertum est, siquidem res narrata in quovis bello fieri potuit. Debrossius tamen, cui Gerlachius Vol. III. p. 101. vehementer astipulatur, non dubitat, quin res narrata facta sit in pugna ad Italicam (v. ad II, 21.) a Metello contra Hirtuleium

88. Et forte in navigando cohors una, grandi phaselo vecta, a ceteris deerravit, marique placido a duobus praedonum myoparonibus circumventa.

89. Ac tum maxume, uti solet in extremis rebus,

commissa, scilicet auctore nisus Frontino, qui Strategem. II, 1, 2. haec habet: *Metellus Pius in Hispania adversus Hirtuleium, quum ille oriente protinus die instructam aciem vallo eius admovisset, fervidissimo tunc tempore anni, intra castra suos continuit in horam diei sextam, atque ita fatigatos aestu facile integris et recentibus vicit suorum viribus.* Quo loco quum Hirtuleius quidem nominetur, sed non item Italica, in Sallustii autem Fragm. neque de Hirtuleio neque de Italica quicquam intelligatur, quumque accedat gravissimum hoc, quod de illa pugna in *secundo* libro dictum est, quivis concedet miseranda insipientia hoc Fragm. ad eam pugnam referri. Et tamen Gerlachius non erubescit summam Debrossii considerantiam et acumen hic exhibitum praedicare.

Fr. 88. [Cort. p. 966. Gerl. ed. mai. III, 16. ed. min. III, 64. p. 219, 21. Debr. II, 80.] Verba, quae exstant apud Non. XIII, 6. et 7. p. 534, 17. et 25. ed. Mercer., quum aperte spectent ad res cum piratis gestas, fortasse fuerunt in narratione de bello cretico ab Antonio administrato (v. supra Fr. 59—66). Debrossius unde cognoverit hic agi de L. Bellieno praetore a piratis capto, equidem nescio. Praetor ille quum fuerit a. 107. a. Chr. n., ut patet ex Sall. Iug. c. CIV, 1., difficile dictu est, quomodo post tantum tempus hic commemorari potuerit. Gerlachius Vol. III. p. 91. prorsus inepte Fragmentum ad Mithridatem refert ex ingenti naufragio, quod in Propontide passus erat (v. supra Fr. III, 35. 36.), a piratis exceptum, coll. Plutarch. in Lucull. c. 13.

Fr. 89. [Cort. p. 966. Gerl. ed. mai. III, 15. ed. min. III, 55. p. 218, 28. Debr. III, 45.] Non. II, 527. p. 137, 9. ed. Mercer. Pro *in extremis rebus*, quod codd. tenent, Sallustii edd. inverso ordine *extr. in reb.* Praepositionem etiam abesse posse intelligitur ex verbis Fr. III, 78. *Divorsa, uti solet rebus perditis, capessunt.* Inter utramque structuram autem hoc interest, quod praepositione addita magis *rerum status per se* declaratur, ablativis absolutis vero positis *caussae significatio* praevalet. — *Munia* deest in Nonii edd. et plerisque codd. Sed Sallustium hanc vocem usurpasse planissimum est ex eo, quod Nonius *munia* huius articuli lemma posuit, cui illustrando Sallustianum locum adhibet. Iam mature autem aliquid turbatum fuisse in codd. inde perspicitur, quod, quum in plerisque *munia* desit, Paris. *α. δ.* hanc vocem habent, *extrema* adiectivo carent. Recte igitur iam a Iunio genuina lectio restituta est.

sibi quisque carissumum domi recordari, cunctique omnium ordinum extrema munia sequi.

90. Namque his praeter solita vitiosis magistratibus, quum per omnem provinciam infecunditate bienni proxumi grave pretium fructibus esset.

Extrema munia cum Cortio intelligenda sunt de ***testamento militari***, a militibus in summo rerum discrimine ac vix dubia morte imminente fieri solito, omisso testamentorum ritu solenni; cf. Herzog. ad Caes. B. G. I, 39. Freinshem. ad Flor. III, 10, 12. et imprimis Reinii Ius priv. Rom. p. 374. ***Munia sequi*** autem significat ***se dare ad obeunda munia***; cf. Fr. V, 8. ***Ceteri negotia sequebantur familiaria legatorum.*** Eodem modo apud Terent. Adelph. II, 2, 40. ***lites sequi*** est ***ad litigandum se conferre.*** Ubiubi autem res acta est (nam potuit vel in Hispania, vel in Macedonia, vel in quovis alio illius temporis bello fieri), hoc tantummodo certum est, de Romano exercitu haec dici, procul a patria in maximo periculo et mortis timore versante. Aliud Gerlachio placuit, qui Vol. III. p. 90. ***sequi*** mutandum censet in ***exsequi***, et ***extrema munia*** interpretatus ***vilissima officia***, Cyzicenorum virtutem et constantiam his verbis describi vult, quae Fragmenti explicatio extremae absurditatis est. An non absurdum est, ut de verborum perversa interpretatione taceam, quod Cyziceni, qui suam urbem defenderent, quisque sibi carissimum *domi* recordati esse dicuntur? Scilicet ignoravit V. D. quam vim *domi* vox apud Romanos haberet, neque illud vidit ***ordines*** h. l. esse vocabulum militiae romanae, quo varii gradus militum discernerentur. (v. Herzog. ad Caes. B. G. I, 40, 1. et Ruperti Antiqq. rom. Vol. III. p. 875.); hi ordines autem quid ad Cyzicenos?

Fr. 90. [Cort. p. 966. Gerl. ed. mai. III, 12. ed. min. III, 7. p. 215, 28. Debr. II, 141.] Non. IV, 218. p. 314, 23. ed. Merc. Quamquam certa verborum explicatio nullo modo potest iniri, tamen vix dubium est, quin pertinuerint ad res Hispanicas sive Sertorii bellum, id quod coniicitur ex ***provinciae*** commemoratione ***per biennium gravi annona laborantis.*** cf. Fragm. III, 1, 1. et imprimis §. 9. Plutarch. in Pomp. c. XX, extr. in Sert. c. XXI, extr. Non improbabile igitur videtur, huic Fragmento proximum post Pompeii epistolam fuisse locum, quum consentaneum sit, Sallustium de caussis inopiae et famis, de qua Pompeius tantopere queritur, quaedam subiecisse, et eius rei culpam haud exiguam magistratuum vitio tribuisse. Hunc enim sensum habere videntur verba ***namque his praeter solita vitiosis magistratibus***, licet non constet utrum ***his — magistratibus*** dativi, an ablativi temporis, aut absoluti sint. ***Vitiosi magistra-***

91. Dedecores inultique terga ab hostibus caedebantur.

92. Perculsis et animi incertis succurritur.

93. Muros successerant.

tus hic non sunt eo modo intelligendi, quo Cic. Phil. II, 33, 84. Dolabellam dicit *vitiosum consulem*, i. e., ut de N. D. II, 4, 11. loquitur, *vitio creatum*, sed sunt *officii immemores, flagitiosi, improbi, vitio obnoxii; praeter solita* autem est *supra solitum morem*, quod eodem redit, ac si Sall. dixisset *solito vitiosioribus magistratibus*, de qua *praeter* particulae potestate v. Handii Tursell. Vol. IV, p. 541. §. 6. — *Biennium proximum*, si recte coniecimus de loco huius Fragmenti, complectitur annos 75. et 76. a. Chr. n. — Gerlachius in explicandis verbis Vol. III. p. 89. misere titubat. Primo enim *vitiosos magistratus* esse dicit L. Octavium et C. Cottam, anni 75. a. Chr. n. consules; tum hoc improbat, quod non constet vitio eos creatos esse; deinde Havercampii coniecturam *vitiosis magis aestatibus* ita refert, ut nescias probet, necne; postea ipse eam sic refingit: *praeter solito vitiosis magis aestatibus*, sed nullius pretii hoc esse dicit, quod sane verissimum; denique post haec omnia quid de toto Fragmento statuat, prorsus nescit. Idem vero in ed. min. ex nova coniectura verba sic scripsit: *namque his praeter solita vitiosis mala aestatibus* etc., quae quem sensum habeant, aut quo pertineant, non liquet.

Fr. 91. [Cort. p. 963. Gerl. ed. mai. III, 8. ed. min. III, 84. p. 223, 24. Debr. III, 27.] Priscianus VI, 9, 47. p. 250. ed. Kr. haec laudat ad demonstrandum usum adiectivorum *decor* atque *dedecor*; cf. Fr. III, 11. Pro *inultique* vitiose in codd. est *multique*, quod Douza correxit; cf. Drakenborch. ad Liv. III, 38, 3. De ratione accusativi *terga caedebantur* v. Gramm. lat. nostr. §. 126, 5. b. p. 338. Krügeri Gramm. lat. §. 323 p. 427. Qui caesi fuerint et ubi, nemo potest dicere. Debrossius ad Romanos refert a Mithridate cum magna clade Chalcedonem compulsos; sed hoc falsum esse ex eo patet, quod ea res in *secundo* libro narrata est; v. Fragm. II, 59. 60.

Fr. 92. [Deest ap. Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. III, 97. p. 224, 12.] Fragmentum recens accedit ex Arusiani cod. Gud. v. *incertus*, p. 242. ed. Lind. De *animi* genitivo v. Grammat. lat. nostr. §. 128. III, 2. b. bb. Addit. 2. p. 373. cf. Fr. II, 93.

Fr. 93. [Cort. p. 979. Gerl. ed. mai. III, 40. ed. min. III, 14. p. 216, 15. Debr. III, 44.] Arus. v. *successit*, p. 260. ed. Lind. cf. Fragm. I, 105. II, 61.

Fr. 94. [Cort. p. 979. Gerl. ed. mai. III, 38. ed. min. III, 51. p. 218, 22. Debr. III, 63.] Verba ex III. laudat Arus. v. *fine*, p. 231. ed.

94. Fine inguinum ingrediuntur mare.

95. Dein lenita iam ira, postero die liberalibus verbis permulcti sunt.

96. Contra ille calvi ratus quaerit extis, num somnio portenderetur thesaurus.

Lind.; eadem sine libri indicio affert Philargyr. ad Virg. Georg. III, 53. — *Fine inguinum*, i. e. ita, ut inguina finis, quo usque aqua pertineret, essent, *inguinum tenus*. cf. Auct. B. Afr. c. 85, 1. *Per mare umbilici fine ingressi terram petebant.* CORT. Adde Oudendorp. ad Caes. B. G. VII, 47, 5. *Matresfamiliae de muro — pectoris fine prominentes — obtestabantur Romanos*, ubi v. etiam Herzog. et Gronov. ad Iustin. XXX, 4, 6.

Fr. 95. [Cort. p. 980. Gerl. ed. mai. III, 45. ed. min. III, 21. p. 216, 24. Debr. IV, 20.] Verba Priscianus IX, 9, 51. p. 466, ed. Kr. ex III. laudat, quae in Sall. edd. antiqq. in *quarto* libro leguntur. Ea Debrossius intelligit de Crassi severitate, partem exercitus post eladem sub Mummio acceptam decimantis et ceteros graviter castigantis, teste Plutarcho in Crass. c. 10.; sed neque verba conveniunt, et hoc obstat, quod illa res ad librum *quartum* pertinet (v. Fr. IV, 27.) Douza vero, quem Gerlachius Vol. III. p. 103. sequitur, de Hispanis agi censet, Sertorii nece exacerbatis, quos Perperna promissis in partes suas trahere tentaverit, coll. App. B.C. I, 114. Sed quis credat illam iram, caedis die ortam, statim *postero die* et quidem *liberalibus*, si diis placet, Perpernae *verbis* discussum esse? — De qua re Sallustius dixerit prorsus obscurum est. Hoc unum videtur ex verbis erui posse, cuius *postero die liberalia*, i. e. lenia et humana, *verba* fuerint, *eundem die ante valde iratum fuisse*, neque vero iratos fuisse eos, qui permulcti dicuntur.

Fr. 96. [Cort. p. 963. Gerl. ed. mai. III, 9. ed. min. III, 85. p. 223, 25. Debr. III, 2.] Eutych. II, 16. p. 195. Lind. (p. 2186. Putsch.). Perperam in codd. est *ne somnio*, pro quo scribendum esse *num somnio* Sallustii editores dudum viderunt. Verba quattuor priora *contra ille calvi ratus* habet etiam Non. I, 20. p. 7, 6. Merc. et Priscian. X, 2, 13. p. 482. Kr.; idemque VIII, 14, 76. p. 415. Kr. etiam *calvi ratus* verba laudavit. *Calvere* veteres dixisse pro *decipere*, *fallere*, *frustrari* grammatici docent ll. ll., quibus adde Charis. I, 17, 13. p. 32. (Putsch. p. 43), ubi v. Lindemann. — De omisso *se* pronomine in structura accusativi cum infinitivo ex *ratus* pendente v. Gramm. lat. nostr. §. 152. III, 8. a. not. 15. p. 554. Ceterum illud, de quo hoc Fragm. agitur, tantis involutum est tenebris, ut ne Gerlachius quidem, quem talia non terrent, in mai. certe editione, explicationem

97. Exaudirique sonus Bacchanaliorum.
98. Coniuratione claudit.
99. Dubius consili.

tentaverit. In minore simulat se intellexisse; sed quomodo intellexerit, ego non prodam. Debrossius ad pueriles delapsus ineptias verba refert ad Mithridatem, Eupatoris proavum et Demetrii Poliorcetis aequalem, quem Plutarchus in Demetr. c. 4. narrat Antigono, de messe aurea somnianti, fraudis suspectum factum esse. cf. Appian. B. Mithr. c. 9. *Ὁ Ἀντίγονος ἐνύπνιον ἔδοξε πεδίον σπεῖραι χρυσίῳ, καὶ τὸ χρυσίον ἐκθερίσαντα τὸν Μιθριδάτην ἐς τὸν Πόντον οἴχεσθαι.* Eam rem Debr. vult a Sallustio in narratione de Mithridatis genere prolatam esse. Sed praeterquam quod nihil potest esse dissimilius, quam Plutarchi et Sallustii verba, inane commentum vel eo arguitur, quod *secundo* libro de Mithridatis maioribus et regni origine dictum est.

Fr. 97. [Cort. p. 962. Gerl. ed. mai. III, 1. ed. min. III, 33. p. 217, 13. Debr. III, 67.] Non. VIII, 49. p. 489, 26. Merc. sine libri nota; sed quum Macrob. Saturn. I, 4. referat, Sallustium in *tertia* (i. e. in Historiarum libro tertio) usum esse genitivi forma *Bacchanaliorum* pro *Bacchanalium*, Carrio recte hunc locum ad tertium lib. retulit. De genitivo sec. decl. v. Berger. Gramm. lat. §. 54, 4. b. p. 88.

Fr. 98. [Cort. p. 963. Gerl. ed. mai. III, 5. ed. min. III, 10. p. 216, 8. Debr. IV, 23.] Priscian. X, 4, 22. p. 489. Kr. haec laudat ut exemplum verbi *claudere* pro *claudicare* positi, de quo usu v. ad Fr. III, 82, 25.

Fr. 99. [Cort. p. 978. Gerl. ed. mai. III, 33. ed. min. III, 23. p. 217, 1. Debr. III, 29. IV, 77. V, 72.] Arus. v. *dubius*, p. 225. ed. Lindem.

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER IV.

ARGUMENTUM.

CAP. I.

Bellum Mithridaticum. Amisi oppugnatio. — Pugna ad Cabira. — Mithridatis fuga ad Tigranem. — Clodius ad Tigranem legatus missus. — Lucullus regem in interiora regni sequitur. — Euphratis transitus. — Mesopotamiae descriptio. — Tigranocertorum expugnatio. — Copiarum Tigranis descriptio. — Luculli iter per Corduenos. — Mithridatis epistola ad Arsacem. Fr. 1—21. [Anni 71—69. a. Chr. n.]

CAP. II.

Bellum servile extremum. Pastores in Lucania servis se adiungunt et rudia arma parant. — Crassus dux contra fugitivos eligitur. — Spartacus in Bruttium agrum se recipit. — Eius conatus in Siciliam traiiciendi. — Descriptio Italiae inferioris et freti Siculi. — Servorum discordia, reditus ex Bruttiis per Lucaniam, et variae clades. — Spartaci mors. Fr. 22—45. [Annus 71. a. Chr. n.]

CAP. III.

Bellum Macedonicum ac Thracium. M. Luculli expeditio in Thraciam. Fr. 46—47. [Anni 72. 71. a. Chr. n.]

CAP. IV.

Piratarum latrocinia. Fr. 48—49. [Anni 71—69.]

CAP. V.

Res urbanae. Cn. Lentuli censoris lex. — Urbs terrae motu concussa. — Metellus ex Hispania reversus. — Crassi et Pompeii consulatus. — Pompeius favorem plebis quaerit. — Idem potestatem tribuniciam restituit. — Palicanus aliique tribuni turbulenti. — Crassi et Pompeii simultas. — Verres a Cicerone accusatus. Fr. 50—63. [Anni 71. 70. a. Chr. n.]

CAP. VI.

Fragmenta obscuriora, et incertae aut nullius explicationis. Fr. 64—77.

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIB. IV.

Cap. I.

Bellum Mithridaticum. Amisi oppugnatio. — Pugna ad Cabira. — Mithridatis fuga ad Tigranem. — Clodius ad Tigranem legatus missus. — Lucullus regem in interiora regni sequitur. — Euphratis transitus. — Mesopotamiae descriptio. — Tigranocertorum expugnatio. — Copiarum Tigranis descriptio. — Luculli iter per Corduenos. — Mithridatis epistola ad Arsacem.

1. Amisumque assideri sine proeliis audiebat.

Fr. 1. [Cort. p. 981. Gerl. ed. mai. IV, 8. ed. min. IV, 46. p. 228, 20. Debr. IV, 93.] Priscian. VIII, 9, 82. p. 419. Kr., ubi falso legitur *Amissumque*, quod Douza correxit. *Assideri*, pro quo edd. Sall. ex interpolatione habent *obsideri*, eodem modo usurpavit Tacit. Ann. VI, 43, 1. *Assidendo castellum — dedit spatium exuendi pacta*: sed utroque loco *assidere* non plane idem significat, atque *obsidere*, siquidem in promptu est segnem quandam et languidam oppugnandi rationem eo indicari. Hoc sensus discrimen planissime expressit Livius XXI, 25, 6. *Mutinae quum obsiderentur, et gens, ad oppugnandarum urbium artes rudis, — segnis intactis assideret muris.* — *Audiebat* haud dubie intelligendum de Mithridate, qui, ut ingentium damna cladum ad Cyzicum et in Propontide acceptarum repararet, ad Cabira exercitum colligebat, dum Lucullus vel ipse vel per legatos ponticas urbes Themiscyram, Heracleam, Eupatoriam et Amisum oppugnat. Id factum annis 71. et 70. a. Chr. n. De Amisi obsidione cf. Plutarch. in Luc. c. 15, in. Ὁ Λούκουλλος περί τε τὴν Ἀμισὸν διέτριψε, μαλακῶς τῇ πολιορκίᾳ χρώμενος, καὶ μετὰ χειμῶνα Μουρήναν ἀπολιπὼν ἐπὶ τῆς πολιορκίας, ἐβάδιζεν ἐπὶ Μιθριδάτην καθήμενον ἐν Καβείροις καὶ διανοούμενον ὑφίστασθαι τοὺς Ῥωμαίους. Appian. B. Mithrid. c. 78, extr. Οἱ δ ἀμφὶ τὴν Ἀμισὸν (sc. Romani) ἕτερον τρόπον ἐμόχθουν, ἀπομαχομένων αὐτοὺς τῶν Ἀμισέων, καὶ πολλάκις ἐκθεόντων, καὶ ἐς μονομαχίας προκαλουμένων. Μιθριδάτης δ' αὐτοῖς πολλὴν ἀγορὰν καὶ ὅπλα καὶ στρατιὰν ἔπεμπεν ἐκ Καβείρων, ἔνθα χειμάζων στρατὸν ἄλλον συνέλεγε. Phlegon ap. Phot. cod. 97. p. 84, a. ed. Bekker.

2. Simul eos et cunctos iam inclinatos laxitate loci plures cohortes atque omnes, ut in secunda re, pariter acre invadunt.

Fr. 2. [Cort. p. 991. Gerl. ed. mai. IV, 27. ed. min. IV, 69. p. 230, 2. Debr. III, 53.] Non. II, 429. p. 132, 20. Mercer. In Nonii codd. corrupte est *laxitas et loci*, correctum a Carrione. *Acre* Mercerus mutatum voluit in *acres*, sed sine necessitate; neutrum enim adiectivi pro adverbio poni haud inusitatum. Quo verba pertineant valde ambiguum est, quum res eiusmodi sit, ut in quavis pugna accidere potuerit. Tamen non omni probabilitate carere videtur, si coniicias Fragmentum de pugna ad Cabira esse intelligendum, quippe cuius ea ratio fuerit, ut, initio pugnae a frumentatoribus Luculli et equitibus regiis orto, paullatim cohortes et totus exercitus proelio implicaretur, quo brevi magna clades Mithridaticorum effecta est; v. Memnon. ap. Phot. cod. 224. p. 235, a. ed. Bekk. *Λεύκολλος ἀγορὰν ἄξοντας εἰς Καππαδοκίαν ἐκπέμπει, καὶ μαθὼν Ταξίλλης καὶ Διόφαντος πεζοὺς ἐκπέμπουσι τετρακισχιλίους καὶ ἱππεῖς δισχιλίους, ἐφ' ᾧ ἐπιθέμενοι ἀφαιρήσονται τοὺς ἀποκομίζοντας τὰς ἀγοράς· καὶ συμβαλόντων ἀλλήλοις ἐπικρατέστεροι γεγόνασι οἱ Ῥωμαῖοι· πέμψαντος δὲ Λευκόλλου βοήθειαν τοῖς οἰκείοις, τροπὴ γίνεται βαρβάρων περιφανής.* cf. Appian. B. Mithrid. c. 81. Plutarch. in Lucull. c. 17. Neque tamen magnopere repugno, si quis hac explicatione improbata de alio quocunque proelio cogitare maluerit.

Fr. 3. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 86. ed. min. II, 58. p. 204, 6. Debr. II, 127. IV, 45.] Ex *quarto* haec refert Arus. v. *introitum*, p. 243. Lindem.; sine libri indicio et omissa *ita* particula eadem laudat Serv. ad Virg. Aen. X, 628. et XI, 230. *Introitum* impersonaliter usurpatum eodem modo cum accusativo coniunctum est, quemodmodum dicitur *itur domum*, *venitur Italiam*, et similia. Non certo quidem, sed tamen aliqua verisimilitudinis specie haec referri posse ad Luculli victoriam ad Cabira reportatam, quivis, opinor, concedet, qui reputaverit tanta perturbatione et tam effusa fuga regis copias castra sua reliquisse, ut de iis defendendis aut de resistendo nemo cogitaret, teste Appiano B. Mithrid. c. 82. Plutarch. in Lucul. c. 17. — *Ita*, quam particulam Gerlachius temere omisit, spectat ad praecedentem narrationem de coeco timore ac summa trepidatione regiorum, eius rei effectum notans; cf. Hand. de Partic. Lat. Vol. III. p. 488. §. 15.

Fr. 4. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 149. ed. min. Inc. 44. p. 238, 12. Debr. III, 13. IV, 49.] Verba, a Servio ad Virg. Georg. I, 3. sine libri indicio allata, quoniam de femina munditiis ornatissima dicta sunt, quum consentaneum sit rarissimam tantum ac non

3. Ita castra sine volnere introitum.
4. Cultu corporis ornata egregio.
5. Tenuit Lucullus thesauros, custodias regias.

nisi singulari de caussa factam esse mulierum in Historiis mentionem, non absimile veri est Sallustium haec in tradenda Mithridatis incredibili crudelitate post cladem ad Cabira acceptam exercita posuisse. Ne Romani enim sororibus, uxoribus et concubinis suis potirentur, omnes interfici iussit (v. Memnon. ap. Phot. cod. 224. p. 235, a. 15. Bekk. Appian. B. Mithrid. c. 82, extr.), inter quas etiam *Monime* fuit Milesia, pulchritudine insignis. De cuius tragica sorte quum Plutarchus in Lucul. c. 18. data opera exposuerit, Sallustio auctore id eum fecisse suspicor, cuius verba commode de Monime capi possunt. Ita autem de illa Plutarchus l. l.: *Ἦσαν δὲ μετὰ πολλῶν* (sc. *γυναικῶν*) *ἀδελφαί τε δύο τοῦ βασιλέως — καὶ γαμεταὶ δύο, Βερενίκη μὲν ἐκ Χίου, Μονίμη δὲ Μιλησία. Ταύτης ὁ πλεῖστος ἦν λόγος ἐν τοῖς Ἕλλησιν, ὅτι τοῦ βασιλέως πειρῶντος αὐτὴν — ἀντέσχε, μέχρις οὗ γάμων ἐγένοντο συνθῆκαι, καὶ διάδημα πέμψας αὐτῇ βασίλισσαν ἀνηγόρευσεν. Αὕτη καὶ παρὰ τὸν ἄλλον χρόνον ἀνιαρῶς εἶχε καὶ ἀπεθρήνει τὴν τοῦ σώματος εὐμορφίαν, ὡς δεσπότην μὲν ἀντ' ἀνδρὸς αὐτῇ, φρουρὰν δὲ βαρβάρων ἀντὶ γάμου καὶ οἴκου προξενήσασαν. Καὶ δὴ τοῦ Βακχίδου προστάξαντος αὐταῖς ἀποθνήσκειν ὡς ἑκάστῃ δοκοίη ῥᾷστον εἶναι καὶ ἀλυπότατον, περισπάσασα τῆς κεφαλῆς τὸ διάδημα τῷ τραχήλῳ περιῆψε καὶ ἀνήρτησεν ἑαυτήν. Ταχὺ δ' ἀποῤῥαγέντος, Ὦ κατηραμένον, ἔφη, ῥάκος, οὐδὲ πρὸς τοῦτό μοι χρήσιμον ἔσῃ; Κἀκεῖνο μὲν ἀπέῤῥιψε προσπτύσασα, τῷ δὲ Βακχίδῃ τὴν σφαγὴν παρέσχεν.* cf. Appian. B. Mithr. c. 21. *Ἐπανιὼν δὲ ἐκ τῆς Ἰωνίας — παρθένον τε εὔμορφον ἰδὼν ἐς τὰς γυναῖκας ἀνεδέξατο· καὶ εἴ τῳ σπουδὴ καὶ τὸ ὄνομα πυθέσθαι, Μονίμη Φιλοποιμένος ἦν.*

Fr. 5. [Deest apud Cort. ed Debr. — Gerl. ed. mai. IV, 41. ed. min. IV, 44. p. 228, 18.] Locus exstat apud Pompei. Comment. in Art. Don. p. 190. ed. Lindem. Quamquam Fr. III, 42. *castella*, *custodiae thesaurorum* memorantur, tamen nostri loci alia est ratio. *Custodiae regiae* enim hic nihil pertinent ad thesauros, sed *carceres* designant, quibus Mithridates multos ex propinquis aliosque ipsi suspectos inclusos tenebat. Iis politus est Lucullus post victoriam ad Cabira reportatam teste Plutarcho in Lucull. c. 18, in. *Τὰ δὲ Κάβειρα λαβων καὶ τῶν ἄλλων φρουρίων τὰ πλεῖστα θησαυρούς τε μεγάλους εὗρε, καὶ δεσμωτήρια, πολλῶν μὲν Ἑλλήνων, πολλῶν δὲ συγγενῶν τοῦ βασιλέως καθειργμένων.* cf. Appian. B. Mithrid. c. 82. *Ταῦτα δ' ὁρῶντες* (sc. interfectiones uxorum et con-

6. Insolens vera accipiundi.

7. Tetrarchas regesque territos animi firmavit.

8. Imperi prolatandi percupidus habebatur, cetera egregius.

cubinarum) *οἱ φρούραρχοι τοῦ Μιθριδάτου ἀθρόως ἐς τὸν Λούκουλλον μετετίθεντο.*

Fr. 6. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 45. ed. min. IV, 60. p. 229, 19. Debr. V, 7. V, 13.] Verba laudat Donat. ad Ter. Andr. V, 4, 4., *insolens* interpretans *insuetus*. In summa verborum brevitate lubricum est constituere quis intelligendus sit, praesertim quum ne de libro quidem, unde desumpta sunt, constet. Ad Mithridatis autem res pertinuisse Fragmentum probabile fit ex his. Rex enim strage exercitus sui ad Cabira ad incitas redactus regno suo relicto in Armeniam confugerat ad Tigranem generum, cuius praesidio et auxilio tutus foret; v. Appian. B. Mithr. c. 82. Plutarch. in Lucull. c. 19, in. Memnon. ap. Phot. c. 224. p. 235. b. Bekk. Ad eum exposcendum missus est a Lucullo Appius Clodius; v. Memnon. l. l. Plut. in Luc. c. 19. et 21. coll. App. B. Mithr. c. 83. Is non territus Tigranis superbia, qui regio fastu servili omnium obsequio assuetus esset, libera ad regem *insolentem vera accipiundi* oratione usus est, teste Plutarcho l. l. *Ἄππιος, ὡς ἔτυχε λόγου πρῶτον, ἄντικρυς ἦκειν ἔφη Μιθριδάτην ἀπάξων ὀφειλόμενον τοῖς Λουκούλλου θριάμβοις, ἢ καταγγέλλων Τιγράνῃ πόλεμον, ὥστε τὸν Τιγράνην — μὴ λαθεῖν τοὺς παρόντας ἡλλοιωμένον τῇ παῤῥησίᾳ τοῦ νεανίσκου φωνῆς σχεδὸν ἐλευθέρας ἀκούοντα διὰ πέντε καὶ εἴκοσι ἐτῶν.*

Fr. 7. [Cort. p. 991. Gerl. ed. mai. IV, 26. ed. min. IV, 48. p. 228, 23. Debr. V, 5.] Arus. v. *exterritus*, p. 228. Lindem. Verba haud dubie ad eandem Clodii legationem pertinent, ut colligitur ex Plutarcho in Lucull. c. 21. *Ἐπεὶ δὲ Τιγράνην αὐτοῦ* (sc. *ἐν Ἀντιοχείᾳ*) *κελευσθεὶς περιέμενεν, πολλοὺς μὲν ᾠκειώσατο τῶν ὑπούλως ἀκροωμένων τοῦ Ἀρμενίου δυναστῶν, — πολλαῖς δὲ κρύφα τῶν δεδουλωμένων πόλεων διαπεμπομέναις πρὸς αὐτὸν ὑπέσχετο τὴν Λουκούλλου βοήθειαν, ἐν τῷ παρόντι κελεύσας ἡσυχάζειν. Ἦν γὰρ οὐκ ἀνασχετὸς ἡ τῶν Ἀρμενίων ἀρχὴ τοῖς Ἕλλησι, ἀλλὰ χαλεπή.* *Tetrarchae* igitur *regesque* (de quibus v. ad Catil. c. XX, 7.) sunt, qui apud Plutarchum nominantur *δυνάσται*; *territi animi* erant timore Armeniorum et Tigranis, *τῇ ἀνασχετῷ τῶν Ἀρμενίων ἀρχῇ*; *firmavit* aperte idem est, quod Plutarchus dixit *ὑπέσχετο βοήθειαν.*

Fr. 8. [Deest ap. Cort. et Debr. — Gerl. ed. mai. Inc. 180. ed. min. I, 83. p. 196, 13.] Locum Arus. v. *egregius*, p. 228. Lind.

9. Camisos.

10. Quam maxumis itineribus per regnum Ariobarzanis contendit ad flumen Euphraten, qua in parte Cappadocia ab Armenia disiungitur. Et quamquam naves codicariae occulto per hiemem fabricatae aderant.

falso laudat ex Iugurtha, ubi non legitur. Ex quo Historiarum libro sit, quamquam dici non potest, tamen vix alius homo illorum temporum reperitur, in quem verba melius adhiberi possint, quam Lucullus. Cui quum multi tum in exercitu tum Romae adversarentur, inter alia etiam hoc crimini dabant, nimia eum imperii prolatandi, i. e. continuandi, cupidine teneri, bellumque ex bello serere. Viguisse has criminationes maxime tum, quum Lucullus Mithridate e Ponto expulso bellum contra Tigranem in Armenia moliretur, aperte tradit Plutarch. in Lucull. c. 24. *Λούκουλλος ἤδη οἰόμενος τὰ τοῦ προτέρου πολέμου πέρας ἔχειν — ἐπὶ τὸν δεύτερον ἐχώρει πόλεμον, ὁρμῇ τινι δοκῶν παραβόλῳ — ἐμβαλεῖν αὐτὸν εἰς ἔθνη μάχιμα —, ὥστε τοὺς μὲν στρατιώτας, οὐδ' ἄλλως ὄντας εὐτάκτους, ἄκοντας ἕπεσθαι καὶ ζυγομαχοῦντας, ἐν δὲ Ῥώμῃ καταβοᾶν καὶ διαμαρτύρεσθαι τοὺς δημαγωγούς, ὡς πόλεμον ἐκ πολέμου διώκει Λούκουλλος οὐδὲν τῆς πόλεως δεομένης, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ στρατηγῶν μηδέποτε καταθέσθαι τὰ ὅπλα, μηδὲ παύσασθαι χρηματιζόμενος ἀπὸ τῶν κοινῶν κινδύνων.* Quae criminationes quum in Luculli rebus exponendis minime negligendae essent, Sallustium quoque eas attigisse, sed ita, ut sine partium studio verum referret, neque virtutis Luculli immemor esset, dubitari nequit. Quare commodum Fragmento locum assignasse nobis videmur, quamquam concedimus etiam *quinto* libro, ubi de imperio Lucullo adversariorum machinationibus abrogato agitur (v. Fr. V, 10.), haec verba legi potuisse.

Fr. 9. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 49. ed. min. Inc. 23. p. 237, 15. Debr. V, 23.] Nomen hoc a Probo II, 1, 51. p. 130. Lindem. (p. 1473. P.) laudatum non diversum videtur ab eo, quod apud Strabonem XII, p. 838. B. Almel. *τὰ Κάμισα* dicitur. Castellum fuit in Armenia minore, qua Ponto confinis est. Quare eius mentio tum facta esse videtur, quum Lucullus ex illis regionibus per Cappadociam Euphratem peteret.

Fr. 10. [Cort. p. 990. Gerl. ed. mai. IV, 20. ed. min. IV, 54. p. 229, 4. Debr. V, 8.] Non. XIII, 12. p. 535, 15. Merc. Pro *Ariobarzanis* Gerlachius ex ed. Ald. et Iunii scripsit *Ariobarzani*, quod non damnandum foret, si codicum auctoritate niteretur, cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. lat. II, 1. p. 163 sqq.; sed libri manu

11. *[Sallustius, auctor certissumus, asserit]* Tigrim et Euphraten uno fonte manare in Armenia, qui per divorsa euntes longius dividuntur spatio medio relicto multorum millium; quae tamen terra ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur.

exarati vulgarem genitivi formam praebent. Iidem vero quoniam *Euphraten* tuentur, non dubitavimus hoc receptae in edd. formae in -*em* praeferre; v. Schneider. l. l. p. 40. — *Quamquam naves* scripsimus ex ed. pr. et cod. Par. *α. δ.*; ceteri perverse tenent *quamq. ad naves*, unde Aldus fecit *quamq. ad id naves*, quod licet valde absurdum sit, quia in praecedentibus nihil est, quo *id* pertineat, tamen omnes edd. tanquam legitima et integerrima lectio occupavit. — Fragmentum per se patet de Luculli profectione contra Tigranem intelligendum esse, anno 69. a. Chr. n. suscepta. *Ariobarzanes* fuit praefectus Cappadociae, Luculli partes secutus; cf. Memnon. ap. Phot. c. 224. p. 238, b. Bekk. *Λεύκολλος δὲ εἰς τὴν Καππαδοκίαν ἐληλυθὼς καὶ φίλον ἔχων τὸν ἐπάρχοντα ταύτης Ἀριοβαρζάνην διέβη παρὰ δόξαν πέζῃ τὸν Εὐφράτην.* — *Qua in parte Cappadocia ab Armenia disiungitur*, fuit apud Melitenen urbem; v. Tacit. Ann. XV, 25. extr. et 26. in. *Addidit Corbulo auxilia regum in unum conducta apud Melitenen, qua tramittere Euphraten parabat. Mox iter L. Lucullo quondam penetratum pergit.* cf. Strabo XII. p. 808. C. Almelov. Plin. H. N. VI, 3. Postrema verba ita comparata sunt, ut coniicias in apodosi fere haec fuisse: *primo tamen fluminis transitus valde difficilis videbatur.* Paullo obscurius id innuitur Memnonis verbis *διέβη παρὰ δόξαν πέζῃ*; clare vero rem tradit Plutarch. in Lucull. c. 24, med. *Λούκουλλος δὲ συντόνως ὁδεύσας ἐπὶ τὸν Εὐφράτην καὶ κατίοντα πολὺν καὶ θολερὸν ὑπὸ χειμῶνος εὑρὼν ἠσχάλλεν, ὡς διατριβῆς αὐτῷ καὶ πραγματείας ἐσομένης συνάγοντι πορθμεῖα καὶ πηγνυμένῳ σχεδίας. Ἀρξάμενον δ' ἀφ' ἑσπέρας ὑποχωρεῖν τὸ ῥεῦμα καὶ μειούμενον διὰ τῆς νυκτὸς ἅμ' ἡμέρᾳ κοῖλον παρέσχε ὀφθῆναι τὸν ποταμόν.* — *Codicariae naves*, eaedem dictae etiam *caudicariae*, teste Festo p. 36. ed. Lindem. sunt *naves ex tabulis crassioribus factae.* cf. Varro de Vita pop. rom. III. apud Non. l. l. — *Quod antiqui pluris tabulas coniunctas codices dicebant, a quo in Tiberi navis codicarias appellamus.*

Fr. 11. [Cort. p. 1010. Gerl. ed. mai. Inc. 194. ed. min. IV, 57. p. 229, 12. Debr. V, 11.] Locus legitur apud Isidor. XIII, 21, 10. p. 429., sed in obliquam orationem transformatus, non facile constitui potest, num Sallustii verba accurate referat. Utut est, certe

12. Mesopotameni homines effrenatae lubidinis sunt in utroque sexu, *[ut Sallustius meminit.]*

13. Naphthas.

vitiose apud Isidorum pariter atque in Sall. edd. legitur *quae tamen terra, quae ab ipsis ambitur*, quippe quo inepta *terrae* relatio efficitur ad praecedentia, ubi de ea re non agitur. Quare *quae* post *terra*, sive casu sive perverso iudicio in textum illatum, delere non dubitavimus, quo sententia in ordinem redit; nam elucet campos *Euphrate et Tigri circumfluos* opponi superiori regioni, quae fontibus propior *Armeniae* nomine appellatur. Ceterum verba *uno fonte manare* non significant ambo flumina *ex eodem simul fonte* profluere, sed Tigrim et Euphraten non plures, sed singulos fontes habere. De ea enim re non constabat inter veteres. *Tigri* certe plures fontes tribuit Herodot. V, 52. *Ποταμοὶ νησοὶ περητοὶ τέσσερες διὰ ταύτης* (sc. *Ἀρμενίης*) *ῥέουσι· πρῶτος μέν, Τίγρις· μετὰ δὲ, δεύτερός τε καὶ τρίτος ωὐτὸς οὐνομαζόμενος, οὐκ ωὐτὸς ἐὼν ποταμὸς, οὐδὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ ῥέων· ὁ μὲν γὰρ πρότερος αὐτέων καταλεχθεὶς ἐξ Ἀρμενίων ῥέει. ὁ δὲ ὕστερον ἐκ Ματιηνῶν.* Euphratis *fontes* commemorat Strabo XI. p. 792. A. Almel. *Ἔστι δὲ μείζων ὁ Εὐφράτης* (sc. *τοῦ Τίγριδος*), *καὶ πλείω διέξεισι χώραν σχολιῷ τῷ ῥείθρῳ, τὰς πηγὰς ἔχων ἐν τῷ προσβόρῳ μέρει τοῦ Ταύρου.* Id. ib. p. 799. A. *Ὁ Εὐφράτης ἀπὸ τῆς βορείου πλευρᾶς τοῦ Ταύρου τὰς ἀρχὰς ἔχων*, quamquam non plane liquet, utrum *πηγῶν* et *ἀρχῶν* voces propriam pluralis vim, an universam originis notionem habeant. — De loco huic Fragmento a nobis dato vix potest dubitatio esse, siquidem consentaneum est Sallustium de his fluminibus ac de Mesopotamiae natura et incolis egisse, quum Lucullum primum in eas regiones devenisse narraret.

Fr. 12. [Cort. p. 1012. Gerl. ed. mai. Inc. 218. ed. min. IV, 58. p 229, 16. Debr. V, 68.] Verba, a Schol. ad Iuvenal. Sat. I, 104. servata, ad eundem locum pertinent, ut Fragmentum praecedens, neque minus in hoc incertum est, utrum sententia modo, an ipsa Sallustii verba a Schol. relata fuerint.

Fr. 13. [Cort. p. 992. Gerl. ed. mai. IV, 40. ed. min. IV, 83. p. 230, 19. Debr. IV, 52.] Probus Instit. gramm. II, 1, 52. p. 130. Lindem. (p. 1473. P.) hanc vocem affert, ut probet Sallustium contra consuetudinem dixisse *hoc naphthas, huius naphthae.* Idem tamen II, 1, 44. p. 123. (1465. P.) *naphthas* monoptotum barbarum dicit, a Sall. usurpatum. Paullo accuratius hanc rem tetigit Hieronym. ad Daniel. c. 3., cuius haec verba sunt: „Sallustius scribit in Historiis quod *naphtha* sit *genus fomitis apud Persas, quo vel maxime nutriantur incendia.*“ Erat autem naphthas genus bituminis facillime

14. Scalas pares moenium altitudine.

15. Pluteos rescindit, ac munitiones demolitur, locoque summo potitur.

ignes concipiens, eoque in defendendis urbibus ad opera obsidentium incendenda adhibitum; v. Plin. N. H. II, 105., et Veget. de R. Mil. IV, 8. qui vocat *oleum incendiarium*, de quo plura disputat Stewech. ad l. l. p. 238. Eo Tigranocertorum incolae usi sunt ad machinas Romanorum, urbem obsidentium, delendas; cf. Dion. Cass. Fragm. 178. (Vol. I. p. 76. ed. Reim.) *Λούκουλλος κατὰ τοὺς καιροὺς τούτους* (i. e. anno 69. a. Chr. n.) *τὰ Τιγρανόκερτα ἐπολιόρκει. Καὶ αὐτὸν οἱ βάρβαροι τῇ τε τοξείᾳ καὶ τῇ νάφθᾳ κατὰ τῶν μηχανῶν χεομένῃ δεινῶς ἐκάκωσαν. ἀσφαλτῶδες δὲ τὸ φάρμακον τοῦτο, καὶ διάπυρον οὕτως, ὥσθ' ὅσοις ἂν προσμίξῃ, πάντως αὐτὰ κατακαλεῖν οὐδ' ἀποσβέννυται ὑπ' οὐδενὸς ὑγροῦ ῥᾳδίως.* Non absurde igitur coniicias Sallustium eius rei in illa obsidione narranda mentionem fecisse. Pessime vero Gerlachius in ed. min. scripsit: „Naphthas *genus olei cedro simile.*“ Solito enim more coecutiens non vidit haec verba a Probo explicationis caussa addita esse. Sed his ineptiis non contentus rursus inter Incerta p. 239, 21. retulit Hieronymi verba tanquam novum Fragmentum, quo scilicet docemur, quod *oleum* esset, idem esse etiam *fomitem*. Hocne est oleum et operam perdere?

Fr. 14. [Cort. p. 990. Gerl. ed. mai. IV, 15. ed. min. IV, 39. p. 228, 13. Debr. IV, 94.] Verba, quae sunt apud Arus. v. *par.*, p. 253. Lind., quamquam non certo ad Tigranocertorum obsidionem referri possunt, tamen non absimile vero est in eius rei narratione fuisse, quum consentaneum sit Sallustium huius urbis oppugnationem fusius quam aliorum oppidorum exposuisse. De ea cf. praeter Dionis locum ad Fr. praecedens laudatum Appian. B. Mithr. c. 84. 86. Memnon. ap. Phot. cod. 224. p. 238, b. Bekk. Plutarch. in Lucull. c. 26. 29. — *Par aliqua re* ita dictum est, ut pro obiecto, cui aliquid par esse enunciatur, id, quo efficitur paritas, nominetur, quod quamquam insolens est et cogitandi ratione a vulgari dicendi genere discrepat, re tamen idem est. Cf. quae de simili ablativi usu in nonnullis dictionibus, in quibus vulgo dativus obtinet, uberius disputavimus ad Catil. c. II, 9. p. 14.

Fr. 15. [Cort. p. 991. Gerl. ed. mai. IV, 24. ed. min. IV, 70. p. 230, 5. Debr. III, 37.] Non. II, 204. p. 95, 21. Mercer. Ad Tigranocertorum oppugnationem retulimus eandem ob caussam, ut Fragm. praecedens; si cui tamen certius constat ad aliam urbem a Romanis captam pertinere, haud gravate concedimus. — In Sall. edd. omnibus est *pluteosque*: sed particulam copulativam nullus Nonii cod. ostendit.

16. Qui praegrediebantur equites cataphracti ferrea omni specie.

Fr. 16. [Cort. p. 990. Gerl. ed. mai. IV, 22. ed. min. IV, 55. p. 229, 9. Debr. V, 16.] Locus sic, ut edidimus, legitur apud Non. XVIII, 28. p. 556, 17.; in Sall. edd. omnibus perperam est *praetergrediebantur*. Eadem fortasse verba respexit Servius, qui ad Virg. Aen. XI, 770. ex Sallustio affert *et sequebantur equites cataphracti*; nam quum neque Historias neque librum laudet, coniicias memoriter eum neque satis accurate haec attulisse, verbo, cuius retinendi minus gravis caussa erat, cum alio commutato; quamquam fieri potuit, ut grammatici exempla sua ex duobus inter se diversis locis petierint. — De *cataphractis equitibus* cf. Tacit. Histor. I, 79, med. *Sed neque conti, neque gladii — usui, lapsantibus equis et cataphractarum pondere. Id principibus et nobilissimo cuique tegmen, ferreis laminis aut praeduro corio consertum, ut adversus ictus impenetrabile, ita impetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum.* Ammian. Marc. XVI, 10. p. 130. ed. Vales. *Incedebat hinc inde ordo geminus armatorum, — sparsique cataphracti equites, quos clibanarios dictitant Persae, thoracum muniti tegminibus et limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros, quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant per omnia membra deducti, ut, quocunque artus necessitas commovisset, vestitus congrueret iunctura cohaerenter aptata.* Plutarch. in Lucull. c. 28, in. *Μία ἀλκὴ τῶν καταφράκτων κόντος· ἄλλο δ' οὐδὲν οὔθ' ἑαυτοῖς οὔτε τοῖς πολεμίοις χρῆσθαι δύνανται διὰ βάρος καὶ σκληρότητα τῆς σκευῆς, ἀλλ' ἐγκατῳκοδομημένοις ἐοίκασιν.* In narratione de pugna ad Tigranocerta fuisse Fragmenti verba elucet ex Plutarcho in Lucull. c. 26, extr. *Τοξότας μὲν καὶ σφενδονήτας δισμυρίους ἦγεν* (sc. *ὁ Τιγράνης*), *ἱππεῖς δὲ πεντακισμυρίους καὶ πεντακισχιλίους, ὧν ἑπτακισχίλιοι καὶ μύριοι κατάφρακτοι ἦσαν, ὡς Λούκουλλος ἔγραψε πρὸς τὴν σύγκλητον.* Tam clara enim fuit illa pugna, Lucullique victoria (pridie Non. Octobres a. 69. a. Chr. n. reportata) tantis scriptorum laudibus celebrata (v. Plutarch. in Lucul. c. 28, extr. Liv. Epit. XCVIII. Appian. B. Mithr. c. 85. Oros. VI, 3. Memnon. ap. Phot. cod. 224. p. 238. b. 239. a. Bekk.), ut dubitari nequeat, quin Sallustius de ea diligenter exposuerit Tigranisque immensas copias accuratissime descripserit. — *Ferrea omni specie*, i. e. toto eorum aspectu ferreo, sive omni corporis parte, quae in conspectum dabatur, ferro obducta. Inepte igitur Colerus coniecit *ferrea omnes specie*, vel *ferrea homines specie.*

Fr. 17. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 73. ed. min. IV, 68. p. 229, 26. Debr. V, 16.] Hoc Fragmentum in confinio praecedentis

17. Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae annexuerant.

18. Apud Corduenos amomum et alii leves odores gignuntur.

lectum fuisse planissime patet ex Servio, qui ad Virg. Aen. XI, 770. „Cataphracti, inquit, equites dicuntur, qui ipsi ferro muniti sunt, et equos similiter munitos habent, de quibus Salustius: *Equis paria*“ etc. Ad hoc ex ipsis vocibus *equis paria operimenta* elucet antea de *virorum* armatu dictum fuisse. Quare in promptu est haec verba proximum locum post Fragmentum superius occupasse. Vidit id etiam Debrossius, sed perperam has particulas in unum conflavit, cui rei imperfecta forma grammatica prioris Fragmenti obstat. Gerlachius vero, qui Vol. III. p. 130. his verbis de *curribus falcatis* agi opinatur, in ed. min. vero ea multum a Fr. 16. removit, et post *annexuerant* adiecit *et sequebantur equites cataphracti*, (de quibus v. ad Fr. 16, init.), ineptias cumulavit supra quam cuiquam credibile est. Tantus enim viri stupor, ut non viderit verba *equis paria operimenta erant* hunc sensum habere: equis, *quibus cataphracti utebantur*, paria operimenta *ut equitibus ipsis* erant. Quibus quis sana mente subiecerit *et sequebantur equites cataphracti?* — Ad verborum structuram quod attinet insolenter et fortasse sine exemplo dictum est *operimenta annectere laminis* pro *operimentis annectere laminas*, in quo Sallustius analogiam verborum *induo*, *exuo*, *circumdo*, *aspergo* etc., de quibus v. Gramm. lat. nostr. §. 127, 3. A. annot. 2. δ. p. 348., secutus videtur. — *Pluma* hic aperte collectivum sensum habet, vernaculâ *das Gefieder*.

Fr. 18. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 120. ed. min. IV, 81. p. 230, 17. Debr. V, 20.] Locus sine libri indicio exstat apud Philargyr. ad Virg. Georg. IV, 49. *Cordueni* (v. Plin. N. H. VI, 17.) a Strabone XI. p. 802. A. Almel. *Γορδυαῖοι*, a Plutarcho in Lucul. c. 29. *Γορδυηνοί* dicti, *Corduenen*, Armeniae provinciam inter Tigrim et Arsissam lacum sitam, incolebant. Eos adiit Lucullus post pugnam apud Tigranocerta, regique Zarbieno, propter animum in Romanos pronum a Tigrane interfecto, iusta persolvit. cf. Plutarch. l. l. *Ζαρβιηνὸς ὁ τῶν Γορδυηνῶν βασιλεὺς, ὥσπερ εἴρηται* (c. 21.), *δι' Ἀππίου κρύφα Λουκούλλῳ διείλεκτο περὶ συμμαχίας, τὴν Τιγράνου τυραννίδα βαρυνόμενος· μηνυθεὶς δ' ἀπεσφάγη, καὶ παῖδες αὐτοῦ καὶ γυνὴ συναπώλοντο, πρὶν ἢ Ῥωμαίους εἰς Ἀρμενίαν ἐμβαλεῖν. Τούτων οὐκ ἠμνημόνησεν ὁ Λούκουλλος, ἀλλὰ παρελθὼν εἰς τὴν Γορδυηνῶν ταφὰς προὔθετο τοῦ Ζαρβιηνοῦ, καὶ πυρὰν ἐσθῆτι καὶ χρυσῷ βασιλικῷ καὶ τοῖς ἀπὸ Τιγράνου κοσμήσας λαφύροις αὐτὸς παρὼν ὑφῆψε, π. τ. λ.* Haec igitur Luculli expeditio

19. *Epistola regis Mithridatis ad regem Arsacen.*

Rex Mithridates regi Arsaci S.

Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem

in Corduenos quum haud dubie caussa fuerit, cur Sallustius nonnulla de eius terrae natura exponeret, Fragmentum iusto loco posuisse nobis videmur. — *Amomum*, ait Servius ad Virg. Ecl. IV, 25., herba est suavissimi odoris, quae tantum in Assyria nascitur. — *Leves odores* sunt suavissimi et naturâ tenuissimâ, quos recentiores vocant aetherios.

Fr. 19. [Cort. p. 981—989. Gerl. ed. mai. IV, 12. ed. min. IV, 86. p. 230, 24. Debr. V, 25.] Haec epistola conservata est in codd. Vatt., Ciacc., Ursin. et Balliol., de quibus v. Praef. — Tigrane ad Tigranocerta a Lucullo plane devicto urbeque ipsa non multo post capta, Mithridates, quamvis ea clade spe melioris fortunae excidisset, tamen animum non despondit, sed simul cum Tigrane opes reparare studens, novos socios, quibus Romanorum viribus resisteret, circumspexit. Quare ad Arsacem sive Phraatem, Parthorum regem, legatos misit, qui eum ad societatem cum ipso et Tigrane ineundam impellerent. Quod quo melius perficeretur, ipse hanc epistolam, cuius exemplum Sallustius perscripsit, ad illum dedit. De re ipsa v. Appian. B. Mithr. c. 87, in. *Τιγράνης δὲ καὶ Μιθριδάτης στρατὸν ἄλλον ἤθροιζον περιΐοντες, οὐ τὴν στρατηγίαν ἐπετέτραπτο Μιθριδάτης, ἡγουμένου Τιγράνους αὐτῷ γεγονέναι τὰ παθήματα διδάγματα. Ἔπεμπον δὲ καὶ ἐς τὸν Παρθυαῖον, ἐπικουρεῖν σφίσι παρακαλοῦντες.* Memnon ap. Phot. c. 224. p. 238, a. Bekk. *Ὁ μέντοι Μιθριδάτης πρὸς Τιγράνην παραγεγονὼς ἀνελάμβανέ τε αὐτὸν, — καὶ λαὸν ἀθροίζειν συνεβούλευεν, — ὡς πάλιν ἀναμαχούμενον τὴν νίκην. Ὁ δὲ πάντα τῷ Μιθριδάτῃ ἐπέτρεπεν. — Αὐτὸς δὲ πρὸς τὸν Πάρθον Φραδάτην* (scr. *Φραάτην*) *διεπρεσβεύετο παραχωρεῖν αὐτῷ τὴν Μεσοποταμίαν καὶ τὴν Ἀδιαβηνὴν καὶ τοὺς μεγάλους αὐλῶνας.* Dio. XXXV, 3. *Μαθὼν ὁ Λούκουλλος τὴν πρεσβείαν τὴν ὑπό τε τοῦ Τιγράνου καὶ τοῦ Μιθριδάτου πρὸς τὸν Ἀρσάκην πεμφθεῖσαν ἀνταπέστειλέ τινας ἐκ τῶν συμμάχων κ. τ. λ.* Plutarch. in Lucull. c. 30, in.

§. 1. *secundis rebus suis*) De hac verborum structura v. ad Catil. c. XI, 4. — *Dein* ita refertur ad praegressum *considerare debent*, ut in priore membro *primum* supplendum sit; cf. Gronov. ad Liv. XXXIV, 19, 8. Goerenz. ad Cic. Acadd. II, 13, 41. p. 78. b. — *Quod quaesitur* verba subiectum continent sequentis interrogationis indirectae; intelligitur autem *belli societas expetita*. — *Quae-*

agere; dein, quod quaesitur, satisne pium, tutum, glo-
2 riosum, an indecorum sit. Tibi perpetua pace frui liceret, nisi hostes opportuni et scelestissumi; egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est. Neque

situr exstat in Vat. 1., non multum discrepante Vat. 2., in quo est *quaesitum*. De huius verbi forma et significatione cf. ad Fr. I, 55. et 1, 120. Vulgo editum *quaeritur*.

§. 2. *Tibi perpetua pace frui liceret* etc.) Revocavimus antiquam huius loci scripturam, qualis ante Carrionem fuit; vix enim alias editores nexu sententiarum ac singularum enunciationum ratione non perspecta auctoris verba magis corruperunt. A generali sententia bimembri epistolam exorsus Mithridates proxima periodo Arsacis condicionem ad illam examinat. Igitur ad verba *considerare debent liceatne tum pacem agere* referuntur haec, *tibi perpetua pace frui liceret, nisi hostes opp. et scel.*, quae ita dicta sunt, ut probetur *Arsaci non licere pacem agere, sed bellum ei exspectandum esse*. Ad alteram considerationis partem (*quod quaesitur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit,*) spectant relicua, (*tibi*) *egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est*, quibus pariter *exhortatio ad bellum* continetur. His verbis quoniam argumentatio, qua Mithridates Arsaci, si is proprias modo res respiciat, belli necessitatem atque utilitatem probare studet, plane absolvitur, maxima post *futura est* interpunctio ponenda. In proximis Mithridates ab Arsace ad se ipsum ita transit, ut non reliceat, se ob fractas opes indignum videri societate, sed ipsa clade sua Tigranem ad opem ferendam incitari debere ostendat. Hanc planissimam sententiarum rationem ut non perspicerent editores, factum est partim brevitate quadam orationis, partim depravata scriptura nonnullorum codicum in textum illata. Nam quum ante Carrionem recte legeretur *tibi — liceret*, quod haud dubie ex codd. fluxit, is edidit, ut in Vat. 1. et 2. est, *tibi si — licet*, ceterique omnes id amplexi sunt, quamquam nemo expedivit, quomodo tres enunciationes condicionales *si licet, nisi hostes, si oppresseris* in unam periodum coire possint, aut tolerabilis certe, nedum commoda sententia ex tanta confusione elici queat, praesertim quum vitiosissima interpunctione verba apud Orellium, Fabrum et Gerlachium sic legantur: „tibi si perpetua pace frui licet, nisi hostes opportuni et scelestissumi, egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est, neque petere — sperem.“ *Hostes opportuni* hic non sunt *in quos facile impetus fieri potest*, quemadmodum Faber interpretatur, vulgarem usum secutus; sed novo modo et tamen proprietatis retinentissimus Sallustius significavit hostes,

petere audeam societatem, et frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem. Atque ea, quae te morari 3
posse videntur, ira in Tigranem recentis belli et meae res parum prosperae, si vera existumare voles, maxume hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualem tu 4
voles societatem, accipiet; mihi fortuna, multis rebus

qui quasi ante portum sunt, i. e. *vicinos et prope instantes impetumque minantes.* — Ex *nisi* particula pendere *forent* vel *essent*, quod supplendum est, ipsa ostendit enunciationis condicionalis forma. De coniunctivi ellipsi v. Gramm. lat. nostr. §. 113. not. 3. p. 234. Kruegeri Gramm. lat §. 665. not. 2. p. 912. — Pro *scelestissumi*, quod codd. tenent, Cortius scripsit *sceleratissumi*. — Ante *egregia* edd. antiquiores *et* inserunt, quod in codd. non exstat. — *Misceri* hic idem valet atque *iungi*, *copulari*: cf. Iug. c. LXXXIII, 1. *Sibi consuleret, neu florentis res suas cum Iugurthae perditis misceret.* Ceterum *sperare* consueto modo praesentis infinitivo iungitur, ubi valet *in opinione aliqua esse*, *putare*, vel *sibi persuadere aliquid*; cf. Kruegeri Gramm. lat. §. 564. not. 2. p. 765.

§. 3. *Atque ea*) Ita exstat in Vat. 1. et 2. Vulgo perverse scribitur *atqui ea*; neque minus incommode Douza coniecit *ad quae*. Vim *atque* particulae pro *ac tamen* positae optime illustravit Hand. in Tursell. Vol. I. p. 488. Duabus enim sententiis positis, quarum altera contrarium continet prioris, ut significetur duas istas sententias inter se aequalem vim habere et cohaerere, *atque* usurpatur a Latinis, ad indicandum etiamsi altera res vera sit et constet, aeque tamen alteram veram esse et constare. Germani eam sententiarum inter se rationem particula *gleichwohl* exprimunt. Nostro igitur loco quamquam malas esse res suas concedit Mithridates, tamen aeque verum ponit, Arsacem eo ad opem ferendam non deterreri debere cf. Iug. c. IV, 3. *Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, imprimis magno usui est memoria rerum gestarum. — Atque ego credo fore, qui — tanto tamque utili labore meo nomen inertiae imponant.* Catil. c. LI, 35. *Ita illi, quibus Damasippi mors laetitiae fuerat, paullo post ipsi trahebantur. — Atque ego haec non in M. Tullio neque his temporibus vereor. — Recentis belli* Tigranis contra Parthos meminit etiam Plutarch. in Lucull. c. 21, med. *Ἔθνη πολλὰ κατεστρέψατο, καὶ τὴν Πάρθων, ὡς ἄλλος οὐδείς, δύναμιν ἐταπείνωσεν.* Dio XXX, 1. *Πρὸς Ἀρσάκην τὸν Πάρθον, καίπερ ἐχθρὸν αὐτῶν διὰ χώραν τινὰ ἀμφισβητήσιμον ὄντα, ἐπρεσβεύοντο* (sc. Mithrid. et Tigranes). Id. ibid. c. 3. *Ὁ Ἀρσάκης ἔτι τῷ*

ereptis, usum dedit bene suadendi, et, quod florentibus optabile est, ego non validissumus praebeo exemplum, quo rectius tua componas. Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una et ea vetus caussa bellandi est, cupido profunda imperi et divitiarum. Qua primo cum rege Macedonum Philippo bellum sumpsere.

Τιγράνῃ ὀργὴν εἶχε. — *Vera existumare*, i. e. ex vero iudicare. Ante Cortium ex interpolatione legebatur *aestumare*.

§. 4. *obnoxius*) Absolute posito hoc vocabulo significatur aliquis, qui non est in sua potestate, sed ex aliena voluntate vel ex aliqua necessitate pendet; vernaculâ *gebunden*, *in Verlegenheit*. cf. infra §. 13. *Omnibus aliis abnoxiis rursus tamen bellum coepi.* Iug. XXXI, 3. *Ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis:* ubi Faber contulit Liv. XXIII, 12, 9. *Si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar, quorum alterum est hominis alienae libertatis obliti, alterum suae.* Tacit. Hist. II, 56. *Obnoxiis ducibus et prohibere non ausis.* — *Qualem tu voles societatem accipiet*, i. e. societatem inibit ea condicione, ut tibi Mesopotamiam et Adiabenen cedat; cf. Drumann. Hist. Rom. Vol. IV. p. 151. not. 56., ac v. supra in praemonitis ad h. Fr. — *Usum*, i. e. *experientiam*, sive, ut Cortius interpretatur, *habitum ex multa experientia.* — *Non validissimus* per euphemismum sive potius callida dissimulatione dictum pro *fractus opibusque exutus.*

§. 5. *et ea vetus*) v. ad Fr. III, 1, 5. — *Cupido profunda* est *insatiabilis*, *inexplebilis*, *immensa*, quo sensu Germani *bodenlos* dicunt; cf. Iug. c. LXXXI 1. *Romanos iniustos, profunda avaritia, communis omnium hostis esse.* — *Qua* caussae potestate dictum, ut Fr. III, 82, 26., plenius est *qua incitati.* — *Primo* praebet Vat. 1. 2. *Primum*, ut vulgo editur, falsum esse iam ex eo patet, quod §. 6. *mox* subiicitur; *primo* enim ponitur de re, quae postea vel non continuata, vel mutata est, ut recte praecipit Dietschius ad Iug. XXIX, 3. p. 205. — *Bellum sumere* est *incipere*; cf. Iug. c. XX, 5. *Prius omnia pati decrevit, quam bellum sumere.* ib LXII, 9. LXXXIII, 1. Eodem modo Fr. IV, 77, 10. dicitur *proelium sumere.* Contrarium est *ponere bellum*, de quo v. ad Iug. c. CXII. 1.

§. 6. *Dum a Carthaginiensibus premebantur*) Et tempora et personas et res hic confundit sive Mithridates sive Sallustius ipse. Neque enim durante adhuc bello Punico secundo Romanis quidquam negotii aut amicitia cum Antiocho fuit, neque ille eo tempore Philippo subvenire paravit, neque concessione Asiae ab eo consilio aversus est. Sed quum Attali, Pergameni regis, regnum (a.

Dum a Carthaginiensibus premebantur, amicitiam simu- 6
lantes ei subvenientem Antiochum concessione Asiae per dolum avertere, ac mox, fracto Philippo, Antiochus omni cis Taurum agro et decem millibus talentorum spoliatus est. Persen deinde, Philippi filium, post multa et varia 7
certamina apud Samothracas deos acceptum in fidem callidi et repertores perfidiae, quia pacto vitam dederant,

199. a. Chr. n.) invasisset, Romanorum amica admonitione permotus est, ut eo bello absisteret; cf. Liv. XXXII, 8, 15. Idem duobus annis post (a. 197. a. Chr.) quum interim feliciter de Palaestina, Coelesyria et Phoenicia contra Ptolemaeum pugnasset, Asiam rursus invasit, omnesque ibi civitates, ut Livius ait XXXIII, 38, 1., in antiquam imperii formulam redigere est conatus, Romanis, qui tum Macedonico bello implicati essent, primo non impedientibus, actaque eius, tanquam nihil ad eos pertinentia, dissimulantibus; v. Liv. XXXIII, 40, 7. Hoc ipsum autem est, quod Mithridates mira rerum confusione dicit, Romanos Antiochum *concessione Asiae* per dolum avertisse. *Fracto*, i. e. plane devicto viribusque spoliato, sc. pugna illa ad Cynoscephalas. Vulgo perverse legitur *tracto*, nullo sensu et contra fidem cod. Vat. 1. et 2.

omni cis Taurum agro etc.) In numero talentorum dissentiunt Livius XXXVII, 45, 14. et Appian. Syriac. c. 38. Vol. I. p. 594. Schweigh., qui habent *quindecim millia*. Cum nostro facit Eutrop. IV, 2. De Asia autem cis Taurum adempta omnes consentiunt, etiam Cicero p. Sext. 27, 58. p. Deiot. 13, 36. CORT.

§. 7. *apud Samothracas deos acceptum in fidem*) cf. Vell. I, 9, 4. *Perses — in insulam Samothraciam perfugit, templique se religioni supplicem credidit.* Liv. XLV, 4, 3. *Perseus amisso exercitu, extorris regno, in parvam insulam compulsus, supplex, fani religione, non suis viribus tutus.* Dio Cass. Fr. 74. Vol. I. p. 31. Reim. — *Samothraces dii* sunt *Cabiri*, de quibus Orellius contulit Schol. ad Apollon. Rhod. I, 917. p. 46. Well. *Μυοῦνται ἐν τῇ Σαμοθράκῃ τοῖς Καβείροις.— Τέσσαρες δ' εἰσὶ τὸν ἀριθμόν, Ἄξιερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος. Ἄξιερος μὲν οὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ. Ἀξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη. Ἀξιόκερσος δὲ ὁ Ἅιδης. Ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος ὁ Ἑρμῆς ἐστιν.* — De Perseo in potestatem Romanorum tradito v. Liv. XLV, 5. et 6. — Pro *insomniis*, Lipsius Quaestt. Epp. IV, 14. malebat *insomnia*, praeter omnem necessitatem, plurali crebram repetitionem sive iterationem insomniae indicante; v. Grammat. lat. nostr. §. 110. not. 3. p. 224. coll. Catil. c.

8 insomniis occidere. Eumenem, cuius amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem; post habitum custodiae agri captivi sumptibus et contumeliis ex rege miserrumum servorum effecere, simulatoque impio testamento, filium eius Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere;

XXVII, 2. De re ipsa v. Diodor. Excerpt. XXXI, 2. Vol. II. p. 516. Wessel. Plutarch. in Aem. Paull. c. 37.

§. 8. *Eumenem — prodidere Antiocho*) Vat. 1. mirâ corruptelâ *occiderum en cuius*. Quid significet Mithridates obscurum est: neque videntur haec ad rerum veritatem exigi posse, quum Mithridates ut Romanos criminibus oneret, res detorqueat et sycophantarum more loquatur. — De verbis *pacis mercedem* cf. ad Fr. III, 82, 26. — *Post habitum custodiae* verissima est cod. Vat. 1. 2. scriptura, turpiter corrupta illa a Briconeto, qui inde fecit *post Attalum custodem*, iam eo nomine ineptissimum, quod Aristonicus, Eumene natus, ita filius perhibetur Attali. Et tamen hoc commentum omnes edd. usque ad Orellium invasit. Perquam invidiose autem Mithridates his verbis significat Eumenem terrarum atque urbium, quas Romani victo Antiocho ei donarunt, non possessorem atque dominum fuisse, sed tantummodo custodem alieni agri, quippe qui re vera Romanorum esset, fuisse positum. — *Sumptibus*, sc. quos facere eum coegerunt tum navibus praebendis, tum quovis officiorum atque laborum genere pro Romanis suscipiendo. — *Contumeliis* Orellius bene refert ad illud senatus consultum, quo Eumenes, quum Romam se conferre constituisset, Italia abire iussus est, teste Livio XLVI. *Eumenes, quia Macedonico bello medium egerat, ne aut hostis iudicatus videretur, si exclusus esset, aut liberatus crimine, si admitteretur, in commune lex lata est, ne cui regi Romam venire liceret.* cf. Polyb. legat. 97. — *Simulato testamento* Ursinus, collato Porphyrione ad Horat. Od. II, 18, 6., capit pro *falso* sive *subditicio testamento:* sed huic interpretationi repugnare videtur proximum vocabulum *impio*, quo vel hoc ipsum significatur fraude factum esse illud testamentum, vel certe iniustissimum fuisse, exclusis heredibus legitimis in eorumque locum alienis substitutis. Quare *simulato imp. test.* significare puto *praetexentes impium testamentum*, sc. quo regnum Pergamenum suum esse contendebant. Testamentum intelligitur Attali III, cui Philometori cognomen fuit, anno 133. a. Chr. n. defuncti; cf. Liv. Epit. LVIII. *Heredem populum Romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius.* Vell. II, 4, 1. Flor. II, 20, 2. Appian. B. Mithr. c. 62.

Asia ab ipsis obsessa est; postremo totam Bithyniam 9
Nicomede mortuo diripuere, quum filius Nysa, quam re-
ginam appellaverat, genitus haud dubie esset. Nam quid 10
ego me appellem? quem diiunctum undique regnis et
tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem, ne-
que serviturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt,
sceleris eorum haud ignarum, et ea, quae accidere, te-

Ὑμεῖς (Sulla alloquitur optimates urbium Asiaticarum) Ἀττάλου τοῦ Φιλομήτορος τὴν ἀρχὴν ἡμῖν ἐν διαθήκαις καταλιπόντος Ἀριστονίκῳ καθ' ἡμῶν τέτταρσιν ἔτεσι συνεμαχεῖτε. Plutarch. in Tib. Graech. c. 14. in. — De *Aristonico* v. praeter ll. ll. Iustin. XXXVI, 4, 6. *Erat ex Eumene Aristonicus, non iusto matrimonio, sed ex pellice Ephesia, citharistriae cuiusdam filia, genitus, qui post mortem Attali velut paternum regnum Asiam invasit.* Oros. V, 10.

§. 9. *Bithyniam — diripuere*) Ita invidiose dicit occupationem Bithyniae testamento Romanis traditae; v. Liv. Epit. XCIII. *Nicomedes Bithyniae rex moriens populum Romanum fecit heredem, regnumque eius in provinciae formam redactum est.* Arrian. apud Phot. cod. 93. p. 73. b. ed. Bekk. Ὁ ἔσχατος Νικομήδης τελευτῶν τὴν βασιλείαν Ῥωμαίοις κατὰ διαθήκας ἀπέλιπεν. cf. ad Fr. II, 47. — Verbis *quum filius Nysa — esset* Mithridates probare vult, quam iniuste Romani Bithyniam, quasi possessore vacuam, occupaverint. In hac igitur sententia *quum* valet *quamquam*; v. ad Fr. III, 77, 18. — *Nysa* uxor fuit Nicomedis, tenui loco orta, sed ab ipso ad reginae dignitatem evecta, id quod significatur verbis *quam reginam appellaverat;* cf. Plutarch. in Luc. c. 18. Μονίμη δὲ Μιλησία — τοῦ βασιλέως πειρῶντος αὐτὴν — ἀντέσχε, μέχρις οὗ γάμων ἐγένοντο συνθῆκαι καὶ διάδημα πέμψας αὐτῇ βασίλισσαν ἀνηγόρευσεν. Vulgo editur *appellaverant* contra codd. fidem (nam receptam lectionem tuetur Vat. 1. et 2.), et perverso sensu. Nunquam enim Romani uxores regum, quae non iustae reginae essent, regio titulo ornabant. — Verba *genitus haud dubie* non obscure indicant Nysae filium, quem Orellius in Onomast. Cicer. Vol. II. p. 421. a. scite coniecit patre mortuo regnum aliquantisper, sed improspero successu affectasse, Romanis non legitime natum visum fuisse, quo ducit etiam Fr. II, 57., ubi, qui *falsus filius* dicitur, probabiliter idem est intelligendus; neque alium sensum habere videntur verba Appiani B. Mithr. c. 71. Νικομήδους ἄρτι τεθνεῶτος ἄπαιδος, i. e. sine filio legitimo.

§. 10. *Nam quid ego me appellem?*) Haec verba non perti-

statum antea Cretensis, solos omnium liberos ea tempe-
11 state, et regem Ptolemaeum. Atque ego ultus iniurias
Nicomedem Bithynia expuli, Asiamque, spolium regis
Antiochi, recepi, et Graeciae dempsi grave servitium.
12 Incepta mea postremus servorum Archelaus exercitu pro-
dito impedivit; illique, quos ignavia aut prava callidi-
tas, uti meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acer-

nent ad ea, quae proxime praecedunt, sed ad omissam sententiam, fere sic supplendam: Haec exempla iam sufficiant ad Romanorum iniustitiam et avaritiam demonstrandam. cf. ad Iug. c. XIX, 2. Fr. I, 45, 21. — *Diiunctum* Vat. 1.; vulgo *disiunctum*. — *Per Nicomedem bello lacessiverunt.* Id factum anno 88. a. Chr. n. cf. Appian. B. Mithrid. c. 11. *Κάσσιος δὲ καὶ Μάνιος — Νικομήδην τε κατήγαγον ἐς Βιθυνίαν, καὶ Ἀριοβαρζάνην ἐς Καππαδοκίαν, εὐθύς τε ανέπειθον ἄμφω, γείτονας ὄντας Μιθριδάτου, τὴν γῆν τὴν Μιθριδάτου κατατρέχειν καὶ ἐς πόλεμον ἐρεθίζειν, ὡς Ρωμαίων αὐτοῖς πολεμοῦσι συμμαχησόντων.* Id. ib. c. 15. 16. et 56. Iustin. XXXVIII, 5, 10. ubi Mithridates pariter queritur, *Nicomedem praecepto Romanorum bellum sibi intulisse.* — *Haud ignarum* non pertinet ad *Nicomedem*, sed ad *me appellem, quem.* — *Ea, quae accidere, testatum antea Cretensis* etc. i. e. quasi testes citantem Cretenses et Ptolemaeum eorum, quae accidere, sive *praedicentem Cretensibus et Ptolemaeo ea futura esse, quae accidere*, scilicet quo eos ad societatem belli contra Romanos commoverem. *Testari aliquem aliquid* quamquam vix alias dictum reperitur, tamen nihil habet insolentiae, quum *testari* simplicem vel rei vel personae accusativum legitime asciscat.

§. 11. *Asiam, spolium regis Antiochi*) i. e. Asiam, qua Antiochum spoliaverant. — *Graeciae dempsi grave servitium* referendum videtur ad caedem Romanorum auctore Mithridate in omnibus Asiae civitatibus factam, de qua Appian. B. Mithr. c. 23. *Ὡι καὶ μάλιστα*, inquit, *δῆλον ἐγένετο τὴν Ἀσίαν οὐ φόβῳ Μιθριδάτου μᾶλλον, ἢ μίσει Ῥωμαίων τοιάδε ἐς αὐτοὺς ἐργάσασθαι.* v. ad Fr. I, 20.

§. 12. *exercitu prodito*) Archelai nulla fuit proditio exercitus Mithridatici. Sed quum suspiciosum regis animum timens sub ipsa secundi belli initia (a 81. a. Chr. n.) ad Murenam confugisset (v. Appian. B. Mithr. c. 64. *Ἀρχέλαον ἐν ὑποψίᾳ ἐτίθετο, ὡς πολλὰ πέρα τοῦ δέοντος κατὰ τὴν Ἑλλάδα ἐν ταῖς διαλύσεσιν ἐπιχωρήσαντα τῷ Σύλλᾳ. ὧν ὁ Ἀρχέλαος αἰσθανόμενος τε καὶ δείσας ἐς*

bissumas poenas solvunt, Ptolemaeus pretio in dies bellum prolatans, Cretenses impugnati semel iam, neque finem nisi excidio habituri. Equidem quum mihi ob ipso- 13
rum interna mala dilata proelia magis, quam pacem datam intellegerem, abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum coepi, Marcumque Cottam Romanum ducem apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe

Μουρήναν ἔφευγε. Plutarch. in Lucull. c. 8. *Ἀρχελάου δὲ τοῦ περὶ Βοιωτίαν Μιθριδάτῃ στρατηγήσαντος, εἶτ' ἀποστάντος καὶ Ῥωμαίοις συστρατεύοντος διαβεβαιουμένου κ. τ. λ.*), Mithridates irritum *primi* belli eventum contra veritatem ducis sui proditioni tribuit. Ab eadem ira et iniquitate repetendum, quod Archelaum dixit *postremum servorum*, i. e. vilissimum, abiectissimum; cf. Fr. I, 45, 3. *M. Aemilius, omnium flagitiosorum postremus.* — Verba *uti meis laboribus tuti essent* praecedentia ita explicant, ut, quo constiterit calliditas, addatur; quare cogitatione interponendum *id scilicet spectans*, unde finalis enunciatio pendet. — *In dies* praebet Vat. 1. et 2.; vulgo *dies*, vel *diem*. Correxit iam Carrio ex Vatic. Quid significet Mithridates *Ptolemaeum* dicens *pretio bellum prolatasse*, obscurum, neque videtur aliud in verbis inesse, quam segnem se praebuisse in auxilio Mithridati ferendo, qui illum, ut quam primum Romanos bello implicaret, instigasse videtur. — *Cretenses impugnati*, sc. ab Antonio; cf. Fr. III, 59—66. *Neque finem habituri*, i. e. quae eorum *impugnatio* non nisi cum excidio ipsorum finietur.

§. 13. *interna mala*) i. e. bellum civile Sullae atque Marianorum. — *Abnuente Tigrane*, sc. *tum*, i. e. initio belli tertii, cui tempori opponitur praesens in enunciatione relativa, *qui mea dicta (nunc) sero probat.* — *Bellum coepi*, ut est in Vat. 1., verius iudicamus, quam *b. cepi*, quod vulgo editur. Quamquam enim *bellum capere* non minus recte dici posse videtur, quam *bellum sumere* (v. Linker. Sall. Histor. Prooem. p. 11. not. 1.), tamen *rursus coepi* melius cum verbis antecedentibus *dilata proelia* congruit. Gerlachius caussam, cur *coepi* praeferat, in *rursus* voce quaerit. — *Apud Chalcedona*, v. Fr. II, 59. 60. — *Exui classe*; cf. Appian. B. Mithr. c. 71. *Ὁ Μιθριδάτης τῇ φορᾷ τῆς εὐτυχίας χρώμενος ἐπῆγεν αὐτῆς ἡμέρας ἐπὶ τὸν λιμένα τὰς ναῦς. καὶ τὸ κλεῖθρον ἀλύσει χαλκῇ δεδεμένον ἀποῤῥήξας τέσσαρας μὲν ἐνέπρησε τῶν πολεμίων, τὰς δὲ λοιπὰς ἑξήκοντα ἀνεδήσατο κ. τ. λ.* —

14 pulcherruma. Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidio moranti frumentum defuit, nullo circum annitente; simul hiems mari prohibebat. Ita sine vi hostium regredi conatus in patrium regnum naufragiis apud Parium et Heracleam militum optumos cum classibus amisi. 15 Restituto deinde apud Cabira exercitu, et variis inter me atque Lucullum proeliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum, ego va-

§. 14. *nullo circum annitente*) i. e. nullo sociorum, qui circum erant, *vires intentente* ad me iuvandum; cf. Catil. c. XIX, 2. *Piso in Hispaniam quaestor missus est annitente Crasso.* Iug. LXXXV, 47. *Annitimini mecum, et capessite rempublicam.* — *Hiems mari prohibebat*, sc. frumentum afferri; cf. Appian. B. Mithr. c. 76. *Μιθριδάτου δὲ χειμὼν ἐπιγενόμενος ἀφῄρητο καὶ τὴν ἐκ τῆς θαλάττης ἀγοράν.* — *Regredi conatus* Vat. 1. et 2. recte praebet pro vulgato *regr. coactus*; quod quamquam veritati est conveniens, tamen illud Mithridatis consilio veritatem speciosis verbis tegendi unice respondet. — De naufragio apud *Parium* v. Fr. III, 35. Vulgo nomen corrupte scriptum est *Parum* vel *Parvum*.

§. 15. *apud Cabira*) In codd. omnibus est *apud Caberam*, quam formam, ab Orellio, Gerlachio et Fabro receptam, quum constanti omnium scriptorum usu nomen urbis sit *τὰ Κάβειρα* (v. Forbiger. Geogr. antiq. Vol. III. p. 426.), scribarum ignorantiae deberi dubitari nequit. Sed ne *Cabera* quidem neutro genere probandum videtur, quoniam *ει* diphthongus nonnisi sequente vocali in ē transire solet, cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. lat. Vol. I, 1. p. 69, sq. Quare Cortium recte *Cabira* scripsisse putamus. — *Varium* quum dicatur, quod saepe mutatur et huc illuc fluctuat (cf. Iug. c. V, 1. et v. Dietschium ad XLIII, 3. p. 316.), verborum *variis inter me atque Lucullum proeliis* sensus est *modo me, modo Lucullo vincente.* Consulto autem Mithridates ita loquitur ad confessionem cladis vitandam. Hunc locum Charis. I, 21, 14. p. 68. Lindem. (p. 95. Putsch.) ex IV corrupte sic affert: *Inter me atque Lucullum prope inopia rursus ambos incessit. Regnum Ariobarzanis* fuit Cappadocia, in quam ille quum a Romanis restitutus esset, (v. Appian. B. Mithr. c. 60, extr.), fidelem iis societatem praestitit; v. supra ad Fr. IV, 10. Quaesitis argutiis *secuti* verbum ad *me* relatum propria *insequendi* potestate positum, ad *morem suum* relatum translatam habet vim, qua valet *retinentem esse moris, insistere mori.* Apte Faber contulit Liv. XXI, 32, 2. *Ubi deserta munimenta, nec facile se tantum*

stis circum omnibus locis in Armeniam concessi; secutique Romani non me, sed morem suum omnia regna subvortundi, quia multitudinem artis locis pugna prohibuere, imprudentiam Tigranis pro victoria ostentant. Nunc 16
quaeso considera, nobis oppressis utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equi-

praegressos assecuturum videt; quo loco *videre* respectu prioris obiecti significat *conspicere*, ad posterius relatum valet *intelligere*. cf. Curt. IX, 1, 8. *Hinc Poro amneque superato ad interiora Indiae processit*, ubi v. Mützell. Cic. de Orat. II, 5, 21. *Philosophorum auditores discum audire quam philosophum malunt.* — De duobus ablativis *artis locis pugna* diversa ratione ad *prohibuere* pertinentibus v. ad Fr. III, 82, 26. — *Imprudentiam ostentant* h. l. est *gloriantur* imprudentia tanquam victoria sua.

§. 16. *Ceterum consilium est, Tigranis regno integro* etc.) Tum in interpunctione horum verborum constituenda editores discrepant, tum in sensu totius loci expediendo multum a vero aberrarunt. Alii enim, velut Cortius, Gerl., Orellius, Faber, *Tigranis* ad *consilium* referunt, alii, in quibus Debrossius et Burnoufius, cum verbis *regno integro* coniungunt. Tum iam inde ab Aspero, Sallustii antiquissimo interprete, dubitatum est, *ceterum* particula sit, an adiectivum. Denique, qui rectam interpunctionem sequuntur, in quibus est etiam Handius de Partice. lat. Vol. II. p. 34., verba *consilium est* interpretantur *stat mihi sententia*. Quae omnia mirifice confusa et haud uno nomine falsissima longum est per singula refellere. Vera loci ratio haec est. Mithridates, breviter neque admodum vere infausto belli successu exposito, iam Arsaci, *quam commoda atque utilis ei societas expetita futura sit*, ostendere conatur. Igitur laudatis magnis eius opibus, propter quas et ab ipso ad societatem, et a Romanis ad praedam expetatur, ita pergit: *sed tamen* tibi suadeo, ut nostro auxilio, tibi valde opportuno, utaris ad bellum, quod tibi serius ocius a Romanis instat, conficiendum, ex quo, societate nostra reiecta, sive vincimus, sive vincimur, periculum tibi erit. — *Ceterum* quum referatur ad verba *scio tibi magnas opes esse*, sententiae ita cohaerent: *quamquam* magnis opibus praeditus societate nostra non egere videris, ac te solum hosti arcendo parem credis, *tamen tibi consulo* (= *consilium est*) mecum bellum conficere; unde simul hoc patet non intellectum sensum verborum *consilium est* omnibus editoribus fraudi fuisse. Quae sequuntur, caussas afferunt, quibus Arsaces ad amplectendum Mithridatis consilium permoveri debeat. Earum prima continetur verbis *Tigranis regno integro*, i. e.

dem tibi magnas opes virorum, armorum et auri esse, et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris. Ceterum consilium est, Tigranis regno integro, meis militibus belli prudentibus, procul ab domo, parvo labore, per nostra corpora bellum conficere, quo neque
17 vincere, neque vinci sine tuo periculo possumus. An

nunc, ubi Tigranis regnum nondum a Romanis obtinetur, sed intactum ab hostibus te ab illis seiungit. Altera inest in verbis *meis militibus belli prudentibus;* nam Parthum malle cum exercitu, qui iam belli usum haberet, contra Romanos pugnare, quam novis militibus hostemque nondum expertis pugnam tentare, consentaneum est. Quare quum vis sententiae non magis in *meis*, quam in *belli prudentibus* insit, dubitari nequit, quin haec verba, in omnibus Sallustii codd. desiderata, sed a Charis. II, 14, 39. p. 116. Lindem. (p. 177. Putsch.), qui integrum locum *scio equidem — bellum conficere* ex IV. laudat, allata, genuina sint, quippe casu potius in codice archetypo omissa, quam ex interpolatione apud Charis. addita. Tertium, quo Arsacem movere studet, est, quod bellum *procul ab domo*, i. e. ab eius regno, futurum sit. Quartam caussam ponit in *parvo labore*, siquidem tunc nonnisi pars belli erat suscipienda, quod brevi post totum Arsaci subeundum esse ostendit. Quod quinto loco affert *per nostra corpora*, hunc sensum habet, Mithridatem ipsum atque Tigranem belli duces fore, suisque personis omnes belli casus et pericula subituros. Quae omnia ut societatis habent commendationem ab utilitate, ita sequentia *quo — possumus* comminationem periculi inferunt, ut Arsaces eo quoque moveatur. Relativae enim enunciationis ad *bellum* pertinentis sensus hic est, ita comparatum esse illud, quod geratur, bellum, ut, *si Arsaces tum societatem abnuat*, sine eius periculo finiri non possit; nam si vincat Mithridates cum Tigrane, fore, ut Arsacem irâ negatae societatis aggrediantur, sin Romani vincant, continuo eos Parthorum regnum invasuros. Sed ne importunus videatur Mithridates, periculum *ex se* Arsaci futurum, tecte modo innuit, et in sequentibus id tantum agit, ut, quid Arsaci a *Romanis* victoribus timendum sit, prolixe exponat. — *Quo*, quod unice verum esse sententia ipsa probat, exstat in cod. Vat. 1. et Bongars., falso tamen lineola imposita. Vat. 2. habet *cum;* Aldi coniectura est *quando;* Benalii *quomodo;* quod quamquam plane absurdum est, tamen in omnibus edd. usque ad Gerl. mai. obtinuit.

§. 17. *An ignoras* etc.) De ratione interrogationis ex *an* aptae, qua antecedentia confirmantur reiecto contrario, v. Gramm. lat.

ignoras, Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convortisse, neque quicquam a principio nisi raptum habere, domum, coniuges, agros, imperium, convenas olim, sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum, quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios, amicos, procul iuxta sitos, inopes potentisque trahant, exscindant, omniaque non serva et maxume regna hostilia ducant? Namque pauci libertatem, pars magna iustos do- 18
minos volunt; nos suspecti sumus aemuli, et in tempore

nostr. §. 133, 3. d. p. 437 sq. Krügeri Gramm. lat. §. 516. not. 1. p. 691. — Pro *nisi raptum*, quod plerique codd. praebent, perverse olim legebatur *nisi partum*, ut est in Vat. 1.; inde Douza debili coniectura fecit *nisi armis partum*. *Sine parentibus* i. e. iustis familiis non oriundi, vel obscuro genere nati, qui maiores ciere non possent. Cortius male de *subditis* intelligit; v. ad Catil. c. VI, 5. *Sine* deest in Vat. 1., quod casu factum putamus; immerito igitur Orellius, Gerl. et Faber eiecerunt. Verba *peste conditos orbis terrarum*, quibus antecedentia in unum comprehenduntur, significant *ex perditissimis hominibus et quasi sentina orbis terrarum collectos et in civitatem compositos*. De hoc *pestis* vocabuli usu Zumpt. ad Cic. Verr. V, 62, 162. p. 978. bene ita disputat: „*Pestis* ipse Verres non raro appellatur, aliique eius similes perniciosi homines, non modo addito genitivo, quod frequentissimum, sed etiam absolute, ut III, 54, 125." Sensum loci non assecutus Douza coniecit *pesti conditos*, quod multis non displicuit, et sane dici potuit, quamquam sententia plane diversa. Respexit hunc locum Servius ad Virg. Aen. VII, 303.; sed corrupte ibi legitur *parte conditor orbis terrarum*, quae editor Fragmentorum Lunaeburgensis p. 110. n. 27. pro novo Fragmento habuit, Brouckhusius autem, si diis placet, sic emendavit *per te conditur orbis terrarum*. — *Situs*, frequentissime de locis atque oppidis dictum, rarius de *hominibus* usurpatur. Comparavit Faber Vell. II, 120, 1. *Cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit*. Tacit. Agric. c. 30, med. *Nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetralibus siti*. Id. Ann. XII, 10, 2. *Iam fratres, iam propinquos, iam longius sitos caedibus exhaustos*. — *Trahant* i. q. diripiant; v. ad Cat. XI, 4. — *Exscindant*, quod in Vat. 1. est, recentiores edd. recte praetulerunt vulgatae scripturae *excidant*, quae interpretamentum rarioris verbi videtur. Neque tamen proprio sensu *exscindere*

19 vindices affuturi. Tu vero, cui Seleucia, maxuma urbium, regnumque Persidis inclutis divitiis est, quid ab illis, nisi dolum in praesens, et postea bellum exspe-
20 ctas? Romani arma in omnis habent, acerruma in eos, quibus victis spolia maxuma sunt; audendo et fallendo
21 et bella ex bellis serendo magni facti. Per hunc morem exstinguent omnia, aut occident, quod haud difficile est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis, fortuna, aut nostris
22 vitiis adhuc incolumem. Teque illa fama sequetur, au-

capiendum, quo valet *exstirpare*, sed translate significat *omnibus bonis evertere*, quod vernacula dicitur *ruiniren, zu Grunde richten.* — *Non serva*, i. e. ipsis non servientia, non subiecta.

§. 18. *nos suspecti sumus aemuli*) Grammatica horum verborum ratio haec est, ut *aemuli* per appositionem referatur non ad subiectum solum, sed ad subiectum cum praedicato suo coniunctum, de quo appositionis genere, quod germanice particula *als* redditur, egimus in Grammat. lat. §. 120, 4. not. 8. p. 293. — *Affuturi*, i. e. *aggressuri eos et impugnaturi;* cf. ad Catil. c. LII, 19. p. 272. et ad Iug. c. L, 4. p. 283.

§. 19. *Seleucia*) Sita fuit ad Tigrim, exadversum Ctesiphonti, a Seleuco Nicatore condita. *Maxuma urbium* iure vocatur, quippe quae teste Plinio N. H. VI, 30. sexcenta millia incolarum habuerit, et secundum Strabonem XVI. p. 1073. C. Almelov. ipsam Babylonem magnitudine superaverit. Vat. 1. habet *Seleucea*, quam formam Orellius, Gerl. et Faber receperunt. — *Divitias*, de quibus magna fama est, ipsas dici *inclutas* tam parum concoxerunt Faërnus et Douza, ut ille *inclutum*, hic *inclutae* scribi mallet. — Verba *quid ab illis — exspectas* Arus. v. *in praesens* p. 242. Lind. ex Histor. IV. affert. —

§. 21. *Mesopotamia — Armenia*) Hi ablativi ex *circumgredimur* pendentes non valent *in Mesopotamia*, *in Armenia*, ut Faber vult, sed *ea parte, qua Mes. est*, i. e. *per Mesopotamiam*, *per Armeniam.* — Verba *sine frumento*, *sine auxiliis* adiectivorum instar sunt, quibus substantivum *exercitus* definitur, de quo attributi genere v. Gramm. lat. nostr. §. 120, 2. not. 6. p. 287. cf. Catil. c. VI, 1. *Genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio.* Iug. c. LIV, 6. *Oppida temere munita aut sine praesidio capit.* LXV, 3. *Milites palantis, inermis, quippe in tali die ac sine imperio, aggrediuntur.* cf. ad Fr. II, 73.

xilio profectum magnis regibus latrones gentium opressisse. Quod uti facias moneo hortorque, neu malis per- 23
nicie nostra tuam prolatare, quam societate victor fieri.

20. Tum vero Bithyni propinquantes iam amnem Tartanium.

21. Namque primum Iasonem novo itinere maris Aeetae hospitis domum violasse.

§. 23. *tuam prolatare*) Ita omnes tenent codd. Ante Ciacconium legebatur *tuum imperium prolatare*, quae interpolatio inde fluxisse videtur, quod fugeret antiquos editores ad *tuam* repetendum esse *perniciem*. Ceterum notandum, *nostra* postpositum esse, quia summa oppositionis in substantivis *pernicie* — *societate* inest; nam simplex possessivorum oppositio postularet *nostra* substantivo praemitti.

Quae sequuntur duo Fragmenta, pertinent illa quidem, ut ex argumento clare patet, ad Mithridaticum bellum, sed quo loco lecta fuerint, ne coniectura quidem constitui potest. Quare quasi appendicis loco ceteris, quae certiorem habent explicationem, subiecimus.

Fr. 20. [Cort. p. 992. Gerl. ed. mai. IV, 36. ed. min. IV, 52. p. 229, 2. Debr. III, 25.] Arus. v. *propinquant*, p. 254. ed. Lind. *Bithynorum* mentio ostendit in rebus Mithridatis haec fuisse. *Tartanium* flumen apud nullum scriptorem commemoratum reperio. In Bithynia quum fuerit *Artanes* sive *Artanus* fluvius (v. Forbigeri Geogr. antiq. Vol. II. p. 379.), suspiceris nomen corruptum esse. Sed ne sic quidem multum proficias ad inania verba expedienda.

Fr. 21. [Cort. p. 959. Gerl. ed. mai. IV, 21. ed. min. IV, 59. p. 229, 18. Debr. III, 128.] Ex libro *quarto* haec laudat Priscian. VI, 11, 61. p. 258. Kr. consensu omnium codicum, quibus Krehlius usus est. Perperam igitur Carrio unum cod. Martin. secutus Fragmentum *secundo* attribuit, cui rei praeter codicum auctoritatem argumentum ipsum repugnat, quippe quod, ut ex Iasonis et Aeetae mentione intelligitur, ad res Ponticas pertineat. Neque tamen Gerlachius rem acu tetigit, qui Vol. III. p. 113. suspicatur verba in descriptione antiquitatum Ponti fuisse. De iis enim quum Sallustius libro *tertio* prolixissime egerit, non potuit, nisi ineptus esse vellet, eandem rem libro *quarto* iterum tractare. Neque orationis forma talis est, quae rerum descriptioni conveniat. Quin ex ea ipsa coniecturam capias, verba fuisse in relata alicuius oratione, antiquitatis exempla repetentis ad res suas confirmandas. Quae quoniam Colchidem spectant, non plane absimile veri est Mithridatis ea verba fuisse, Colchorum

CAP. II.

Bellum servile extremum. Pastores in Lucania servis se adiungunt et rudia arma parant. — Crassus dux contra servos eligitur. — Spartacus in Bruttiorum agrum se recipit. — Eius conatus in Siciliam traiiciendi. — Descriptio Italiae inferioris et freti Siculi. — Servorum discordia, reditus ex Bruttiis per Lucaniam, et variae clades. — Spartaci mors.

---

22. Hi locorum pergnari et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ea arte se quisque in formam parmae equestris armabat.

auxilium invocantis, quamquam nimis abrupta est sententia, quam ut eius nexum eruas. Pro *itinere maris* Gerlach. in utraque ed. contra omnes codd. scripsit *itinere mari*.

Quae capite secundo continentur Fragmenta ad bellum servile pertinentia, pleraque non admodum dubia aut obscura sunt, si universam rem spectas; de quibus vero certaminibus singula intelligenda sint, quove ordine in ipso Sallustii opere se exceperint, in multis constitui non potest. Quare nolumus praestare in loco singulis assignando verum nos ubique assecutos esse, quamquam probabilitatem quandam nunquam non secuti sumus.

Fr. 22. [Cort. p. 991. Gerl. ed. mai. IV, 28. ed. min. IV, 4. p. 225, 5. Debr. III, 79.] Non. XVIII, 14. p. 554, 20. Merc. Pro *pergnari* in codd. prorsus inepte est *perignari*, quod, quamquam a Douza correctum, Cortius tamen retinuit. Tum pro *fuerat*, *ea arte* codices habent *fuereed ea arte* vel *fuere ad eu arte*, quae scriptura, per se sensu cassa, proxime tamen abest a vero, quod Mercerus coniectura assecutus est. Minus dextre in hoc loco emendando versatus erat Ursinus, qui suspicabatur *fuere, ab ea arte*, et Carrio, cui placuit *fuerat, ad eam artem*; quod, licet ne latinum quidem sit, (nam quod Gerlachius Vol. III. p. 114. id defendit, suis, i. e. vanis rationibus fecit,) in omnibus adhuc Sallustii edd. obtinuit. De fugitivis sermonem esse nisi res ipsa ostenderet, dubitare nos non sineret testimonium Flori III, 20, 6. *Affluentibus in diem copiis quum iam esset iustus exercitus, e viminibus pecudumqae tegumentis inconditos sibi clipeos, e ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt*: atque Frontini de Strateg. I, 7, 6. *Spartaco copiisque eius scuta ex vimine fuerunt, quae coriis tegebantur*. Intelligendi videntur non

23. Coria recens detracta quasi glutino adolescebant.

tam servi, quam pastores fugitivis sese adiungentes, quod per totum fere bellum fiebat; cf. Plutarch. in Crass. c. 9. *Καὶ προσεγίνοντο πολλοὶ τῶν αὐτόθι βοτήρων καὶ ποιμένες αὐτοῖς, πλῆκται καὶ ποδώκεις ἄνδρες, ὧν τοὺς μὲν ὡπλιζον, τοῖς δὲ προδρόμοις καὶ ψιλοῖς ἐχρῶντο.* Res fortasse facta est in agro Thurino, quo Spartacus ex Gallia cisalpina regressus se contulit; v. Appian. B. C. I, 117, extr. *Τὰ δ' ὄρη τὰ περὶ Θουρίους καὶ τὴν πόλιν αὐτὴν κατέλαβε, καὶ χρυσὸν μὲν ἢ ἄργυρον τοὺς ἐμπόρους ἐσφέρειν ἐκώλυε, καὶ κεκτῆσθαι τοὺς ἑαυτοῦ· μόνον δὲ σίδηρον καὶ χαλκὸν ὠνοῦντο πολλοῦ, καὶ τοὺς ἐσφέροντας οὐκ ἠδίκουν· ὅθεν ἀθρόας ὕλης εὐπορήσαντες εὖ παρεσκευάσαντο, καὶ θαμινὰ ἐπὶ λεηλασίας ἐξήεσαν. Ῥωμαίοις τε πάλιν συνενεχθέντες ἐς χεῖρας ἐκράτουν καὶ τότε, καὶ λείας πολλῆς γέμοντες ἐπανῄεσαν.* Certe in Lucania haec accidisse aperte tradit Servius ad Virg. Aen. VI, 632., quamquam huius et sequentis Fragmenti, ubi v., verba mire deformans.

Fr. 23. [Cort. p. 991. Gerl. ed. mai. IV, 29. ed. min. IV, 5. p. 225, 9. Debr. III, 41. III, 80.] Verba haec artissime cohaesisse cum praecedente Fragmento, ita ut inter hoc et illud pauca tantum intercederent, luculenter patet ex Flori et Frontini ll. ll.; hoc enim significatur scuta ex viminibus in formam parmae equestris facta coriis inducta esse recens detractis, quae ob id quasi glutino adolescerent. Locus varie citatus plenissime exstat apud Serv. ad Virg. Georg. III, 155, ubi tamen falso legitur *veluti glutine*. Nam ut testarentur grammatici Sallustium non *gluten* dixisse, sed *glutinum*, compluries hoc exemplo usi sunt, velut Charis. I, 17, 65. p. 48. Lind. (p. 67. P.), qui affert *quasi glutino adolescebant*. Idem I, 21, 114. p. 76. Lind. (p. 106. P.) *glutino adolescebant*. Philargyr. ad Virg. Georg. IV, 40. *Hic glutino adolescebat*. Denique Servius ad verba Virgilii Aen. VI, 632. „Flectuntque salignas umbonum cratis" haec annotat: ut dicit Sallustius de Lucanis: *Qui de vimine facta scuta, recentibus detractis coriis, quasi glutino adolescebant*. — Quibus cum praecedente Fragmento comparatis patet tantummodo tria postrema verba genuina esse, cetera Servium ex libidine ita immutasse, ut structurae rationem prorsus perverteret. Totius enim periodi praecedentis sensum comprehendens verbis *qui de vimine facta scuta*, verbum *adolescebant*, quod apud Sallustium *coria* subiectum habuit, ad *qui* subiectum retulit, inepteque *recens* adverbium, satis firmatum ad Georg. III, 151., in adiectivum mutavit, quae omnia ita confusa sunt, ut in iustam sententiam coire nequeant. *Adolescebant* insolenter ita positum, ut propria constet *ad* particulae vis, qua acces-

24. Rursus iumenta nacti ad oppidum ire contendunt.

25. Festinantibus in summa inopia patribus.

sio indicatur, significat *firmiter adhaerescebant*, *ut paene concreta viderentur*. Vernacula igitur *adolescere*, quod vulgo est *heranwachsen*, hic valet *anwachsen*. — Quae in omnibus Sallustii edd. in principio huius Fragmenti leguntur verba *de pecore*, omni auctoritate destituuntur, quippe a Carrione assuta, qui, quum apud Charis. I, 14, 2. p. 19. Lind. (p. 23. P.) invenisset „Pecu et pecus pecoris, sicut apud Sallustium *de pecore*," temere haec verba ad nostrum Fragm. pertinere opinatus est. Cuius rei ut ne minimum quidem indicium habetur, ita perversitas ex eo elucet, quod apud Charisium illa verba plane non exstant, sed a Fabricio e coniectura posita sunt, ubi novissima Lindemanni editio ex Niebuhrii collatione praebet *domiti pecoris*, desumpta ex Iug. c. LXXV, 4.

Fr. 24. [Cort. p. 991. Gerl. ed. mai. IV, 34. ed. min. IV, 62. p. 229, 21. Debr. III, 81.] Non. IV, 68. p. 258, 24. Merc. De fugitivis haec capienda esse dubitari non potest, sed de oppido ipso res incerta est. Fortasse Thurii intelligendi, vel Metapontum, vel aliud Lucaniae oppidum; cf. Flor. III, 20, 5. *Thurios atque Metapontum terribili strage populantur*. Debrossius ad Capuam refert, quod aperte falsum est, quia fugitivi non nisi primo belli tempore Campaniam vexabant, tertio anno in Lucania et Brutiorum agro se continebant.

Fr. 25. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 12. ed. min. I, 73. p. 196, 5. Debr. II, 144.] Donat. ad Ter. Eun. IV, 3, 8. sine libri indicio. Haec ut de imperio Crasso contra fugitivos committendo intelligamus, permovemur eo, quod constat senatum Romanum, maximis cladibus a Sertorio acceptis in summa anxietate fuisse, neque habuisse, cui illud bellum demandaret; cf. Appian. B. C. I, 118, in. *Τριέτης τε ἦν ἤδη καὶ φοβερὸς αὐτοῖς ὁ πόλεμος. Προτεθείσης τε στρατηγῶν ἄλλων χειροτονίας ὄκνος ἐπεῖχεν ἅπαντας, καὶ παρήγγελλεν οὐδείς· μέχρι Λικίνιος Κράσσος — ἀνεδέξατο στρατηγήσειν.* Plutarch. in Crass. c. 10, in. *Ταῦτ' ἡ βουλὴ πυθομένη* (sc. Cassii cladem in Gallia Cisalpina) *τοὺς μὲν ὑπάτους πρὸς ὀργὴν ἐκέλευσεν ἡσυχίαν ἄγειν, Κράσσον δὲ τοῦ πολέμου στρατηγὸν εἵλετο.* Id. Comparat. Nic. et Crassi, c. 3, extr. *Τῷ δὲ Κράσσῳ παρὰ πάντα τὸν χρόνον ἐφιεμένῳ στρατηγίας οὐχ ὑπῆρξε τυχεῖν, πλὴν ἐπὶ τὸν δουλικὸν πόλεμον ἐξ ἀνάγκης.* *Festinare* igitur quum Donatus explicet *properare*, *turbari*, *trepidare*, (cf. ad III, 26.), *summa inopia* intelligenda est de difficultate idonei ducis reperiendi, qui Spartaco par esset. Debrossius *inopiam* non aliam esse posse ratus, quam

26. Revorsi postero die, multa, quae properantes deseruerant in castris, nacti, quum se ibi cibo vinoque laeti invitarent.

frumenti, patrum *festinationem* ortam esse putat fame illa, qua urbs a. 75. a. Chr. n. vexabatur L. Octavio et C. Cotta coss. cf. Fr. II, 48. Hanc verborum explicationem Gerlachius Vol. III. p. 118. amplexus in ed. min. rursus deseruit, de iis rerum angustiis cogitans, quibus senatus Lepidani tumultus tempore conflictabatur.

Fr. 26. [Cort. p. 991. Gerl. ed. mai. IV, 32. ed. min. IV, 6. p. 225, 10. Debr. IV, 7.] Apud Nonium, qui IV, 232. p. 320, 24. Mercer. haec attulit, corrupte legitur *et versi* p. d. *multoque*, quae vitia Carrio bene sustulit. De fugitivis locum recte intellexit Debrossius, sed perperam de Gellii castris a Crixo Gallisque captis direptisque interpretatur; Crixi enim mors iam tertio libro narrata fuit. Si in re obscura aliquid coniicere licet, quoniam, ex quo Crassus imperium obtinuit, fugitivi continuis cladibus affecti sunt, praeter initio, quum Mummius, Crassi legatus, iniussu ducis pugnam conserens victus est, ad hanc Romanorum fugam Fragmentum referri posse putaverim. cf. Plutarch. in Crass. c. 10, in. *Κράσσος — Μώμιον κύκλῳ περιέπεμψεν, ἕπεσθαι κελεύσας τοῖς πολεμίοις, συμπλέκεσθαι δὲ μὴ, μηδὲ ἀψιμαχεῖν. Ὁ δ' ἅμα τῷ πρῶτον ἐπ' ἐλπίδος γενέσθαι μάχην θέμενος ἡττήθη· καὶ πολλοὶ μὲν ἔπεσον, πολλοὶ δὲ ἄνευ τῶν ὅπλων φεύγοντες ἐσώθησαν.* Ex horum igitur persecutione reversi servi in castris, quae Romani *properantes*, i. e. praecipiti fuga deseruerant, multa edulia vinique copiam nacti cibo vinoque se invitabant, i. e. epulando ac potando indulgebant. In hac sensus perspicuitate interpretes tamen ambigunt de grammatica verborum ratione. Cortius enim valde assentiente Gerlachio *cibo vinoque* pro dativis habet, verba explicans *invitabant se ad cibum vinumque*. Id per se non absonum foret, si *invitare* idem esset, quod *excitare*, *hortari*; sed fugitivos esurientes a persequendis hostibus in castra ingressos quis credat invitatione ad edendum eguisse? Quare alia vis *invitare* verbi esse debet, quo simul structurae ratio mutatur. Nimirum peculiaris in re epulari eius usus est, isque duplex. Nam primum *invitare* sive nude, sive addito substantivo de *hospite* dicitur, qui convivis *dapes praebet*, sive *epulis eos accipit*, quae dicendi ratio inde repetenda videtur, quod plerumque adiungitur exhortatio sive invitatio, ut illi appositis dapibus fruantur; cf. Caes. B. C. I, 74, 4. *Interim alii suos in castra invitandi caussa adducunt.* Gell. NN. AA. XIX, 7. *Iulius Paulus saepe nos ad sese vocabat, et olusculis pomisque satis comiter copioseque invitabat.* Iustin. I, 6, 5. *Eosdem postera die apparatis epulis invitat.*

27. Sorte ductos fusti necat.
28. In silva Sila fuerunt.

Quo sensu quum *invitare* respondeat vernaculo *bewirthen*, per se intelligitur, ubi additur *vino*, *cibo*, *epulis*, *poculis* aut simile, ablativo casu has voces positas esse, non dativo, cui in tali sententia locus esse nequit. Alter verbi usus est, quum *convivantes* dicuntur *se invitare*; quod quum germanice sit *sich güttlich thun*, vel, quod saepe usurpatum fuisse ex Nonio colligitur, *plusculum se invitare*, *des Guten zu viel thun*, in hac quoque formula res, qua largiter fruuntur, non alio quam sexto casu enunciatur. Non multum igitur a vero aberravit Nonius, *invitare* in his dictionibus pro *repleri* positum dicens, quamquam valde rudis est haec interpretandi ratio.

Fr. 27. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 96. ed. min. IV, 10. p. 226, 4. Debr. IV, 19.] Verba sine libri numero bis attulit Servius, ad Virg. Aen. II, 201. et ad VI, 22., sed posteriore loco Sallustianam dictionem Virgilii verbis *stat ductis sortibus urna* accommodans vitiose *sortibus* exhibet. Sallustium expressit Tacitus Ann. III, 21, 1. *Apronius raro ea tempestate et e vetere memoria facinore decumum quemque ignominiosae cohortis sorte ductos fusti necat.* De Crasso Fragmentum intelligendum esse, haud multo post susceptum imperium partem ignavorum militum decimante, interpretes dudum viderunt; cf. Plut. in Crass. c. 10. *Πεντακοσίους δὲ τοὺς πρώτους καὶ μάλιστα τοὺς τρέσαντας εἰς πεντήκοντα διανείμας δεκάδας ἀφ' ἑκάστης ἀπέκτεινεν ἕνα τοὺ κλήρῳ λαχόντα, πάτριόν τι τοῦτο διὰ πολλῶν χρόνων κόλασμα τοῖς στρατιώταις ἐπαγαγών.* Paullo aliter eandem rem narrat Appian. B. C. I, 118. De ipso poenae modo haec tradit Polyb. VI, 37. *Τὸ δὲ τῆς ξυλοκοπίας ἐστὶ τοιοῦτον· λαβὼν ξύλον ὁ χιλίαρχος, τούτῳ τοῦ κατακριθέντος οἱ ἥψατο μόνον. Οὗ γενομένου, πάντες οἱ τοῦ στρατοπέδου τύπτοντες τοῖς ξύλοις καὶ τοῖς λίθοις, τοὺς μὲν πλείστους ἐν αὐτῇ τῇ στρατοπεδείᾳ καταβάλλουσι.* Aliquot decimationis exempla Frontinus narrat Strategem. IV, 1, 34. 35. 37.

Fr. 28. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 36. ed. min. IV, 79. p. 230, 14. Debr. IV, 57.] Servius quum ad Virg. Aen. XII, 715. diserte tradat Sallustium haec *de fugitivis* dixisse, non obscurum est, quo verba pertineant. De *silva Sila* v. Ellendtium ad Cic. Brut. c. 22, 85. p. 361. qui: 'sic vocabatur, inquit, Apennini extrema pars, quae Bruttios peragrans ad fretum Siculum deficit. Nobilis erat propter silvas pinuum et abietum; unde ex picariis reditus magni in aerarium redigebantur; v. Dion. Hal. Fragm. Maiana XX, 5. Plin. H. N. XVI, 11. cf. ib. III, 10. *Unde Rhegium XII. millia D pass. Inde Apennini silva Sila, promontorium Leucopetra XII. M. pass.* Strab. VI. p. 400. A. Almel. *Τὴν δ' ὑπὲρ τῶν πόλεων τούτων με-*

29. Dolia quum sub trabes locata vitibus aut virgis vinciebant.

σόγαιαν Βρέττιοι κατέχουσι· καὶ πόλεις ἐνταῦθα Μαμέρτιον, καὶ ὁ ὄρυμὸς ὁ φέρων τὴν ἀρίστην πίτταν τὴν Βρεττίαν, ὃν Σίλαν καλοῦσι, εὔδενδρός τε καὶ εὔυδρος, μῆκος ἑπτακοσίων σταδίων. Spartacum a Crasso pressum ex Lucania concessisse in extremum Bruttiorum agrum cognoscitur ex Plutarcho in Crass. c. 10, med. *Ὁ δὲ Σπάρτακος ὑπεξεχώρει διὰ Λευκανίας εἰς τὴν θάλασσαν.* cf. Flor. III, 20, 12. *A Crasso pulsi fugatique hostes in extrema Italiae refugerunt.* Appian. B. C. I, 118, extr.; quare planum est Fragmentum de hac Spartaci sive fuga sive profectione esse capiendum.

Fr. 29. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 1. p. 225, 1.] Fragmentum recens accedit ex cod. Gud. Arusiani, v. *sub.*, p. 261. Lindem., neque difficilem habet explicationem. Agitur enim de Spartaco, qui in extrema Italiae compulsus (v. Fr. praecedens), quum a praedonibus, quibuscum traiectionem in Siciliam pactus erat, deceptus esset (v. Plutarch. in Crass. c. 10, med.), ratibus ad id paratis, quibus dolia subiecerat, in Siciliam traiicere conatus est; cf. Flor. III, 20, 13. *Circa Bruttium angulum clusi, quum fugam in Siciliam pararent* [cf. App. B. C. I, 118, extr. *Κράσσος τὸν Σπάρτακον ἐδίωκε φεύγοντα ἐπὶ τὴν θάλασσαν, ὡς διαπλευσόμενον ἐς Σικελίαν.*], *neque navigia suppeterent, ratesque ex cratibus et dolia connexa virgultis in rapidissimo freto frustra experirentur — tandem obiere mortem.* — Pro *dolia quum* Lindemannus coniecit *dolia, quae* etc., quo non videtur opus esse.

Fr. 30. [Cort. p. 980. Gerl. ed. mai. IV, 3. ed. min. IV, 41. p. 228, 15. — Deest ap. Debr.] Verba, a Prisciano IX, 7, 37. p. 455. Kr. laudata, probabiliter ad eandem rem pertinent, ut Fragm. praecedens. Quod si non falso coniecimus, intelligendae sunt rates rapido freto collisae inter se, ut regi non possent. In re nautica enim *ministeria* significant nautarum operam in gubernando regendoque navigio positam. — Pro *implicatae*, quam participii formam Priscianus tum Ciceronis auctoritate in Pison. c. 29, 70. *familiaritate implicatus*, tum hoc ipso Sallustii loco tuetur, in Sall. edd. omnibus perperam est *implicitae*, quod repetere noluimus.

Fr. 31. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. III, 79. p. 223, 17.] Arusianus v. *propinquum illa re*, p. 254. Lindem. hunc locum sic affert: „Sallust. Hist. *G. G. Verris littora Italia prop. firm.*“ Ad haec Lindemannus bene annotavit priorem litteram G. numerum libri continere, alteram esse notam Gaii praenominis (quam cur cum C. mutaverimus, patebit ex annotat. ad Fr. III, 77, 2.), denique pro *Verris* scribendum esse *Verres;* sed

30. Implicatae rates ministeria prohibebant.

31. C. Verres littora Italia propinqua firmavit.

quod suspicatur fortasse *sextum* librum ea nota significari, aperte falsum est. Nam quum omnino sextus liber Historiarum non sit, tum Verris mentio non potuit alio quam *quarto* libro fieri, siquidem caussa, cur ille Siciliae littora Italiae proxima praesidio firmaret, unice Spartaci consilio in Siciliam transeundi continetur. Eandem rem tangit etiam Cicero in Verr. V, 2, 5., sed ita, ut Sallustio repugnare videatur. Verba eius haec sunt: *Obstitisti videlicet, ne ex Italia transire in Siciliam fugitivorum copiae possent. Ubi? quando? qua ex parte? quum aut ratibus aut navibus conarentur accedere? Nos enim nihil unquam prorsus audivimus: et illud audivimus, M. Crassi, fortissimi viri, virtute consilioque factum, ne ratibus coniunctis freto fugitivi ad Messanam transire possent: a quo illi conatu non tantopere prohibendi fuissent, si ulla praesidia in Sicilia ad illorum adventum opposita putarentur.* Quibus cum Sallustiano Fragmento comparatis facile intelligitur, Ciceronem oratorie vel potius accusatorie rem augere, qui captiosis ratiunculis ostendere conetur nihil plane a Verre actum esse ad fugitivos Sicilia arcendos. Sallustio certe maior fides, quamquam facile concedi potest, non tantam fuisse Verris curam in Sicilia tutanda, quantam ipse haberi vellet, ac Romae fortasse plane ignoratam, quia irrito Spartaci conatu nullus eius usus fuit. Quod Gerlachius e coniectura scripsit *Italiam propinqua*, inconsulto factum; Arusiani enim lemmate (propinquum *illa re*) ablativus prorsus certus est, neque insolentior sexti casus structura ratione destituitur. *Propinquitatis* enim notio non solum loco, *ad quem acceditur*, sed etiam *unde advenitur* constitui potest, quo fit, ut *propior*, *proximus*, *propius*, *proxime* haud raro cum ablativo et *ab* praepositione construantur, v. Freundii Lex. lat. h. v. Secundum hanc analogiam, ut bene vidit Dietschius ad Iug. c. 18, 11. p. 166., *proximus* pariter atque *propinquus* urbium terrarumque nomina solo ablativo asciscere possunt, quippe in quibus hoc casu remotio ab aliquo loco significetur, quod secus est in aliis vocabulis. Nostro igitur loco *littora Italiâ propinqua* quasi est *littora a parte Italiae propinqua*, sive *ex Italia venientibus propinqua*. cf. Iug. c. XVIII, 11. *Numidae possedere ea loca, quae proxuma Carthagine Numidia appellatur.* ib. c. XIX, 4. *Proxumi Hispania Mauri sunt.* Ita enim Arusianus p. 252. a Sallustio scriptum esse tradit, ubi codd. nunc tenent *proxume Carthaginem*, *proxime Hispaniam.*

Quae sequuntur Fragmenta 32—39 omnia pertinent ad descriptionem Italiae inferioris ac freti Siculi, quam Sallustius eo rerum gestarum narrationi interposuit, quod illorum locorum na-

32. Italiae plana ac mollia.

33. Omnis Italia coacta in angustias scinditur in duo promontoria, Bruttium et Sallentinum.

34. Ad Siciliam vergens faucibus ipsis non amplius patet millibus V et XXX.

tura maxime factum est, ut cum Spartaco debellaretur. Quamquam pleraque ex *Incertis* sunt, tamen *quarto* Historiarum libro eam digressionem contentam fuisse tum res ipsa ostendit, factorum ordine eum locum postulante, tum cognoscitur ex Fr. 34 et 37, quae diserte ex IV. laudantur.

Fr. 32. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 98. ed. min. IV, 16. p. 226, 15. Debr. IV, 63.] Verba allata a Serv. ad Virg. Aen. III, 522. vulgo corrupte in Sall. edd. sic leguntur *Italia plana ac mollis*, quae scriptura non solum fide caret, sed etiam perversam habet sententiam. Italiam enim per se quis dixerit planam ac mollem? Intelliguntur autem singulae eius regiones sive partes planae ac molles; cf. ad Fr. III, 26. — Loca *mollia*, opposita asperis, montanis, saxosis, sunt, quae humum fertilem frugibusque gignendis aptam habent. cf. Fr. IV, 35. *Natura mollioris Italiae.*

Fr. 33. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 97. ed. min. IV, 13. p. 226, 6. Debr. IV, 55.] Serv. ad Virg. Aen. III, 400. *Coacta in angustias* intelligendum de oblonga universae Italiae forma, i. e. longiore multo quam latiore, quasi vernacula dicas schmal zusammengedrängt, quam explicationem commendat Strabo V. p. 324. A. Almel. *Ἡ λοιπὴ δ' Ἰταλία* (sc. praeter eam, quae vocatur Gallia cisalpina) *στενὴ καὶ παραμήκης ἐστὶ, κορυφουμένη διχῶς, τῇ μὲν πρὸς τὸν Σικελικὸν πορθμὸν, τῇ δὲ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν. Scindi* simpliciter est *dividi* vel *dirimi*, eodemque vocabulo etiam utitur Mela II, 4, 7. *Frons Italiae in duo se cornua scindit.* Promontorio *Bruttio*, quo Apenninus mons terminatur, etiam nomen est *Leucopetrae*, cf. Strab. l. l. p. 324. C. id. VI. p. 397. B. Cic. Philipp. I, 3, 7.; *Sallentinum*, quod memorat etiam Mela II, 4, 8., saepius dicitur *Iapygia*, v. Strab. V. p. 322. C. p. 324. A. II. p. 185. B. Alm.

Fr. 34. [Cort. p. 992. Gerl. ed. mai. IV, 38. ed. min. IV, 14. p. 226, 8. Debr. IV, 68.] Arus. v. *patet*, p. 254. Lindem. De *Italia* haec dicta esse in promptu est. *Fauces* quum sint angustiae freti Siculi, sive fretum ipsum, sensus est, Italiam, *qua parte freto Siculo alluatur*, non latius patere, quam XXXV millia passuum. — *Ipsis*, quod in Sall. edd. deest, Lindemannus e cod. Gud. bene addidit, quippe quo brevis mensurae notio ad solas fauces restringa-

35. Italiae Siciliam coniunctam fuisse constat; sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est, aut per angustiam scissum. Ut autem tam curvum sit, facit natura mollioris Italiae, in quam asperitas et altitudo Siciliae aestum relidit.

tur; cf. Gramm. lat. nostr. §. 121, 10. p. 309. — De duplici ablativo cum *patet* verbo coniuncto v. ad Fr. III, 82, 26.

Fr. 35. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 67. et 220. ed. min. IV, 15. et 22. p. 226, 10. et 21 sqq. Debr. IV, 62. 64. 69.] Fragmentum Servius attulit ad Virg. Aen. III, 414., illustraturus poëtae locum de freti Siculi ortu, aperte ex Sallustio adumbratum. Ita enim Virgilius:

„Haec loca vi quondam et vasta convulsa ruina
(Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, quum protenus utraque tellus
Una foret. Venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbis
Littore diductas angusto interluit aestu."

Eadem Sallustii verba liberius, ut solet, expressit Isidorus XIII, 18, 3. p. 426. Lindem. „*Fretum Siciliae, quod Rhegium dicitur. Sallustius tali ex caussa vocari scribit dicens* Italiae olim coniunctam fuisse Siciliam, *et dum esset una tellus* medium spacium aut per humilitatem abruptum est *aquis*, aut per angustiam scissum. *Et inde Ῥήγιον nominatum, quia Graece abruptum hoc nomine nuncupatur. Est autem artissimum trium millium spatio Siciliam ab Italia dividens, fabulosis infame monstris, cuius hinc inde Scylla et Charybdis ostenditur.*" Ex his quae pronis litteris imprimenda curavimus non esse Sallustii, in oculos incurrit, tum orationis forma, tum ipsa rerum expositione serioris aetatis grammaticum arguente. De Rhegio enim quae leguntur, omnia Isidorum sapiunt, quippe qui urbis nomen falso ad fretum transtulerit, et grammaticorum more graecae vocis interpretationem prodiderit. Veteres enim talia latine significare solitos esse monuimus ad Iug. c. LXXVIII, 3. *Syrtes ab tractu nominatae:* et in hac ipsa re idem fecit Plin. N. H. III, 14. *Ab hoc dehiscendi argumento Rhegium Graeci nomen dedere oppido, in margine Italiae sito.* Cetera Isidori consensus cum Servio genuina praestat; nam quod priore loco *abruptum* legitur pro *obrutum*, non vera discrepantia est, sed librarii vel lapsus vel pingui Minerva facta interpolatio. Idem statuendum de vulgata scriptura *per humiditatem*, quam Gerl. in ed. mai. inconsulto recepit; *humiditatis* enim vocabulum non solum inauditum fuit Latinis, sed, etiamsi in usu

36. *[Sallustius]* Scyllam saxum esse *[dicit,]* simile formae celebratae procul visentibus.

37. Charybdis mare vorticosum, quod forte illata

fuisset, sensu foret alienissimum. Sallustius enim duas ponit caussas avulsae ab Italia Siciliae; medium quippe spatium aut *depressam vallem* fuisse, quae facile inundari ac fluctibus obtegi posset, aut *angustissimo tantum aggere* Italiam Siciliae cohaesisse, quem impetus maris scinderet. — De verbis *natura mollioris Italiae* v. ad Fr. IV, 32.

Fr. 36. [Cort. p. 1010. Gerl. ed. mai. Inc. 202. et 220. ed. min. IV, 21. et 22. Debr. IV, 70.] Serv. Virg. Aen. III, 420. Eadem affert Isidorus XIII, 18, 4. p. 426. Lindem. „Scyllam accolae saxum mari imminens appellant, simile celebratae formae procul visentibus. *Unde et monstruosum speciem fabulae illi dederunt, quasi formam hominis, caninis succinctam capitibus, quia collisi ibi fluctus latratus videntur exprimere.*“ Uter Sallustiana verba accuratius attulerit (neuter enim plane genuina habere videtur), difficile dictu est; sed quum Isidorus, ubi veterum scriptorum locis utitur, multa variare soleat addendo, omittendo, immutando, Servium sequi consultius duximus. Certe Sallustii non esse, quae ex Isidorianis prona litterarum forma exprimenda curavimus, quivis, opinor, sponte intelliget. — Pro *mari imminens* Gerlachium in utraque ed. vitiose scripsisse *in mari imminens* iam monuit Kreyssigius ad Sall. Fragm. Vatic. p. 55. (ed. a. 1835.) Idem ibid. merito improbavit ab Ottone, nupero Isidori editore, *videntibus* ex uno cod. scriptum esse pro *visentibus*, quod Servii auctoritate confirmatur. cf. ad Fr. III, 77, 5. — *Simile formae celebratae*, i. e. simile ei formae, quae famâ hominum celebrata, i. e. notissima est; ex quo patet Sallustium non descripsisse illam formam, sed concedere, haud absone eam effictam videri, si quis e longinquo spectet. Qualis autem fuerit, Isidorus verbis supra appositis declaravit.

Fr. 37. [Cort. p. 1008. 1007. 991. Gerl. ed. mai. Inc. 127. 118. IV, 35. Inc. 220. ed. min. IV, 19. 17. 18. 22. p. 226, 18. 15. 17. p. 227, 9. Debr. IV, 71. 73.] Fragmentum hoc vulgo tribus constat particulis, quae quum et verbis et sententia egregie in unum coëant, coniungere non dubitavimus. Verba *Charybdis mare vorticosum* habet Serv. ad Virg. Aen. I, 117. Imperite autem Cortius antiquiores editores secutus scripsit *Charybdi m. r.; Charybdis* enim subiectum est, ut patet et ex Plinio N. H. III, 14. *In eo freto est scopulus Scylla, item Charybdis mare vorticosum*, et ex Isidoro XIII, 18, 5. *Charybdis dicta, quod gurgitibus occultis naves absorbeat; est enim mare verticosum;* quae uterque ex Sallustio

naufragia sorbens gurgitibus occultis millia sexaginta Tauromenitana ad litora trahit, ubi se laniata navigia fundo emergunt.

38. Triplici fluctu.

(hausit. *Mare* hic angustiore sensu est *locus* sive *pars maris*, quod non intellectum editores fortasse permovit ut *Charybdi* scriberent. — Quae sequuntur usque ad *trahit*, servata sunt a Servio ad Aen. III, 425.; sed hic quoque editores mala sedulitate verum obscurarunt, addita in principio voce *Charybdis*, quae deest apud Servium, ac praeterea *quod* mutato in *quae*. Rejectis his verae emendationis impedimentis, quam expedita omnia fiant hoc Fragmento cum praecedentibus verbis coniuncto, demonstratione non eget. — *Naufragia*, quod Debrossius male in *naufraga* mutavit, sunt naves vel rates naufragium passae, sive partes navigiorum naufragio disiectorum, quae dicendi ratio, qua abstractum ponitur pro concreto, non tam rara est, ut Douzae visum; ita enim *servitia* dicuntur, qui servitium sustinent, i. e. servi, Catil. c. XXIV, 4., *matrimonia*, quae in matrimonio sunt, i. e. matronae, uxores, Tacit. Ann. II, 13, 3., *latrocinium*, qui ad latrocinandum coniuncti sunt, i. e. latrones, Cic. Off. II, 11, 9., *ministerium*, qui ministerio funguntur, i. e. ministri, Tacit. Ann. XIII, 27, 1. — Ad verba *naufragia sorbens gurgitibus occultis* cf. Isidor. l. l. — Postremam Fragmenti partem, *ubi — emergunt*, ex IV. laudat Arus. v. *emergit se*, p. 229. Lind. Eam cohaesisse cum praecedentibus documento est *ubi* particula, quae necessario loci vocabulum in proximis requirit, quo referatur. Ad Tauromenitana autem littora eiici naufragia Charybdi sorpta ipsius Sallustii auctoritate testatur Servius ad Aen. III, 420. „Charybdis sorbet universa, quae prehendit, et secundum Sallustium *ea circa Tauromenitanum egerit littus*." cf. Strabo VI. p. 471. A. Almel. *Δείκνυται δὲ καὶ ἡ Χάρυβδις μικρὸν πρὸ τῆς πόλεως* (sc. *Μεσσήνης*) *ἐν τῷ πορθμῷ, βάθος ἐξαίσιον, εἰς ὃ αἱ παλίῤῥοιαι τοῦ πορθμοῦ κατάγουσιν εὐφυῶς τὰ σκάφη τραχηλιζόμενα μετὰ συστροφῆς καὶ δίνης μεγάλης. καταποθέντων δὲ καὶ διαλυθέντων, τὰ ναυάγια παρασύρεται πρὸς ἠϊόνα τῆς Ταυρομενίας, ἣν καλοῦσιν ἀπὸ τοῦ συμπτώματος τούτου Κοπρίαν.* Seneca Ep. 79, in. *Fac nos certiores, an verum sit, quicquid illo freti turbine arreptum est, per multa millia trahi conditum et circa Tauromenitanum littus emergere.* Eodem spectant confusa Isidori verba XIII, 18, 5., qui Tauromenii nulla mentione facta ita pergit: *et inde ibi laniata naufragia profundo emergunt.*

Fr. 38. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 126. ed. min. IV, 20. p. 226, 19. Debr. III, 124.] Serv. ad Virg. Aen. I, 120. his Sallustii

39. Pelorum promontorium Siciliae est, *[secundum Sallustium]* dictum a gubernatore Hannibalis illic sepulto.

verbis id significari censet, quod Graeci *τριχυμίαν* dicunt. Quae interpretatio quum per se falsa sit (*τριχυμία* enim latine est *decumanus fluctus*), tum abhorret ab eo loco, ubi haec verba lecta fuisse consentaneum est. De Charybdis vertice enim haec dicta esse dubitare non sinunt verba Isidori XIII, 18, 5. *Ter autem in die erigit fluctus et ter absorbet.* Tetigisse autem videtur Sallustius eorum opinionem, qui fretum Siculum ter in die reciprocare statuerent, quemadmodum iam est apud Homerum Od. XII, 104 sq. *Τῷ δ' ὑπὸ δῖα Χάρυβδις ἀναῤῥοιβδεῖ μέλαν ὕδωρ. τρὶς μὲν γὰρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναροιβδεῖ δεινόν.* Falsum esse hoc, neque saepius quam bis in die reciprocationem fieri contendit Strabo I. p. 75. B. Almel. et p. 95. B. *Κατὰ τὴν ὑπόθεσιν τοσοῦτον εἰπεῖν ἀπόχρη, ὅτι οὐδὲ εἷς τρόπος τοῦ ῥοώδεις εἶναι τοὺς πορθμούς, ὅγε κατ' εἶδος. οὐ γὰρ ἂν ὁ μὲν Σικελικὸς δὶς ἑκάστης ἡμέρας μετέβαλεν, ὁ δὲ Χαλκιδικὸς ἑπτάκις,* κ. τ. λ. Quare coniicias Sallustium quoque discrepantes de ea re sententias in disceptationem vocasse.

Fr. 39. [Cort. p. 1010. Gerl. ed. mai. Inc. 195. ed. min. IV, 23. p. 227, 14. Debr. IV, 67.] Verba leguntur apud Serv. ad Virg. Aen. III, 411. Eadem affert Isid. XIV, 7, 4. interpositis post *Siciliae* duobus vocabulis *respiciens Aquilonem*, quae non esse Sallustii praeter Servii discrepantiam insolenter usurpatum *respicere* verbum arguit. Non magis Sallustiana sunt, quae apud Servium addita leguntur: *qui fuerat occisus per regis ignorantiam, quum se eius dolo propter angustias freti crederet esse deceptum, veniens de Petilia.* Nimirum Servius ipse haec adiecit, ne, quum Sallustius vulgatam famam de Pelori nomine tetigisset tantum, lectores illam rem ignorarent. cf. Mela II, 7, 15. *Causa nominis Pelorus gubernator ab Hannibale ibidem conditus, quem idem vir profugus ex Africa ac per ea loca Syriam petens, quia procul intuenti videbantur continua esse litora et non pervium pelagus, proditum se arbitratus occiderat.* Valer. Max. IX, 8, ext. 1. *Minus minor apud trucem et saevum Annibalis animum defensionis locum innoxio gubernatori non fuisse, quem, a Petilia classe Africam repetens, freto appulsus, dum tam parvo spatio Italiam Siciliamque inter se divisas non credit, velut insidiosum cursus rectorem interemit, posteaque diligentius inspecta veritate tunc absolvit, quum eius innocentiae nihil ultra sepulchri honorem dari potuit. Igitur angusti atque aestuosi maris alto e tumulo speculatrix statua tam memoriae Pelori, quam Punicae temeritatis ultra citraque navigantium oculatum indicium est.* Strab. I. p. 19. C. Almel. *Πέρσαι δὲ καὶ Λίβυες, τοὺς πορθμοὺς ὑπονοήσαντες εἶναι τοῦ πλοῦ*

40. Dissidere inter se coepere, neque in medium consultare.

41. Sapor iuxta fontis dulcissumos.

στενωποὺς, ἐγγὺς μὲν ἦλθον κινδύνων μεγάλων, τρόπαια δὲ τῆς ἀνοίας κατέλιπον, οἱ μὲν τὸν τοῦ Σαλγάνεως τάφον πρὸς τῷ Εὐρίπῳ τῷ Χαλκιδικῷ, τοὺ σφαγέντος ὑπὸ τῶν Περσῶν, ὡς καθοδηγήσαντος φαύλως ἀπὸ Μαλεῶν ἐπὶ τὸν Εὔριπον τοῦ στόλου, οἱ δὲ τὸ τοῦ Πελώρου μνῆμα, καὶ τούτου διαφθαρέντος κατὰ τὴν ὁμοίαν αἰτίαν. Id. III. p. 259. B. Ἔθος παλαιὸν ὑπῆρξε τὸ τίθεσθαι τοιούτους ὅρους, καθάπερ οἱ Ῥηγῖνοι τὴν στηλίδα ἔθεσαν τὴν ἐπὶ τῷ πορθμῷ κειμένην πυργίον τι· καὶ ὁ τοῦ Πελώρου λεγόμενος πύργος ἀντίκειται ταύτῃ τῇ στηλίδι. Quibus locis inter se collatis perspicuum est narrationes de Hannibale, quarum unaquaeque propriis ineptiis laborat, absurdum esse figmentum seriorum temporum, ad explicandam rei satis vetustae originem inventum. Nam promontorium illud haud dubie iam antiquitus *Pelorum* nomen habuit, graeco vocabulo factum. Ibi quum Carthaginienses limitum constituendorum causa columnam vel turrim aliquam erexissent, memoria eius rei, illis e Sicilia eiectis, paullatim obliterata est, sed permansit monumentum et eius nomen *Pelori turris*. Quam quum constans fama ferret Poenorum esse opus, vulgi sollertia effinxit fabulam illam de Peloro ab Hannibale, quippe omnium Poenorum famigeratissimo, in illis freti angustiis occiso, et tum sepultura honorato, unde loco nomen esse factum.

Fr. 40. [Cort. p. 990. Gerl. ed. mai. IV, 16. ed. min. IV, 8. p. 226, 1. Debr. IV, 3.] Arus. v. *in medium*, p. 238. Lind. De dissensionibus fugitivorum hoc Fragm. capiendum esse, Spartaco, postquam ex agro Brutio se recipere coactus erat, non amplius parentium, et separata castra habentium, paene certum fit iis, quae leguntur apud Plutarch. in Crass. c. 11, in. Ἐφοβήθη μὲν οὖν ὁ Κράσσος, μὴ λάβοι τις ὁρμὴ τὸν Σπάρτακον ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐλαύνειν, ἐθάῤῥησε δὲ πολλῶν ἐκ διαφορᾶς ἀποστάντων αὐτοῦ καὶ στρατοπεδευσαμένων καθ' αὑτοὺς ἐπὶ Λευκανίδος λίμνης, ἣν φασι τρέπεσθαι, διὰ χρόνου γινομένην γλυκεῖαν καὶ αὖθις ἁλμυρὰν καὶ ἄποτον. Debrossius verba ad dissensum inter Crixum et Spartacum refert, de quo agitur Fragm. III, 77, 11. Nihil ea sententia perversius, quae maxima et rerum et temporum confusione nititur.

Fr. 41. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 78.] Fragmentum, quod recens accedit ex Arus. v. *sapor*, p. 262. ed. Lind., lucem sufficientem accipit ex Plutarchi loco ad Fr. praecedens ascripto. Agitur enim de illo Lucaniae lacu, cuius

42. Quum interim, lumine etiamtum incerto, duae Galliae mulieres conventum vitantes ad menstrua solvenda montem ascendunt.

aqua modo salsa esset neque bibendo apta, modo dulcissimum haberet saporem, in cuius vicinia fugitivi a Spartaco digressi castra habuere.

Fr. 42. [Cort. p. 990. Gerl. ed. mai. IV, 23. ed. min. IV, 3. p. 225, 3. Debr. IV, 78.] Nonius VIII, 76. p. 492, 30. Mercer. haec laudat ad probandam adiectivi formam *Gallius* pro *Gallicus* a Sallustio usurpatam. De vitio codicum vel librarii lapsu vix cogitari potest, quum Nonii articulus in fronte gerat lemma „*Galliae* pro *Gallicae*." Nihilominus Nipperdeius in Corn. Nep. Spicilegio crit. p. 37. „Sallustium, inquit, *Gallae mulieres* scripsisse etsi nemo intellexit, certissimum est." Nobis res non ita certa videtur; nam cur a *Gallia* minus recte duci possit *Gallius*, quam a Syria *Syrius*, a Mysia *Mysius*, ab Arcadia *Arcadius*, a Macedonia *Macedonius*, idonea caussa non reperitur. Sallustius igitur quemodmodum etiam *Saguntius* dixit pro *Saguntinus* (v. ad Fr. II, 28.), ita *Gallius* non dubitavit ponere pro trito *Gallicus*. De re ipsa cf. Plutarch. in Crass. c. 11, in. *Πρῶτον μὲν οὖν διαγνοὺς* (sc. *ὁ Κράσσος*) *τοῖς ἀφεστῶσι καὶ κατ' ἰδίαν στρατευομένοις, ὧν ἀφηγοῦντο Γάϊος Καννίκιος καὶ Κάστος, ἐπιθέσθαι λόφον τινὰ προκαταληψομένους ἄνδρας ἑξακισχιλίους ἀπέστειλε λανθάνειν πειρᾶσθαι κελεύσας. Οἱ δ' ἐπειρῶντο μὲν τὴν αἴσθησιν ἀποκρύπτειν τὰ κράνη καταμπέχοντες, ὀφθέντες δ' ὑπὸ δυεῖν γυναικῶν προθυομένων τοῖς πολεμίοις ἐκινδύνευσαν, εἰ μὴ Κράσσος ὀξέως ἐπιφανεὶς μάχην ἔθετο πασῶν καρτερωτάτην.* Ex hac narratione luculenter patet verbis *ad menstrua solvenda* nihil aliud significari, quam *ad sacra quovis mense fieri solita obeunda*. Hanc sententiam quum iam Turnebus Advers. XV. c. 1. perspexisset, et Lipsio monente Douza, ac postea Cortius recte amplexi essent, Gerlachius Vol. III. p. 114. rursus obsoletam Ursini et Coleri explicationem protraxit, qui *menstrua* mulierum *καταμήνια* esse volunt. Qua quamquam nihil potest cogitari absurdius, Gerlachius tamen non dubitavit longe absurdissima haec scribere: „Accedit [??!!] Lucretii et Taciti auctoritas, ille Lib. VI, 796: tempore eo si odorata est, quo menstrua solvit, is (sic!) Hist. V. 6. de Asphalto: fugit cruorem vestemque infectam sanguine, quo feminae per menses exsolvuntur."!! Dum igitur insidiae a Crasso missae in monte considunt, duae mulieres Gallicae primo mane, ut maiore cum silentio ac religione rem sacram menstruam perageront, montem illum ascendunt, itaque insidias delegunt. De pugna, statim inde coorta, praeter Plutarchum l. l. cf. Frontin. Strategem

43. Igitur legiones pridie in monte positas lacessivit.

44. Avidior modo properandi factus.

45. Haud impigre neque inultus occiditur.

II, 4, 7. *M. Licin. Crassus fugitivorum bello apud Calamarcum educturus militem adversus Castum et Gannicum duces Gallorum duodecim cohortes cum C. Pomptino et cum Q. Marcio Rufo legatis post montem circummisit. Quae quum commisso iam proelio, a tergo clamore iam sublato, decurrissent, ita fuderunt hostes, ut ubique fugam pro pugna capesserent.*

Fr. 43. [Cort. p. 980. Gerl. ed. mai. IV, 4. ed. min. IV, 43. p. 228, 17. Debr. I, 85. IV, 9.] Prisciano auctore, qui X, 8, 45. p. 504. Kr. haec laudat, edidimus *lacessivit* pro vulgato *arcessivit*, quod errore in Sall. edd. illatum videtur. Verba quamquam certam explicationem non habent, tamen haud incommode ad eandem pugnam Crassi cum fugitivis, de qua Fr. antecedente dictum est, referri posse videntur. *Legiones* enim *pridie in monte positae* intelligendae sunt, quas Crassus in insidiis collocaverat, *lacessivit* autem referendum ad fugitivorum ducem, sive Castum sive Gannicum. Gerlachius Vol. III. p. 104. „Pugnam, inquit, ad Tigranocerta commissam his illustrari putaverim; cf. Plut. Lucull. c. 27. Appian. B. Mithr. c. 85;“ sed his locis ne verbum quidem inest, quod cum Sallustii Fragmento conspiret.

Fr. 44. [Cort. p. 991. Gerl. ed. mai. IV, 30. ed. min. IV, 63. p. 229, 22. Debr. I, 83.] Arus. v. *avidus*, p. 210. Lindem. De multis sane haec intelligi posse concedo; in nullum tamen melius quadrant, quam in Crassum, qui, audito Pompeium adventare ad Spartacum opprimendum, summa ope bellum conficere properavit; cf. Plutarch. Compar. Nic. et Crassi c. 3, in. *Οὐκ ἐπαινῶ μὲν ἐγὼ τὸν Κράσσον ἐν τοῖς Σπαρτακείοις ἐπειχθέντα θᾶσσον ἢ ἀσφαλέστερον διαγωνίσασθαι, καίτοι φιλοτιμίας ἦν τὸ δεῖσαι, μὴ Πομπήϊος ἐλθων ἀφέληται τὴν δόξαν αὐτοῦ.* Id. in Crass. c. 11, in. *Γεγραφὼς δὲ τῇ βουλῇ πρότερον, ὡς χρὴ καὶ Λούκουλλον ἐκ Θράκης καλεῖν καὶ Πομπήϊον ἐξ Ἰβηρίας, μετενόει, καὶ πρὶν ἥκειν ἐκείνους ἔσπευδε διαπράξασθαι τὸν πόλεμον, εἰδὼς ὅτι τοῦ προσγενομένου καὶ βοηθήσαντος, οὐκ αὐτοῦ, τὸ κατόρθωμα δόξει.* Id. in Pomp. c. 21, in. Appian. B. C. I, 120, in. *Κράσσος, ἵνα μὴ τὸ κλέος τοῦ πολέμου γένοιτο Πομπηΐου, πάντα τρόπον ἐπειγόμενος ἐπεχείρει τῷ Σπαρτάκῳ.* Quod quum sub ipsum belli exitum factum sit, locus Fragmenti satis certus videtur.

Fr. 45. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 11. ed. min. Inc. 10. p. 237, 7. Debr. IV, 84.] Donat. ad Terent. Andr. I, 2, 34. Quo-

CAP. III.

Bellum Macedonicum ac Thracium. M. Luculli expeditio in Thraciam.

---

46. Mysii, quos *[Sallustius]* a Lucullo *[dicit]* esse superatos.

niam quae *impigre* fiunt, celeriter et sine impedimento peraguntur, *haud impigre occiditur* significat *haud facili negotio* sive, ut Tacitus Ann. I, 6, 1. de Postumo Agrippa dixit, *aegre conficitur*. Quo ut indicatur, eum, qui occisus dicitur, vehementer diuque restitisse aggredientibus, ita verbis *neque inultus* hoc significatur, priusquam ipse occumberet, complures ab eo caesos fuisse. Talia quum consentaneum sit Sallustium non nisi de conspicuo aliquo viro vel ipso duce narrasse, optime verba conveniunt in Spartacum, extrema pugna, quum summa fortitudine se defendisset, occisum. cf. Flor. III, 20, 14. *Spartacus ipse in primo agmine fortissime dimicans quasi imperator occisus est.* Plutarch. in Crass. c. 11, extr. *Ἔπειτα πρὸς Κράσσον αὐτὸν ὠθούμενος* (sc. *ὁ Σπάρτακος*) *διὰ πολλῶν ὅπλων καὶ τραυμάτων ἐκείνου μὲν οὐκ ἔτυχεν, ἑκατοντάρχας δὲ δύο συμπεσόντας ἀνεῖλε. Τέλος δὲ, φυγόντων τῶν περὶ αὐτὸν, αὐτὸς ἑστὼς καὶ κυκλωθεὶς ὑπὸ πολλῶν ἀμυνόμενος κατεκόπη.* Appian. B. C. I, 120, med. *Τιτρώσκεται τὸν μηρὸν ὁ Σπάρτακος δορατίῳ, καὶ συγκάμψας ἐς τὸ γόνυ καὶ προβαλὼν τὴν ἀσπίδα πρὸς τοὺς ἐπιόντας ἀπεμάχετο· μέχρι καὶ αὐτὸς καὶ πολὺ πλῆθος ἀμφ' αὐτὸν κυκλωθέντες ἔπεσον.*

Fr. 46. [Cort. p. 1011. Gerl. ed. mai. Inc. 207. ed. min. IV, 53. p. 229, 3. Debr. V, 21.] Locus, a Servio ad Virg. Aen. VII, 604. allatus, magis rem, a Sall. narratam, quam eius verba continet. Pertinet autem Fragm. ad M. Luculli, Macedoniae proconsulis, res in Thracia gestas; cf. Oros. VI, 3. *M. Lucullus, qui Curioni in Macedonia successerat* (v. Fr. II, 41.), *totam Bessorum gentem bello appetitam in deditionem recepit.* Eutrop. VI, 10. *Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti proelio in Haemo monte superavit, oppidum Uscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die, quo aggressus est, vicit, Cabylen cepit, usque Danubium penetravit. Inde multas supra Pontum positas civitates aggressus est. Illic Apolloniam evertit, Calatin, Parthenopolin, Tomos, Histrum, Burziaonem* (scr. Bizonem) *cepit.* Liv. Epit. XCVII. *M. Lucullus proconsul Thracas subegit.* Appian. Illyric. c. 30. *Μυσοὺς Μάρκος Λεύκολλος — κατέδραμε, καὶ ἐς τὸν ποταμὸν ἐμβαλὼν, ἔνθα εἰσὶν Ἑλληνίδες ἓξ πόλεις, Μυσοῖς πάροικοι,*

47. Vizo.

Ἴστρος τε καὶ Διονυσόπολις, κ. τ. λ. *Mysos* Thraciae eam partem obtinuisse, quae est in utraque Istri ripa versus Ponti oram, compluribus locis testatur Strabo, velut VI. p. 453. A. Almel. *Ὤικουν δ' ἐφ' ἑκάτερα τοῦ Ἴστρου καὶ οὗτοι* (sc. *οἱ Γέται*), *καὶ οἱ Μυσοὶ, Θράκες ὄντες καὶ αὐτοὶ, καὶ οὓς νῦν Μυσοὺς καλοῦσιν.* Id. XII. p. 816. C. *Εἴρηται δ' ὅτι καὶ αὐτοὶ οἱ Μυσοὶ* (sc. in Asia) *Θρακῶν ἄποικοι εἰσὶ τῶν νῦν λεγομένων Μυσῶν.* Id. ibid. p. 849. B. *Διονύσιος ὁ τὰς κτίσεις συγγράψας ὅτι κατὰ Χαλκηδόνα καὶ Βυζάντιον τὰ στενὰ, ἃ νῦν Θράκιος Βόσπορος καλεῖται, πρότερόν φησι Μύσιον Βόσπορον προσαγορεύεσθαι. Τοῦτο δ' ἄν τις καὶ τοῦ Θράκας εἶναι τοὺς Μυσοὺς μαρτύριον θείη.* Mysos eosdem esse, qui a Romanis *Moesi* dicuntur, ipsum nomen indicio est; cf. Forbiger. Geogr. antiq. Vol. II. p. 123. not. 89. Vol. III. p. 1090. — Vulgo Fragmentum ita editur: *Getae sunt Mysii, quos* etc., Servii verbis falso Sallustio ascriptis, quem errorem solus Debrossius vitavit. Num locus de Mysis in *quarto* libro lectus fuerit, fortasse dubitari potest, quum Lucullus iam anno 73. a. Chr. n. in provinciam abierit. Sed quoniam consentaneum est illam contra Mysos expeditionem non primo proconsulatus anno, sed vel secundo vel adeo tertio esse susceptam, quo anno bellum servile finitum est, probabile videtur Sallustium de illa re non prius quam de hoc exposuisse, quae coniectura haud parum eo confirmatur, quod Livius quoque easdem res libro XCVII. complexus est.

Fr. 47. [Deest apud Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 186. ed. min. Inc. 58. p. 239, 1. Debr. III, 160. V, 21.] Probus Instit. Gramm. II, 1, 23. p. 110. Lindem. (p. 1450. Putsch.) *Vizo* tradit barbarae civitatis nomen esse apud Sallustium. Non potest autem dubitari, quin intelligendum sit Thraciae oppidum, quod ab aliis *Bizone* vocatur; *Vizo* enim alias non exstat; neque offendere debet V littera pro B posita, quae haud raro permutantur (v. ad Fr. III, 77, 2. coll. C. L. Schneideri Gramm. lat. Vol. I, 1. p. 226 sqq.), ipsaque nominis forma mutata nihil habet, quod sententiae nostrae obstet, quum varie terminata urbium ac locorum nomina frequentissima sint, ac huius ipsius urbis tertium nomen *Βίζος* occurrat apud Arrian. Perip. p. 13. De Bizone sive Vizone cf. Mela II, 2, 5. *In litoribus Istro proxima est Istropolis: deinde a Milesiis deducta Calatis: tum Tomoe, et portus Caria, et Tiristis promontorium, quod praetervectos alter Ponti angulus accipit. — Fuit hic Bizone: motu terrae intercidit.* Plin. N. H. IV, 18. *Thracia pulcherrimas in ea parte urbes habet Istropolin Milesiorum, Tomos, Calatinque. Heracleam habuit et Bizonen, terrae hiatu raptam.* Strab. VII. p. 491. B. Almel. *Ἐν τῷ μεταξὺ διαστήματι τῷ ἀπὸ Καλάτιδος εἰς Ἀπολλωνίαν Βιζώνη ἐστὶν, ἧς*

Cap. IV.

Piratarum latrocinia.

48. In quis notissimus quisque aut malo dependens

κατεπόθη πολὺ μέρος ὑπὸ σεισμῶν. Id. I. p. 94. A. Loci igitur situs clare ostendit in Luculli expeditione Thracica Vizonem fuisse commemoratam.

Fr. 48. [Cort. p. 992. Gerl. ed. mai. IV, 37. ed. min. IV, 26. p. 227, 22. Debr. IV, 41.] Verba, quae leguntur apud Non. IV, 355. p. 366, 12. Mercer., Debrossius et Gerlachius intelligunt de Cretensibus, Romanos navali poelio sub Antonio victos crudeli supplicio afficientibus. Sed huic interpretationi repugnat temporum ratio, quum de Antonii cum Cretensibus bello *tertio* libro dictum sit (v. III, 59 — 66.), ipsaque Antonii mors iam praecedente libro contineatur. Nobis probabilius videtur piratarum describi crudelem insolentiam, qua captis civibus Romanis illudere solebant, ut testatur Plutarch. in Pomp. c. 24, extr. *Ἐκεῖνο δὲ ἦν ὑβριστικώτατον. Ὁπότε γάρ τις ἑαλωκὼς ἀναβοήσειε Ῥωμαῖος εἶναι καὶ τοὔνομα φράσειεν, ἐκπεπλῆχθαι προσποιούμενοι καὶ δεδιέναι τούς τε μηροὺς ἐπαίοντο, καὶ προσέπιπτον αὐτῷ, συγγνώμην ἔχειν ἀντιβολοῦντες· ὁ δὲ ἐπείθετο ταπεινοὺς ὁρῶν καὶ δεομένους. Ἐκ τούτου δὲ οἱ μὲν ὑπέδουν τοῖς καλκίοις αὐτὸν, οἱ δὲ τήβεννον περιέβαλλον, ὡς δὴ μὴ πάλιν ἀγνοηθείη. Πολὺν δὲ χρόνον οὕτω κατειρωνευσάμενοι καὶ ἀπολαύσαντες τοῦ ἀνθρώπου τέλος ἐν μέσῳ πελάγει κλίμακα προσβαλόντες ἐκέλευον ἐκβαίνειν καὶ ἀπεῖναι χαίροντα, τὸν δὲ μὴ βουλόμενον ὠθοῦντες αὐτοὶ κατέδυον.* Simili modo Sallustius narrat captos notiores aut verberibus laceratos esse, aut patibulo suspensos. Neque dubitari potest, quin id haud multo ante illud tempus acciderit, quo malum hoc adeo auctum est, ut Pompeio summum imperium committendum esset ad piratarum vim plane frangendam. — *Immutilato* Freundius in Lex. h. v. idem esse dicit atque *mutilato*, quasi descendat a verbo aliquo *immutilo*, quod nunquam exstitit. Oppositionis ratio vero ostendit *immutilatum* esse adiectivum cum negativa *in* syllaba compositum; alii enim captivorum verberibus lacerati *mutilabantur*, alii *nullam corporis mutilationem perpessi* patibulo affigebantur. Ursinus coniecit *mulcato corpore*. — *Improbum patibulum* idem Freundius in Lex. h. v. interpretatur *immensum*, *immane*, quocum fere congruit Wassii opinio, *excelsum* explicantis. Alii vocabulum corruptum rati varia tentarunt, ut Carrio *in prora*, Lipsius Antiqq. Lectt. II. c. 4. *in proris*, Putschius *in puppi*, Colerus *immutilato corpore improbe*. Sed nihil horum opus.

verberabatur, aut immutilato corpore improbo patibulo eminens affigebatur.

49. Demissis partem quasi tertiam antennis.

Recte enim Cortius vidit *improbum* dici *patibulum*, quod adhiberetur ad supplicium *improborum*, i. e. servorum atque abiectorum hominum. De hoc dicendi usu, qui in eo cernitur, ut adiectivum locum sustineat substantivi, illud declarantis, in quo notio alterius substantivi versatur, luculenter egit Naegelsbachius de Arte latine scribendi §. 18, 3. p. 52. cf. Cic. Epp. ad Famm. V, 19, 1. *Meo iudicio nihil ad tuum provinciale officium addi potest*, i. e. ad officium *in provincia a te mihi praestitum*. Id. ib. III, 8. 29. *Hortensium roges, ut de hac sententia bima decedat*, i. e. de sententia *provinciae in secundum annum mihi prorogandae*. Liv. VI, 4, 10. *Quum oppidanos eosdem integro semper certamini paucitas fessos obiiceret*, i. e. certamini *cum integris*. — *Patibulum* hic significare *crucem* et notavit Nonius, et patet ex *affigebatur* verbo. — *Eminens* i. q. sublimis, ex alto conspicuus.

Fr. 49. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 2.] Fragmentum recens accedit ex Arus. cod. Gud. v. *parte*, p. 253. Lindem. De fugitivis intelligit Gerlachius, traiectum in Siciliam tentantibus (cf. supra Fr. 29. 30.); sed quum illi, qui ne iustas quidem haberent rates, navibus prorsus carerent, profecto antennas demittere non potuerunt. Mihi haec quoque verba de piratis dicta videntur, quorum aliquam pugnam vel excensionem a Sallustio narratam esse coniicio. Nam illis ipsis annis, qui hoc libro continentur, i. e. 70. et 69. a. Chr. n., vehementer recruduisse malum latrociniorum, aegre paullo ante compressum, intelligitur ex Livii Epit. XCVIII. *L. Metellus praetor, in Sicilia adversus piratas prospere rem gessit.* Successerat autem Metellus Verri, qui annis 73. 72. 71. a. Chr. n. Siciliam obtinuit, anno 70.; cf. Pseudo-Ascon. in Divin. in Q. Caecil. p. 97. Orell. Cic. in Verr. Act. I. c. 9, 27. II, 4, 10. III, 53, 123. Accuratius de praedonum illo tempore insolentia egit Oros. VI, 3. *Metellus, Siciliae praetor, quum foedissima illa C. Verris praetura Siciliam afflictam invenisset, maxime Pyrganione archipirata nefariis praedis et caedibus dilacerante, qui, pulsa classe romana, Syracusanum portum obtinuerat, quem mox navali terrestrique proelio comminutum Sicilia decedere compulit.* — *Quasi* i. q. *fere*: v. ad I, 73.

Fr. 50. [Cort. p. 980. Gerl. ed. mai. IV, 1. ed. min. IV, 30. p. 227, 28. Debr. IV, 4.] Gellius NN. AA. XVIII, 4. Verba ipsa quamquam satis plana sunt, tamen quomodo cum ceteris cohaeserint, aut quo consilio res a Sallustio narrata fuerit, nullo pacto constitui po-

CAP. V.

Res urbanae. Cn. Lentuli censoris lex. — Urbs terrae motu concussa. — Metellus ex Hispania reversus. — Crassi et Pompeii consulatus. — Pompeius plebis favorem quaerit. — Idem potestatem tribuniciam restituit. — Palicanus aliique tribuni turbulenti. — Crassi et Pompeii simultas. — Verres a Cicerone accusatus.

---

50. At Cn. Lentulus patriciae gentis, collega eius,

(test. Hoc unum non videtur dubium, quin ad rerum urbanarum expositionem pertinuerint. Ex *at* particula coniicias in antecedentibus rem dissimilem vel plane contrariam narratam fuisse de L. Gellio; hunc enim intelligendum esse clare ostendunt verba *collega eius*. Neque tamen hoc de consulatu capiendum puto; quem quia simul gesserunt anno 72. a. Chr. n., non probabile est rem eo anno actam *quarto* libro relatam esse. Sed quum praeter consulatum collegae essent etiam in censura, de huius muneris consortione, quae ad annum 70. a. Chr. n. pertinet (v. Plutarch. in Pomp. c. 22. Cic. in Verr. V, 7, 15.), valet, quod Lentulus collega Gellii dicitur. — *Patriciae gentis* commemoratio haud dubie propterea facta, quod Gellius, cui opponitur Lentulus, *loco equestri* natus fuit; cf. Cic. pro Sext. c. 51, 110. — *Cui* non refertur ad proximum nomen, sed ad id, quod in sententia primarium est, h. e. ad *Lentulum*; is enim Clodianus cognominabatur, cf. Cic. Epp. ad Attic. I, 19, in. Ipsa autem vocabuli forma testatur adoptione eum ex Claudia gente in Lentulorum familiam transiisse; v. nostram annot. ad Vell. II, 115, 1. p. 485. et Heineccii Antiq. rom. Synt. I, 11, 19. p. 154. ed. Haub. cf. supra Fr. II, 47. — *Stolidissimum ac vanissimum* cur auctor vocet Lentulum, non plane liquet. Possit sane ita dictus videri propter legem illam ab eo promulgatam; sed in universum potius ita eum notatum puto, quod Sallustius odio in eum ferretur, quippe qui et inter paucos potentes esset (v. Cic. p. l. Man. 23, 68. p. Cluent. 42, 118.), quos ille nunquam non exagitat (v. ad Catil. c. XX, 7.), et censor asperam censuram egisset, quatuor et sexaginta senatu motis, cf. Liv. Epit. XCVIII. Cic. p. Cluent. 42, 119. 120. — *Stolidum* Gellius l. l. secutus auctoritatem Sulpicii Apollinaris non tam *stultum* dicit significare, quam *tetrum et molestum*, i. e. ab omni humanitate alienum (cf. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. IV. p. 229.) *vanum* autem esse *mendacem, infidum et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentem*. — *Emptores bonorum* sunt, qui *proscriptorum* bona emerant. Quae pecunia quum in aerarium redigeretur, a Sulla autem,)

cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emptoribus bonorum remiserat, exigenda promulgavit.

51. Atque hiavit humus multa, vasta et profunda.

52. Exercitum dimisit, ut primum Alpis digressus est.

reipublicae atque aerarii domino, compluribus remissa esset, Lentulus, quo succurreret aerario tunc exhausto, legem illam promulgavit, quam quum necesse esset magnam invidiam habere, perlata non est.

Fr. 51. [Cort. p. 991. Gerl. ed. mai. IV, 33. ed. min. IV, 85. p. 230, 20. Debr. II, 68. III, 161.] Verbis, quae leguntur apud Non. IV, 228. p. 318, 27. Mercer., terrae motum significari quum apertum sit, eum intelligendum coniicio, quo Roma a. 71. vel 70. a. Chr. n. concussa est, teste Phlegonte apud Phot. cod. 97. p. 84, a. *Λεύκολλος δὲ Ἀμισὸν ἐπολιόρκει, καὶ Μουρήναν ἐπὶ τῆς πολιορκίας καταλιπὼν μετὰ δυοῖν ταγμάτοιν αὐτὸς μετὰ τριῶν ἄλλων προῆγεν ἐπὶ Καβείρων, ὅπου διεχείμαξε. Καὶ Ἀδριανὸν ἐπέταξε πολεμῆσαι Μιθριδάτῃ, καὶ πολεμήσας ἐνίκησε. Καὶ σεισμοῦ ἐν Ῥώμῃ γενομένου πολλὰ ταύτης συνέπεσε· καὶ ἄλλα δὲ πλεῖστα ἐν ταύτῃ ξυνηνέχθη τῇ Ὀλυμπιάδι, καὶ Ῥωμαίων τῷ τρίτῳ αὐτῆς ἔτει ἀπετιμήθησαν μυριάδες ἐνενήκοντα καὶ μία.* Aliunde quidem de hoc terrae motu non constat; sed quoniam tempus eius facti a Phlegonte notatum cum iis annis congruit, quos auctor libro *quarto* complexus est, interpretatio nostra probabilitate non carere videtur. Grammatica verborum ratio haec est, ut accusativi, quibus *hiavit* intransitivum definitur, plane adverbii modo positi sint, de quo cf. annotata ad Iug. c. V, 4. p. 34.; *multa* autem pertinet ad hiatus compluribus locis factos, *vasta* ad eorum latitudinem vel ambitum, *profunda* ad altitudinem.

Fr. 52. [Cort. p. 991. Gerl. ed. mai. IV, 25. ed. min. IV, 28. p. 227, 25. Debr. IV, 80.] Fragmentum, quod est apud Arus. v. *digredior*, p. 223. Lindem., Debrossius perperam ad Pompeium retulit ex Hispania redeuntem. Is enim exercitum non dimisit, ut cognoscitur ex Plutarcho in Pomp. c. 21. in. *Ἀπῆγεν* (sc. ὁ *Πομπήϊος*) *εἰς Ἰταλίαν τὸν στρατὸν ἀκμάζοντι τῷ δουλικῷ πολέμῳ κατὰ τύχην φερόμενος.* Ibid. med. *Ἐν τοσαύτῃ δὲ τιμῇ καὶ προσδοκίᾳ τοῦ ἀνδρὸς ὅμως ἐνῆν τις ὑποψία καὶ δέος ὡς οὐ προησομένου τὸ στράτευμα, βαδιουμένου δὲ δι' ὅπλων καὶ μοναρχίας ἐπὶ τὴν Σύλλα πολιτείαν. — Ἐπεὶ δὲ καὶ ταύτην ἀνεῖλε τὴν ὑπόνοιαν ὁ Πομπήϊος προειπὼν ἀφήσειν τὸ στράτευμα*

53. Pompeius devictis Hispanis tropaea in Pyrenaeis iugis constituit.

54. Collegam minorem et sui cultorem exspectans.

μετὰ τὸν θρίαμβον, ἓν αἰτιᾶσθαι τοῖς βασκαίνουσι περιῆν ὑπόλοιπον, κ. τ. λ. Appian. B. C. I, 121. in. *Αἱρεθέντες δὲ ὕπατοι* (sc. Pompeius et Crassus) *οὐδ' ὡς μεθίεσαν τὸν στρατὸν, ἔχοντες ἀγχοῦ τῆς πόλεως, ἑκάτερος πρόφασιν τήνδε ποιούμενος, Πομπήϊος μὲν, ἐς τὸν Ἰβηρικὸν θρίαμβον περιμένειν ἐπανιόντα Μέτελλον, ὁ δὲ Κράσσος, ὡς Πομπήϊον δέον προδιαλῦσαι.* De Pompeio igitur quum haec dicta esse nequeant, necessario ad Metellum referenda sunt; praeter hunc enim nemo illo tempore cum exercitu per Alpes venit. Dimittebantur autem milites ita, ut, quum imperator triumphum ageret, rursus ad urbem convenirent; cf. Plutarch. in Pomp. c. 43, med. Metelli ex Hispania triumphum testatur Vellei. II, 30, 2. Eutrop. VI, 5.; actus est extremo anno 71. III. Kal. Ian. v. Fastt. triumph. p. CLX. Orell.

Fr. 53. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 68. ed. min. IV, 29. p. 227, 27. Debr. IV, 87.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 6. Res satis nota est ex Plin. N. H. VII, 27. *Pompeius excitatis in Pyrenaeo tropaeis oppida DCCCLXXVII ab Alpibus ad fines Hispaniae ulterioris in ditionem reducta victoriae suae ascripsit, et maiore animo Sertorium tacuit.* cf. Id. ib. III, 4, in. et Iul. Exsuper. c. 8, extr. Locus, ubi tropaea fuere, cognoscitur ex Strabone III. p. 242, A. Almel. *Τινὲς δὲ καὶ τῶν τῆς Πυρήνης ἄκρων νέμονται, μέχρι τῶν ἀναθημάτων τοῦ Πομπηΐου, δι' ὧν βαδίζουσιν εἰς τὴν ἔξω καλουμένην Ἰβηρίαν ἐκ τῆς Ἰταλίας, καὶ μάλιστα τὴν Βαιτικήν.* Id. IV. p. 269, C. *Ἐντεῦθεν μὲν οὖν ἡ παραλία παρατείνει μέχρι τοῦ ἱεροῦ τῆς Πυρηναίας Ἀφροδίτης· καὶ τοῦτο δ' ἐστὶν ὅριον ταύτης τε τῆς ὑπαρχίας καὶ τῆς Ἰβηρικῆς· ἔνιοι δὲ τὸν τόπον, ἐν ᾧ ἐστὶ τὰ Πομπηΐου τρόπαια, ὅριον Ἰβηρίας ἀποφαίνουσι καὶ τῆς Κελτικῆς.* Invidiam Pompeio illa tropaea concitasse tradit Dio Cass. XLI, 24. p. 279. E. Reim. *Ἐντεῦθεν δὲ διὰ τοῦ Πυρηναίου προχωρῶν* (sc. Iul. Caesar) *τρόπαιον μὲν οὐδὲν ἐπ' αὐτοῦ ἔστησεν, ὅτι μήτε τὸν Πομπήϊον καλῶς ἀκούσαντα ἐπὶ τούτῳ ἤσθετο.*

Fr. 54. [Cort. p. 990. Gerl. ed. mai. IV, 19. ed. min. IV, 9. p. 226, 3. Debr. IV, 10.] Verba, quae leguntur apud Arus. v. *cultor*, p. 220. Lind., Debrossius et Gerl. in ed. min. explicant de Lentulo consule Gellium collegam expectante, ut cum eo coniunctus pugnam contra Spartacum iniret; sed huic sententiae neque verba favent, et aperte temporum ratio obstat, siquidem illi consules fuere anno 72. a. Chr. n., cuius res *tertio* libro continentur. Nobis probabilius videtur de Crasso haec dicta esse, qui, quum bello servili feliciter

55. Si nihil ante adventum suum inter plebem et patres convenisset, coram se daturum operam.

56. Multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.

finito ad consulatum aspiraret, non putaverat fore, ut Pompeius minoribus magistratibus nondum functus cum ipso summum honorem obtineret, sed *minorem*, i. e. minus in civitate valentem, et *sui cultorem*, i. e. primas ipsi concedentem sibique obnoxium ac suam gratiam quaerentem, *collegam* exspectaverat. Quod attinet ad universam sententiam, cuius hoc Fragmentum pars fuit, haud absone coniicias Sallustium fere hoc dixisse, Crassum, qui primo minorem et sui cultorem collegam exspectaret, postquam Pompeium competitorem viderit, ita de fastu remisisse, ut adeo Pompeii favorem atque gratiam expeteret; cf. Plutarch. in Pomp. c. 22. *Κράσσος ἀνὴρ τῶν τότε πολιτευομένων πλουσιώτατος καὶ δεινότατος εἰπεῖν καὶ μέγιστος αὐτόν τε Πομπήϊον ὑπερφρονῶν καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας, οὐκ ἐθάῤῥησεν ὑπατείαν μετιέναι πρότερον ἢ Πομπηΐου δεηθῆναι.* Id. in Crass. c. 12, in. *Μετὰ δὲ ταῦτα τοῦ Πομπηΐου αὐτόθεν ἐπὶ τὴν ὑπατείαν καλουμένου ἐλπίδας ἔχων ὁ Κράσσος συνάρξειν ὅμως οὐκ ὤκνησε τοῦ Πομπηΐου δεηθῆναι.*

Fr. 55. [Cort. p. 979. Gerl. ed. mai. IV, 42. ed. min. IV, 36. p. 228, 9. Debr. III, 99.] Verba, quae leguntur apud Priscian. XIV, 6, 48. p. 608. Kr., aperte sunt Pompeii, operam suam in restituenda potestate tribunitia pollicentis. Qui quum iam aliquot annis ante consulatum suum ex optimatium castris paullatim se recipere incepisset (cf. Fr. III, 82, 21—23.), anno 71. a. Chr. non amplius dissimulavit plebis partes se sequi constituisse, tribunitiaque potestate restituenda popularem fieri; cf. Plutarch in Pomp. c. 21. *Οὐκ ἐλάττονες ἦσαν τῶν δι' εὔνοιαν τρεχόντων καὶ φιλοφρονουμένων καθ' ὁδὸν οἱ φόβῳ ταῦτα ποιοῦντες. Ἐπεὶ δὲ καὶ ταύτην ἀνεῖλε τὴν ὑπόνοιαν ὁ Πομπήϊος προειπὼν ἀφήσειν τὸ στράτευμα μετὰ τὸν θρίαμβον, ἓν αἰτιᾶσθαι τοῖς βασκαίνουσι περιῆν ὑπόλοιπον, ὅτι τῷ δήμῳ προσνέμει μᾶλλον ἑαυτὸν ἢ τῇ βουλῇ, καὶ τὸ τῆς δημαρχίας ἀξίωμα, Σύλλα καταβαλόντος, ἔγνωκεν ἀνιστάναι παὶ χαρίζεθαι τοῖς πολλοῖς, ὅπερ ἦν ἀληθές.* Ex Sallustianis verbis autem patet partium popularium propugnatores cum Pompeio in ipso eius itinere ad urbem, legatis missis, consilia agitavisse.

Fr. 56. [Cort. p. 990. Gerl. ed. mai. IV, 17. ed. min. IV, 35. p. 228, 8. Debr. III, 100.] Fragmentum hoc, quod exstat apud Non. II, 900. p. 186, 19. Mercer., eiusdem est argumenti atque praecedens, neque dubitari potest, quin utrumque in confinio posi-

57. M. Lollius Palicanus, humili loco Picens, loquax magis quam facundus.

tum fuerit. Quae illae suspiciones fuerint, non constat quidem; sed tamen non alienum erit de Pompeji promissis cogitare, quibus tribunos sibi conciliare studuit, teste Appiano de B. C. I, 121. *Καὶ τὸν στρατὸν οὐ μεθίει* (sc. *Κράσσος*), *διότι μηδὲ Πομπήϊος. ἐς δὲ ὑπατείαν ἄμφω παρήγγελον. ὁ μὲν ἐστρατηγηκὼς κατὰ τὸν νόμον Σύλλα, ὁ δὲ Πομπήϊος οὔτε στρατηγήσας οὔτε ταμιεύσας, ἔτος τε ἔχων τέταρτον ἐπὶ τοῖς τριάκοντα. τοῖς δὲ δημάρχοις ὑπέσχετο πολλὰ τῆς ἀρχῆς ἐς τὸ ἀρχαῖον ἐπανάξειν.* Ablativos *multis suspicionibus* caussae potestatem habere vix est quod moneatur. — *Volentia plebi* Gerlachius Vol. III. p. 113. miserabiliter explicat „*βουλομένῳ ἦν τῷ δήμῳ*“, non assecutus id esse *volenti erat plebi*, de qua structura v. ad Iug. c. LXXXIV, 3. p. 440.; multo miserabilius vero ad rationem participii illustrandam confert Iug. c. XCIII, 4. ubi *gignentia* positum vult pro *genita*, quod per se absurdissimum, ut ostendimus ad Iug. LXXIX, 6. p. 417., ita dissimile est huius loci, nihil ut possit esse dissimilius. *Velle alicui* quum praegnanti sensu haud raro valeat *alicui favere*, unde *voluntas* dicta pro *benevolentia* (v. Beier. ad Cic. Off. I. 14, 44. p. 110.), *volentia plebi* sunt, quae *plebi faventia*, i. e. *grata essent et accepta*, in qua dictione nihil plane est insolens, nisi quod benevolentiae notio, quae proprie personarum est, ad res est translata. Sallustium imitatus est Tacitus Ann. XV, 36, 4. *Haec atque talia plebi volentia fuere.* Histor. III, 52, 3. *Muciano volentia rescripsere.* — Pro *habebatur*, quod Nonii codd. constanter tenent, in Sall. edd. omnibus est *videbatur*, qua interpolatione libenter caremus; cf. Catil. c. LIII, 1. *Cato magnus atque clarus habetur.* Liv. V, 17, 3. *Ingens inde haberi captivus vates coeptus.*

Fr. 57. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 44. ed. min. IV, 37. p. 228, 11. Debr. IV, 87.] Quintil. II, 2, 2., qui tamen neque Sallustium auctorem, neque Historias nominavit; sed Sallustii esse verba cognoscitur ex Gell. NN. AA. I, 15. *Eupolidis quoque versus de id genus hominibus consignatissime factus est λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν, quod Sallustius noster imitari volens loquax*, inquit, *magis quam facundus.* Pro *Lollius* apud Quintil. et in Sall. edd. vitiose legitur *Atilius* vel *Acilius*, quod nomen ex melioribus libris corrigendum esse iam Debrossius viderat, et comprobarunt Zumptius ad Cic. in Verr. I, 47, 122. p. 204., Ellendtius ad Brut. 62, 223. p. 402. atque Drumannus Hist. Rom. Vol. IV. p. 386. not. 78. De Lollio Palicano plumbea est disputatio Gerlachii, historici acutissimi, Vol. III. p. 27 sq. demonstrare conantis anno 75. a. Chr. n. eum tribunum pl. fuisse, diversum ab eo, qui a Sallustio

58. Multitudini ostendens, quam colere plurumum, ut mox cupitis ministram haberet, decreverat.

commemoratur, et Asconii errore cum hoc confusum, quas nugas satis redarguerunt Zumptius et Drumannus ll. ll., quorum ille p. 204. haec scripsit: „M. Lollius Palicanus imprimis operam dedit, ut tribunicia potestas, qualis ante legem Corneliam fuisset, restitueretur. Inisse autem hunc tribunatum plebis a. 72. extremo [sc. IV. Id. Decembr., qui dies legitimus erat ineundi huius magistratus], L. Gellio Cn. Lentulo coss., et gessisse a. 71., Cn. Oreste et P. Lentulo coss., triennio post Verrem praet. urb., intelligitur ex eo, quod Cn. Pompeio ex Hispania reverso a. 71. contionem populi dedisse traditur ab Asconio ad Act. I. in Verr. c. 15, 45. [v. ad Fr. sequens], et verisimile fit ex ordine rerum narratarum lib. II, 41." cf. Pseudo-Ascon. ad Cic. Divinat. in Caecil 3, 8. p. 103. *Primus Sicinius tribunus plebis, nec multo post Quintius, et postremo Palicanus perfecerant, ut tribuniciam potestatem populo darent consules Cn. Pompeius Magnus et M. Licin. Crassus.* De oratoria Palicani facultate cum Sallustii iudicio fere congruit Cicero Brut. c. 62, 223. *Cn. Carbonem, M. Marium, et ex eodem genere complures minime dignos elegantis conventus auribus, aptissimos cognovi turbulentis concionibus. Quo in genere nuper L. Quintius fuit; aptior autem etiam Palicanus auribus imperitorum.*

Fr. 58. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 31. p. 228, 3.] Fragmentum recens accessit ex Arusiani cod. Gud. p. 248. Lindem. Vitiosam codicis scripturam, *ut mox cupit is ministrum habere decreverat*, felicissime emendavit Van der Hoeven in Specim. liter. de nonnullis locis vett. scriptt. c. appendice de Arus. Messii exemplis elocutt. (Amstel. 1845.) p. 48., quam coniecturam palmarem non magis verae lectionis vestigia, quam sententia ipsa comprobant. Dativum enim in Sallustii verbis fuisse quum aperte ostendat articuli lemma „minister his", nihil certius est restituto *cupitis* vocabulo, avulsa syllaba obscurato, de quo corruptelae genere v. supra ad Fr. I, 33. et quae diximus ad Vell. Prolegom. p. 6, sq.; primum autem vitium traxit alterum, ut *haberet* in *habere* abiret; denique *ministram* a librario mutatum est in *ministrum*, ut genus vocabuli cum lemmate congrueret. Quibus depravationibus remotis sententia prodit prorsus Sallustiana; nam quin de Pompeio haec dicta sint, dubitare non sinit testimonium Pseudo-Asconii ad Cic. Act. I. in Verr. c. 15, 45. p. 148. Orell. *Pompeius pro consule de Hispania Sertorio victo nuper venerat, et statim habuerat contionem de restituenda tribunicia potestate Palicano tribuno plebis*, cum ipsis Ciceronis verbis l. l. collatum: *Cn. Pompeius, quum primum contionem ad urbem consul designatus habuit,*

59. Qui quidem mos ut tabes in urbem coierit.

60. L. Hostilius Dasianus inquies animi.

61. Sestertium tricies pepigit a Gaio Pisone.

ubi id, quod maxime exspectari videbatur, ostendit, se tribuniciam potestatem restiturum, factus est in eo strepitus et grata contionis admurmuratio. Idem in eadem contione quum dixisset populatas vexatasque esse provincias, iudicia autem turpia ac flagitiosa fieri; ei rei se providere ac consulere velle: tum vero non strepitu, sed maximo clamore suam populus Romanus significavit voluntatem. Ex quo Ciceronis loco quum planissime intelligatur, quo sensu *ostendens* apud Sallustium positum sit, per se concidit Van der Hoevenii l. l. suspicio *obsequens* ab auctore scriptum fuisse; neque verior Linkeri est coniectura in libello de Sall. Historr. prooem. p. 15. proposita „multitudini *se* ostendens." — *Cupita* Pompeii spectare putanda sunt ad summam nullisque finibus circumscriptam in republica potentiam, quam postea adeptus est. Substantivi potestate hoc vocabulum usurpavit etiam Tacitus Ann. IV, 3, 1. *Nepotes adulti moram cupitis afferebant.*

Quae sequuntur tria proxima Fragmenta ita quidem comparata sunt, ut, quum in externarum rerum narratione lecta fuisse non videantur, ad urbanarum rerum expositionem pertinuisse coniicias. Nihilominus tanta est eorum obscuritas, ut de probabili interpretatione desperandum sit.

Fr. 59. [Cort. p. 981. Gerl. ed mai. IV, 9. et min. IV, 32. p. 228, 5. Debr. I, 19.] Festus v. *tabes*, p. 273. ed. Lindem. *Coierit* verbo sine idonea caussa offensi editores inde a Carrione scripserunt *coniectus*, quod vix latinum est. Nulla autem mutatione opus esse facile intelliget, qui reputaverit alicuius orationem obliquam his haberi, qui pravum turbarum morem a tribunis plebis perpetuo excitatarum graviter exagitaret. Ceterum dictionis *in urbem coire* ea ratio est, ut praegnanti sensu significetur mos, *qui urbem intraret in eaque invalesceret.*

Fr. 60. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 33. p. 228, 6.] Fragmentum recens accedit ex Arusiani cod. Gud. v. *inquies*, p. 242. ed. Lindem. In nomine viri ceterum ignoti erravit Lindemannus, qui, quum in cod. Gud. invenisset *Hostibus*, falso inde fecit *Hostius*, assensum tamen nactus Gerlachii in ed. min. Incorruptum nomen ex cod. Leid. protulit Ruhnkenius ad Vell. II, 68, 3., ubi de adiectivo *inquies*, disputat, de quo cf. Fragm. I, 8. II, 45. Ex hoc ipso autem vocabulo coniicias Hostilium inter eos fuisse, qui sive ad potestatem tribuniciam restituendam, sive nobilitatis odio turbulenti essent.

62. Crassus obtrectans potius collegae, quam boni aut mali publici gravis auctor.

63. Suspectusque fuit, incertum vero, an per neglegentiam, societatem praedarum cum latronibus composuisse.

Fr. 61. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 74. p. 230, 10.] Hoc quoque Fragm. debetur cod. Gud. Arusiani v. *paciscor*, p. 251. ed. Lindem. Gaius Piso fortasse is est, qui a. 67. a. Chr. n. consul fuit; quis vero ab eo pepigerit sest. tricies, erui nequit.

Fr. 62. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 73. p. 230, 8.] Verba itidem servavit cod. Gud. Arusiani v. *obtrectans*, p. 250. Lindem. De simultatibus agi in promptu est, quae Crasso cum Pompeio in consulatu intercedebant, de qua re cf. Plut. in Crass. c. 12. *Οὐ μὴν ἔμειναν* (sc. Crassus et Pompeius) *ἐπὶ ταύτης τῆς φιλοφροσύνης εἰς τὴν ἀρχὴν καταστάντες, ἀλλ' ὀλίγου δεῖν περὶ πάντων διαφερόμενοι καὶ πάντα δυσκολαίνοντες ἀλλήλοις καὶ φιλονεικοῦντες ἀπολίτευτον καὶ ἄπρακτον αὑτοῖς τὴν ὑπατείαν ἐποίησαν.* Id. in Pomp. c. 22. *Ἀποδειχθέντες ὕπατοι* (sc. Crassus et Pomp.) *διεφέροντο πάντα, καὶ προσέκρουον ἀλλήλοις· καὶ ἐν μὲν τῇ βουλῇ μᾶλλον ἴσχυεν ὁ Κράσσος, ἐν δὲ τῷ δήμῳ μέγα τὸ Πομπηΐου κράτος ἦν.*

Fr. 63. [Cort. p. 990. Gerl. ed. mai. IV, 18. ed. min. IV, 7. p. 225, 13. Debr. IV, 33.] Apud Nonium IV, 62. p. 260, 31. haec ita exstant, ut pro *an per n.* legatur *ac per n.*, pro *composuisse* autem *composuisset* scriptum sit, quae vitia editores dudum sustulerunt. A Debrossio in errorem inductus Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 63. Fragmentum de M. Antonio intelligit bellum contra piratas et Cretenses administrante, cui explicationi hoc maxime obest, quod Sall. de illo bello *tertio* libro absolvit, cf. Fr. III, 59—66. Gerlachius in ed. min., quantum quidem ex loco Fragmenti colligitur, verba ad Spartacum refert, repugnante non solum verborum sensu, (Spartacus enim qui *per neglegentiam suspectus esse* potuit?) sed etiam fide historiae, siquidem ille non ad praedarum societatem, sed ad traiectum in Siciliam perficiendum consilia cum praedonibus contulit, v. supra Fr. 29—31. Mihi dubium non est, quin haec de C. Verre intelligenda sint, a Cicerone accusato, quam rem in tanta illius caussae celebritate non credibile est a Sallustio praetermissam fuisse, quum illius anni res urbanas exponeret. Videtur autem auctor omnia, quae Verri ex praetura Siciliensi crimini darentur, in unum composuisse, in iisque etiam hoc, quod suspectus

Cap. VI.

Fragmenta obscuriora et incertae aut nullius explicationis.

64. Omnes, quibus senecto corpore animus militaris erat.

65. Clausi lateribus altis pedem.

fuit societatem praedarum cum latronibus composuisse. Idem Verri haud obscure obiicit Cicero in libro Verrinarum I, 4, 9. *Si populus rom. — statuerit, non istum maius in sese scelus concepisse — cum praedonum duces accepta pecunia dimiserit, quam eos, si qui istum — liberarint.* Ibid. c. 5, 12. *Meminerit se priore actione — confessum esse duces praedonum a se securi non esse percussos, se iam tum esse veritum, ne sibi crimini daretur eos ab se pecunia liberatos; fateatur — se, privatum hominem, praedonum duces vivos atque incolumes domi suae, posteaquam Romam redierit, usque dum per me licuerit, retinuisse.* Ibid. IV, 52, 116. *Omitto portum Syracusanorum isto praetore Cilicum myoparoni praedonibusque patuisse*, quibuscum conferri possunt, quae ibid. V. c. 24 — 26. et c. 32 — 35. de incredibili eius socordia narrantur. — Verba *incertum vero, an per neglegentiam* significant: non plane constat, utrum re vera (sc. suspicioni caussam praebuerit), an quia per neglegentiam criminis speciem in se admisit; cf. Fr. IV, 50. *Cn. Lentulus, perincertum stolidior an vanior, legem promulgavit.*

Fr. 64. [Cort. p. 980. Gerl. ed. mai. IV, 2. ed. min. IV, 12. p. 226, 5. Debr. IV, 15.] Priscian. IX, 9, 49. p. 464. Kr. Ante *senecto* Carrio ex uno libro adiecit *aetas*, quod, licet in omnes Sall. edd. transierit, neque fidem habet a codicum auctoritate, neque commendationem a recta dicendi ratione; quare ineptum additamentum expulimus. *Senecto corpore* ablativi sunt absoluti vim concessivae enunciationis habentes hanc: *quamquam senectum corpus esset*, quod etiam dici poterat *in senecto corpore*. Quo pertineant verba non liquet; nam Debrossii sententiam, de Crasso agi delectum bello servili habente, quamquam Gerlachio Vol. III. p. 104. haud absurda videtur, nemo probabilem habebit.

Fr. 65. [Cort. p. 992. Gerl. ed. mai. IV, 39. ed. min. IV, 71. p. 230, 7. Debr. III, 138. IV, 58.] Apud Arusian., qui v. *altum*, p. 215. Lindem. haec affert, olim deerat *altis* vox; quam quum excidisse recte suspicatus esset Douza, ex cod. Gud. restituit Lin-

66. Infrequentem stationem nostram incuriosamque tam ab armis.

67. Qui proxumi loca hostium erant.

68. Stolide castra suggressus.

69. Qui praetores facibus sibi praelucentes ambustas in tectis sine cura reliquerant.

demannus. De munitione alicuius urbis vel castelli haec dicta videntur.

Fr. 66. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 25. p. 227, 20.] Locus recens accessit ex Arusiani cod. Gud. v. *incuriosum*, p. 242. Lindem. *Statio incuriosa ab armis* significat milites in statione positos, *neque arma in promptu habentes*. Cuius rei illustrandae caussa iuvabit conferre, quae de simili re leguntur apud Caes. de B. C. II, 14, 1. *Hostes, nostris languentibus atque animo remissis, quum alius discessisset, alius ex diutino labore in ipsis operibus quieti se dedisset, arma vero omnia reposita contectaque essent, portis se foras erumpunt.*

Fr. 67. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 75. p. 230, 10.] Huius quoque loci fons est cod. Gud. Arusiani v. *proximus*, p. 252. Lindem. *Propior* et *proximus* cum accusativo legitur etiam Catil. XI, 1. *Quod vilium propius virtutem erat.* Iug. XLIX, 1. *Ipse propior montem suos collocat.* ibid. §. 6. *In dextero latere, quod proxumum hostis erat, aciem instruxit.*

Fr. 68. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 77. p. 230, 13.] Fragm. exstat in cod. Gud. Arusiani v. *suggredior*, p. 262. Lindem. Verbum hoc Tacito frequenter usurpatum (cf. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 447.) Sallustius primus adhibuisse videtur.

Fr. 69. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 76. p. 230, 11.] Haec verba pariter ut superiora exstant in cod. Gud. Arusiani, v. *praeluceo*, p. 256. Lind. Sensus valde obscurus est, et vix eruendus. Ex orationis tamen forma intelligitur *sibi* referri ad praecedentis enunciationis primariae subiectum, quod viri alicuius nomine constitit, *qui praetores* vero pertinere ad eius enunciationis obiectum. *Praetores* autem non magistratus significant, sed primitiva vocabuli potestate sunt, *qui praecedunt aliquem* sive *praeeunt* quasi *praeitores* dicti. Eos servos fuisse in promptu est. Qui quum abiectis in tectis facibus ambustis supina negligentia incendii periculum commovissent, eaque res singularis alicuius facti, quod Sallustius commemorandum du-

70. Curio Volcanaliorum die ibidem moratus.
71. Religione Volcanaliorum impeditus.
72. Quis in praesens modo satis cautum fuerat.
73. Magnam exorsus orationem.
74. Impotens et nimius animi est.

ceret, caussa exstitisset, tale quid ab eo scriptum fuisse suspicor: „*Dominus* (quisque ille fuit) *gravissimo supplicio servos affecit*, qui praetores facibus sibi praelucentes ambustas in tectis sine cura reliquerant.“ Neque tamen multum huic coniecturae tribuo, facile concessurus, si quis probabiliorem loci obscuri explicationem prodiderit.

Fr. 70. [Cort. p. 990. Gerl. ed. mai. IV, 13. ed. min. III, 31. p. 217, 11. Debr. II, 149.] Verba ex libro IV. laudat Non. VIII, 49. p. 489, 26. Merc. Eundem Sall. locum respicere videtur Charis. I, 17, 18. p. 34. Lindem. (p. 46. P.), Sallustium dixisse referens *Et Volcanaliorum* (ita enim in cod. Neapol. est pro *et Vulcan.*, ut edd. habent). A Nonio discrepat Pompeius Comment. in Art. Don. p. 163. ed. Lindem. eadem verba sic exhibens: *Curio ibidem moratur regione Vulcanaliorum*: sed *regione* scribentis error est pro *religione*, ut ex Fr. seq. patet; ceterae diversitates inde repetendae, quod grammaticus locum memoriter attulit. In hoc Fragmento quum persona, res, locus atque tempus sint incertissima, praestat explicationem plane non attingere, quam temeritatem sequi Debrossii et Gerlachii, qui Scrib. Curionem, a. 75. 74. 73. a. Chr. n. Macedoniae proconsulem, in provincia sua Volcanaliorum festum celebrasse volunt, cui portentosae interpretationi ut fidem facerent, ille Fragmentum in secundum librum, hic in tertium transtulit, scilicet gravissimo argumento moti (v. Gerl. Vol. III. p. 112.) de Curione *quarto* libro agi non potuisse. At sane potuit; nam quum anno demum 71. a. Chr. n. triumphum de Dardanis ageret (v. Zumpt. ad Cic. in Verr. Act. I. c. 7, 18. p. 64. Cic. in Pison. c. 19, 44. coll. Ellendt. in Hist. eloq. rom. Bruto praemissa §. 32. p. 86. ed. II.), nihil impedit, quominus ea res in IV. libro commemoretur. Quod si quis coniiciat ad hanc ipsam rem pertinere Fragmentum, a vero fortasse non abfuerit, sed argumentis id comprobari potest nullis.

Fr. 71. [Deest apud Cort. — Gerl. ed. mai. IV, 14. ed. min. II, 32. p. 217, 12. Debr. III, 149.] Legitur Fr. apud Pompei. Comment. in Art. Don. p. 222. ed. Lindem. Quantumvis obscurum sit Fragm. praecedens, tamen dubitari nequit, quin hoc et in eius confinio fuerit, et eandem rem spectet.

75. Anxius animi atque incertus.

76. Consili aeger.

77. Ne inrumiendi po . . . . . sublicibus cavata . . . . essent.

Fr. 72. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. IV, 34. p. 228, 7.] Fragm. recens accesit ex cod. Gud. Arusiani v. *in praesentia*, p. 242. Lind. *Quis* coniectura est Lindemanni pro *quos*, quod in cod. est. De qua re agatur, non liquet.

Fr. 73. [Cort. p. 981. Gerl. ed. mai. IV, 6. ed. min. IV, 51. p. 229, 1. Debr. III, 6. III, 98.] Arusian. v. *exorsus*, p. 229. Lindem.

Fr. 74. [Cort. p. 981. Gerl. ed. mai. IV, 7. ed. min. IV, 65. p. 229, 24. Debr. IV, 2.] Arusian. v. *nimius*, p. 249. Lindem. De genitivo *animi* cf. Fr. II, 93. III, 92.

Fr. 75. [Cort. p. 980. Gerl. ed. mai. IV, 5. ed. min. IV, 64. p. 229, 23. Debr. II, 11.] Arusian. v. *anxius*, p. 216. Lind. Ex lubidine Debrossius scripsit *ibi anxius*.

Fr. 76. [Cort. p. 991. Gerl. ed. mai. IV, 31. ed. min. IV, 67. p. 229, 26. Debr. I, 38.] Arusian. v. *aeger*, p. 212. Lind.

Fr. 77. [Cort. p. 997. Gerl. ed. mai. Inc. 1. ed. min. IV, 82. p. 230, 18. Debr. I, 69.] Locus lacerus idemque vitio affectus exstat apud Festum p. 239. Lindem. *Inrumiendi* corruptumne sit ex *inrumpendi*, an aliud verbum a Sall. scriptum fuerit, difficile dictu est. De *ponte sublicio* in Historiarum libro IV. mentionem factam esse quum ex Festo appareat, *po*... litteras vestigia esse *pontis sublici* haud improbabiliter coniecit Ursinus. *Sublices* Sallustius dixit, quae vulgo *sublicae* dicuntur, i. e., ut vetus Glossar. explicat, *καταπῆγες οἱ ἐν ποταμῷ τὴν γέφυραν ὑποβαστάζοντες*. cf. Gronov. ad Liv. I, 37, 1. Valla ad XXIII, 37, 2.

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER V.

ARGUMENTUM.

CAP. I.

Bellum Mithridaticum. Mithridates Pontum recipit; — senex validissimus in pugna vulneratur. — Seditio legionum ad Nisibim. — Clodius seditionis concitator. — Lucullus militibus haud gratus; — Quintium permovere studet, ne sibi adversetur. — Marc. Rex Lucullo auxilium negat. — Legiones Valerianae ab exercitu discedunt. Fr. 1—14. [Anni 68. 67. a. Chr. n.]

CAP. II.

Res urbanae. Lex Gabinia. — Pompeii dissimulantia et gloriatio. — Gabinius Pompeium commendat. — Catulus legem dissuadet. Fr. 15—20. [Annus 67. a. Chr. n.]

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIB. V.

CAP. I.

Bellum Mithridaticum. Mithridates Pontum recipit, — senex validissimus in pugna vulneratur. — Seditio legionum ad Nisibim. — Clodius seditionis concitator. — Lucullus militibus haud gratus. — Quintium permovere studet, ne sibi adversetur. — Marc. Rex Lucullo auxilium negat. — Legiones Valerianae ab exercitu discedunt.

---

1. Adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis.

Fr. 1. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 104. ed. min. IV, 80. p. 230, 16. Debr. V, 65.] Locus, a Sallustii editoribus male cum Fr. II,

2. Luxo pede.

3. Prohibet nocere venenum, quod tibi datur.

20. coniunctus, ubi v., a Servio affertur ad versus Virgilianos Georg. IV, 211. hos: „Praeterea regem non sic Aegyptus et ingens Lydia nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes Observant;“ ad quae verba grammaticus: „De his autem gentibus dixit Sallustius *adeo — nominis.*“ Quae observatio ut in universum Sallustiani loci sensum monstrat, ita gentium nomina apud Virgilium non urgenda, sed omnino Asiae populi intelligendi videntur. Quod si non falso coniecimus, verba optime conveniunt in Mithridatem, qui, quum Luculli res post pugnam apud Artaxata et captam Nisibim minus prospere procedere coepissent, cum modica manu in Pontum regrederetur regnumque amissum rursus occuparet, (cf. Appian. Mithrid. c. 88, in. p. 774. Schweigh. et Tzschuck. ad Eutrop. VI, 9. p. 333 sq.) *magno studio ac laetitia incolarum exceptus;* v. Dio Cass. XXXV, 9. p. 81. Reim. *Ἐν ᾧ δὲ ταῦτ' ἐγίγνετο, Μιθριδάτης ἐς τε τὴν ἑτέραν Ἀρμενίαν καὶ ἐς τὰ ἄλλα ἐσβαλὼν πολλοὺς τῶν Ῥωμαίων, τοὺς μὲν ἀνὰ τὴν χώραν πλανωμένους, ἀπροσδόκητος σφίσι προσπεσὼν, ἔφθειρε, τοὺς δὲ καὶ ἐκ μάχης κατέκοψε. Κἂν τούτῳ καὶ τῶν χωρίων τὰ πλείω διὰ ταχέων ἀνεκτήσατο. οἱ γὰρ ἄνθρωποι ἐκείνου τε εὔνοιαν, ἔκ τε τοῦ ὁμοφύλου καὶ ἐκ τῆς πατρίου βασιλείας, καὶ τῶν Ῥωμαίων μῖσος, διά τε τὸ ὀθνεῖον καὶ διὰ τὸ ὑπὸ τῶν ἐφεστηκότων σφίσι κακουχεῖσθαι, ἔχοντες, προσεχώρησαν αὐτῷ.*

Fr 2. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 163 ed. min. Inc. 51. p. 238, 18. Debr. V, 64.] Breve Fragmentum, quod sine libri numero exstat apud Probum, Corp. Gramm. Lat. Vol. I. p. 133. Lind. (Putsch. p. 1476.), Debrossius satis probabiliter intellexit de Mithridate graviter vulnerato, quum contra M. Fabium Adrianum legatum in Armenia minore (a. 68. a. Chr. n.) proelio contenderet; cf. App. Mithr. c. 88. *Ἐλευθερώσαντος δὲ τοῦ Φαβίου θεράποντας, ὅσοι ἦσαν ἐν τῷ στρατοπέδῳ, καὶ δι' ὅλης ἡμέρας αὖθις ἀγωνιζομένου, παλίντροπος ἦν ὁ ἀγών· μέχρι τὸν Μιθριδάτην, πληγέντα λίθῳ τε ἐς τὸ γόνυ καὶ ὑπὸ τὸν ὀφθαλμὸν βέλει, κατὰ σπουδὴν ἀποκομισθῆναι.* Eandem rem narrat Dio Cass. XXXV, 9. p. 82. Reim. *Καὶ ἀνάλωσαν ἄν* (sc. hostes Fabium), *εἰ μὴ ὁ Μιθριδάτης τοῖς πολεμίοις ἀναστρεφόμενος λίθῳ τε ἐπλήγη, καὶ δέος τοῖς βαρβάροις μὴ καὶ ἀποθάνῃ παρέσχεν. Luxus pes* quid sit, patebit ex Festo, qui p. 89. ed. Lindem. haec habet: *luxa membra*, e suis locis mota et soluta.

Fr. 3. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et min., Debr.] Fragmentum recens accedit ex Grammatico anonymo, quem primus evulgavit Ovidiique Halieuticis adiunxit Maur. Hauptius, p. 104.

4. Peractis septuaginta annis armatus equum insilire.

5. Et in proeliis actu promptus.

6. Turbinum motus vagus est et disiectus et, *[uti Sallustii verbis utar,]* vorticosus.

Eundem postea seorsum edidit F. W. Otto hoc titulo: Grammaticus incertus de generibus nominum, sive de dubio genere; ubi locus legitur p. 58. n. 359. Ad Mithridatem verba haud admodum perspicua iam Otto retulit l. l.; sed quod dicit: „videtur locus ex epistola quadam ad Mithridatem libri II. cf. Schol. Lucan. I, 337.", mihi parum probatur. Quantum enim in re dubia videre licet, haec coniuncta fuerunt cum iis, quae Sallustius de gravi Mithridatis vulnere narravit, *quod veneno curatum esse* tradit Appianus Mithrid. c. 88. p. 774. Schweigh. *Μιθριδάτην μὲν οὖν ἐθεράπευον Ἄγαροι, Σκυθικὸν ἔθνος, ἰοῖς ὄφεων ἐς τὰς θεραπείας χρώμενοι.* Quae explicatio nostra si a vero non abhorruerit, verba sunt medici Mithridatem docentis, veneni ei dati eam vim esse, ut prohibeat, quominus vulnus ei noceat.

Fr. 4. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. V, 10. p. 235, 26.] Fragm. recens accessit ex cod. Gud. Arusiani v. *insilire*, p. 243. ed. Lind. De Mithridate haec dicta esse, non improbabile, siquidem gravi eius vulneratione Sallustius monitus videtur, ut, quantus in eo iam septuagenario adhuc vigor ac fortitudo esset, commemoraret. Eam coniecturam paene certam praestant Dionis Casii de eadem pugna verba XXXV, 9. p. 82. Reim. *Καὶ γὰρ ὑπὲρ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη γεγονὼς ἐμάχετο*, quae tam parum discrepant a Sallustianis, ut vix dubium sit, quin Dio Sallustium expresserit.

Fr. 5. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 70. ed. min. Inc. 4. p. 237, 4. Debr. II, 56.] Hoc Fragmentum, a Donato ad Ter. Eun. IV, 7, 14. allatum, praecedenti subiunximus secuti Lindemanni iudicium, qui ad Arusiani l. l. acute suspicatus est haec verba cum superioribus cohaesisse. Sallustium enim eo Historiarum loco, ubi haec legebantur, de aliquo duce dixisse, qui imprudenter se in summum pugnae discrimen daret, clare patet ex Donati verbis, qui: „Poeta, inquit, ostendit officium imperatoris hoc esse, ne se in periculum proiiciat. Sic Sallustius: *Et in proeliis actu promptus.*"

Fr. 6. [Cort. p. 1010. Gerl. ed. mai. Inc. 193. ed. min. II, 79. p. 205, 12. — Deest ap. Debr.] Verba, quae leguntur apud Senec. Q. N. VII, 8., ita comparata sunt, ut Sallustii sententiam modo, non orationis formam ostendant. De vi turbinum dicendi locus fuit,

7. Regem avorsabatur.

8. Ceteri negotia sequebantur familiaria legatorum aut tribunorum, et pars sua, commeatibus, mercatis...

quum de Mithridatis pugna cum Triario ad Comana commissa ageretur; cf. Appian. Mithrid. c. 88. p. 774. ed. Schweigh. *Μετ' οὐ πολὺ χωρούντων ἐς μάχην αὐτοῦ* (sc. *Τριαρίου*) *τε καὶ Μιθριδάτου, πνεῦμα, οἷον οὐκ ἐμνημονεύετο γενέσθαι, τάς τε σκηνὰς ἀμφοτέρων διέῤῥιψε, καὶ τὰ ὑποζύγια παρέσυρε, καὶ τῶν ἀνδρῶν ἔστιν οὓς κατεκρήμνισε.* Hoc igitur si Sallustius narravit, profecto rem absurdam non egit. At Gerlachius Vol. III. p. 145. „in ventorum causis, inquit, aperiendis eum multum (?!) fuisse putaverim."

Fr. 7. [Cort. p. 993. Gerl. ed. mai. V, 3. ed. min. V, 3. p. 235, 5. Debr. III, 7. III, 60. III, 118. V, 6.] Arusian. v. *aversor*, p. 216. Lindem. Nihil eruas, nisi regem videri Mithridatem.

Quae sequuntur Fragmenta 8—14, tam clare spectant tum ad seditionem exercitus Luculliani, tum ad inimicorum Luculli machinationes, ut de eorum sensu in universum dubitari nequeat. Difficilius est ordinem, quo se in Historiis exceperint, constituere; quem si alii certiorem quam nos noverint, lubenter sequemur.

Fr. 8. [Cort. p. 993. Gerl. ed. mai. V, 4. ed. min. V, 4. p. 235, 6. Debr. V, 66.] Nonius II, 533. p. 138, 9. Mercer. haec affert, quo probet Sallustium *mercatis* dixisse pro *mercatibus*. Quod si verum est, *commeatibus* intelligendum de *frumento*, utrumque autem substantivum pendet ex verbo, quod desideratur, quamobrem integra enunciati sententia constitui non potest. Aliter Douza locum cepit, qui, *commeatus* intelligens *militiae vacationem*, *mercatis* pro participio habet, ut sensus sit *militiae vacatione emptâ* sive *pretio conciliatâ*, ablativis ad *sequebantur* pertinentibus. Sed ea explicatio, Freundio quoque in Lexico Vol. III. p. 256. v. *mercor* probata, cum Nonii lemmate conciliari nequit. — De vi verborum *negotia sequi* v. ad Fr. III, 89. Eadem subintelligenda sunt ad *sua* pronomen. Agitur autem hoc Fragmento de Valerianis, imperio et disciplina militari exsolutis, et in urbe Nisibi per otium luxuriantibus, unde ea labes etiam ceterum exercitum invasit. cf. Liv. Epit. XCVIII. *Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem, seditio militum tenuit, quia sequi nolebant, id est, quia legiones Valerianae, impleta a se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt.* Dio Cass. XXXV, 14. p. 84. Reim. *Οἱ Οὐαλέρειοι, οἱ τῆς τε στρατείας ἀφεθέντες, καὶ μετὰ τοῦτ' αὖθις στρατευσάμενοι, ἐκινήθησαν μὲν καὶ ἐν Νισίβει, ἔκ τε τῆς νίκης καὶ ἐκ τῆς ἡσυχίας, τοῦ τε τὰ ἐπιτήδεια ἄφθονα ἔχειν, καὶ ἄνευ τοῦ Λουκ-*

9. Qui uxori eius frater erat.

10. *[Σαλούστιος μὲν ουν φησι] χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκῳ καὶ πάλιν πρὸς Ἀμισῷ δύο χειμῶνας ἐξῆς ἐν χάρακι διαγαγεῖν ἀναγκασθέντας.*

κούλλου τὰ πολλὰ, διὰ τὸ πολλαχόσε ἐκδημεῖν αὐτὸν, διαιτᾶσθαι.

Fr. 9. [Cort. p. 997. Gerl. ed. mai. V, 5. ed. min. IV, 49. p. 228, 24. Debr. V, 32.] Locus, qui est apud Arus. v. *frater*, p. 231. Lindem., ex libro *quarto* laudatur in cod. Gud.; *quintum* habent vulgatae edd. et cod. Ambros., quod verum censemus. Intelligitur enim P. Clodius, frater Clodiae, quam Lucullus in matrimonio habuit; cf. Plutarch. in Luc. c. 21, in. Qui, quum magno in odio Lucullum habens, Valerianos, iam per se ab illo alienatos, magis etiam iniquis sermonibus concitaret, ne illi parerent aliumque imperatorem poscerent, fieri non potuit, quin in hoc libro commemoraretur. v. Plutarch. Luc. c. 34, in. *Τούτοις δὲ τηλικούτοις οὖσι προσγίγνεται τὸ μάλιστα Λουκούλλῳ διειργασμένην τὰς πράξεις Πόπλιος Κλώδιος, ἀνὴρ ὑβριστὴς καὶ μεστὸς ὀλιγωρίας ἁπάσης καὶ θρασύτητος. Ἦν δὲ τῆς Λουκούλλου γυναικὸς ἀδελφός. — Ἦξίου δὲ πρῶτος εἶναι, καὶ πολλῶν ἀπολειπόμενος διὰ τὸν τρόπον ὑποικούρει τὴν Φιμβριανὴν στρατιὰν καὶ παρώξυνε κατὰ τοῦ Λουκούλλου λόγους χρηστοὺς εἰς οὐκ ἄκοντας οὐδ' ἀήθεις τοῦ δημαγωγεῖσθαι διαδούς. — Διὸ καὶ τὸν Κλώδιον ἡδέως ἐδέχοντο καὶ φιλοστρατιώτην προσηγόρευον ἀγανακτεῖν προσποιούμενον ὑπὲρ αὐτῶν, κ. τ. λ.* — Dio Cass. XXXV, 14. p. 85. Reim. *Πούπλιός τις Κλώδιος συνεστασίαζε σφᾶς* (sc. Valerianos) *ὑπ' ἐμφύτου νεωτεροποιΐας, καίπερ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ τῷ Λουκούλλῳ συνοικούσης. Ἐταράχθησαν δὲ καὶ τότε ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ τὸν Ἀκίλιον τὸν ὕπατον, ὃς τῷ Λουκούλλῳ διάδοχος — ἐξεπέμφθη, πλησιάζοντα ἐπύθοντο· ἐν γὰρ ὀλιγωρίᾳ αὐτὸν ὡς καὶ ἰδιωτεύοντα ἤδη ἐποιοῦντο.* Factum id anno 67. a. Chr. n. Ad constructionem verborum cf. Fr. I, 96. *Liberis eius avunculus erat.* Cic. Brut. c. 83, 286. *Democharis, qui fuit Demosthenis sororis filius, orationes scripsit aliquot.*

Fr. 10. [Cort. p. 1012. Gerl. ed. mai. Vol. III. p. 149. ed. min. Inc. 95. p. 240, 16. Debr. V, 26.] Exstat locus apud Plutarch. in Lucull. c. 33, med., unde patet Sallustium seditione exercitus Luculliani narrata fusius eius rei caussas exposuisse. Non est autem improbabile etiam relicua, quae Plutarchus l. l. de Luculli moribus atque ingenio militum animis capiendis parum apto disputat, quibus-

11. Lucullus pecuniam Quintio dedit, ne illi succederetur.

12. At Lucullus, audito Q. Marcium Regem proconsulem per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere.

cum fere consentiunt, quae de eadem re habet Dio Cass. XXXV, 16. p. 85. Reim., maximam partem ex Sallustio desumpta esse.

Fr. 11. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai., min., et Debr.] Fragmentum recens accedit ex Schol. Gronov. ad Cic. p. l. Man. 10, 28. Vol. II. p. 441. Orell. Res paullo obscurior neque aliunde cognita sic videtur explicanda. Inter Luculli adversarios, qui Romae eum vehementer insectabantur, fuit etiam L. Quintius, iam ex tribunatu ei infestus, cf. Fr. III, 82, 11. Is igitur quum perpetuo clamaret abrogandum esse Lucullo imperium, quo per avaritiam abuteretur, successoremque ei mittendum, Lucullus putandus est pecunia oblata eum permovere studuisse, ut sibi adversari desineret, neve amplius de successore sibi mittendo apud populum ageret. Sed id frustra fuisse patet ex Plutarcho in Lucull. c. 33, extr. *Οὕτω δὲ διακειμένοις αὐτοῖς* (sc. *τοῖς στρατιώταις*) *τὰς μεγίστας ἐνέδωκαν ἀπὸ τῆς Ῥώμης οἱ δημαγωγοὶ προφάσεις φθόνῳ τοῦ Λουκούλλου κατηγοροῦντες ὡς ὑπὸ φιλαρχίας καὶ φιλοπλουτίας ἕλκοντος τὸν πόλεμον, καὶ μονονοὺ κατέχοντος ἐν ταὐτῷ Κιλικίαν, Ἀσίαν — πεπορθηκότος, ὥσπερ ἐκδῦσαι τοὺς βασιλέας, οὐ καταπολεμῆσαι πεμφθέντος. Τοῦτο γὰρ εἰπεῖν φασιν ἕνα τῶν στρατηγῶν Λεύκιον Κόϊντον, ὑφ' οὗ μάλιστα πεισθέντες ἐψηφίσαντο πέμπειν διαδόχους τῷ Λουκούλλῳ τῆς ἐπαρχίας.* — *Illi* quoniam ad *Lucullum* pertinet, ex cuius mente pendet enunciatio secundaria, proprie *sibi* dicendum erat; sed oratio ita composita est, ut subiecta enunciatio a scriptoris mente repetatur, de quo usu v. Kruegeri Gramm. lat. §. 412. a. et §. 413. not. 1. p. 550. Dachne ad Nep. X, 8, 5. p. 162. Aliter locum cepit Linkerus in libello de Sall. Hist. prooem. p. 88. *illi* de Pompeio intelligens in Hispania contra Sertorium bellante. Sed quod Plutarchum huius interpretationis testem laudat in Lucull. c. 5., ne verbum quidem ibi legitur, quo ea res confirmetur; v. ad Fr. III, 1, extr.

Fr. 12. [Cort. p. 992. Gerl. ed. mai. V, 1. ed. min. V, 1. p. 235. 1. Debr. V, 71.] Priscian. XVIII, 4, 41. p. 123. Kr. Ad mancam sententiam constituendam apprime facit Dio Cass. XXXV, 15. *Ὁ οὖν Λούκουλλος ἔκ τε τούτων, καὶ ὅτι παρὰ τοῦ Μαρκίου, τοῦ πρὸ τοῦ Ἀκιλίου ὑπατεύσαντος, ἐς Κιλικίαν, ἧς ἄρχειν ἔμελλε, παρόντος, ἐπικουρίαν αἰτήσας, οὐκ ἔτυχεν, ἐν*

13. Sed ubi ille militum voluntatem causatus.

14. Legiones Valerianae comperto lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datum, sese missos esse.

ἀπόρῳ ἐγένετο. Appian. Mithrid. c. 90, med. p. 777. Schweigh. *Λουκούλλου δ' ἤδη τῷ Μιθριδάτῃ παραστρατοπεδεύοντος ὁ τῆς Ἀσίας στρατηγὸς* (i.e. Q. Marcius Rex proconsul) *περιπέμπων ἐκήρυσσε, Ῥωμαίους ἐπικαλεῖν Λουκούλλῳ πέρα τοῦ δέοντος πολεμοῦντι, καὶ τοὺς ὑπ' αὐτῷ τῆς στρατείας ἀφιέναι, καὶ τῶν οὐ πειθομένων τὰ ὄντα δημεύσειν.* Igitur quod deest enunciati praedicatum tale fere fuit: *auxilium ab eo petiit.* De ratione ablativi absoluti neutro participii perfecti passivi et integra enunciatione compositi v. Gramm. lat. nostr. §. 150, 2. not. 4. p. 539. et quae laudavimus ad Catil. c. XLI, 5. p. 193.

Fr. 13. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. V, 11. p. 236, 1.] Fragmentum hoc, quod recens accessit ex cod. Gud. Arusiani v. *Causatus*, p. 244. Lindem., certe cohaeret cum praecedente. *Ille* enim est *Q. Marcius Rex*, Asiae proconsul, vano praetextu milites se sequi nolle Lucullo petitum auxilium negans; cf. Dio Cass. XXXV, 17. p. 86. Reim. *Μάρκιος δὲ Λουκούλλῳ οὐκ ἐπεκούρησε, πρόσχημα τοὺς στρατιώτας, ὡς οὐκ ἐθελήσαντας οἱ ἀκολουθῆσαι, ποιησάμενος.* Tantus est autem et in hoc et in superiore Fragmento Dioni cum Sallustio in ipsis verbis consensus, ut dubitari nequeat, quin eum in hac operis sui parte potissimum auctorem secutus sit.

Fr. 14. [Cort. p. 992. Gerl. ed. mai. V, 2. ed. min. V, 2. p. 235, 3. Debr. V, 70.] Priscian. XVIII, 4, 41. p. 123. Kr. In omnibus Sall. edd. vitiose est *consuli datam*, quod Krehlius meliorum codicum auctoritate correxit; nam quum *Ponti* notio in hac re potior sit, praedicatum huic legitime accommodatur; cf. Gramm. lat. nostr. §. 120, 1. b. β. p. 283. — *Sese missos esse* vera Douzae est emendatio; in codd. enim est vel *esse missos esse*, vel *esse missos*, vel *missos esse*, quae depravationes quomodo ortae sint non est difficile ad videndum. Nam quum pronomen, quo utique opus est, quia in novo subiecto vis sententiae inest, a somniculoso librario in *esse* fuisset deformatum, insecuti scribae unum infinitivum redundare videntes alii priorem, alii posteriorem omiserunt. — Legis Gabiniae, latae a. 67. a. Chr. n. ab A. Gabinio tribuno plebis, quamquam summa erat de uno imperatore contra praedones constituendo, tamen, quantum ex Sallustii loco coniicitur, complura capita fuisse videntur, quae ad res Asiae ordinandas pertinerent. — *Consul* est M'. Acilius Glabrio; v. ad Fr. 12. coll. Dione Cass. XXXV, 2. p. 78. et c. 17. p. 86. Reim. Plutarch. in Pomp. c. 30, in. — De missione

CAP. II.

Res urbanae. Lex Gabinia. — Pompeii dissimulantia et gloriatio. — Gabinius Pompeium commendat. — Catulus legem dissuadet.

15. Cupientissumus legis.

16. Quibus de caussis Sullam dictatorem uni sibi descendere equo, assurgere sella, caput aperire solitum.

Valerianorum cf. Dio Cass. XXXV, 15, extr. p. 85. *Οἵ γε Οὐαλέρειοι, μαθόντες ὅτι τῆς στρατείας παρὰ τοῖς οἴκοι τέλεσι ἀφεῖνται, παντελῶς ἀπεχώρησαν.*

Fr. 15. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 64. ed. min. IV, 39. p. 228, 13. Debr. V, 45.] Verba, a Diomede I. p. 291. Putsch. laudata, Debrossius satis probabiliter refert ad Pompeium, qui, quum nihil magis cuperet, quam ut Gabinii lege de uno imperatore contra praedones constituendo inauditam in republica potestatem acciperet, nihilominus simulata modestia tantum imperium invito sibi datum videri vellet; cf. Dio Cass. XXXVI, 7. p. 91. Reim. *Ὁ Πομπήϊος ἐπιθυμῶν μὲν πανὺ ἄρξαι — ἠβουλήθη δοκεῖν ἀναγκάξεσθαι.*

Fr. 16. [Cort. p. 997. Gerl. ed. mai. V, 9. ed. min. V, 8. p. 235, 11. Debr. I, 33. V, 48.] Verba Nonius IV, 5. p. 236, 18. Merc. sic laudat: *q. d. c. Syllam in victoria dictatorem u. s. equo desc., surgere de sella, caput aperire solitum.* Idem IV, 430. p. 397, 14. tantummodo haec affert: *sella surgere, caput aperire solitum.* Tum Servius ad Virg. Aen. I, 111. et III, 206. habet *cap. aperire solitus.* Denique Arusian. v. *adsurgo*, p. 214. Lindem. totum Fragm. omissis verbis *quibus de caussis* sic refert: *Syllam dictatorem uni sibi desc. equo, adsurgere sella, cap. aper. solitum.* Quibus inter se collatis patet solum Arusianum verba Sallustii exhibere incorrupta, tribus tamen primis Nonii augenda. Nam *in victoria*, quod omnibus Sall. edd. additur, ineptum additamentum esse, tum perversus verborum locus ostendit, tum absurda sententia, tum Arusiani auctoritas, apud quem ea absunt. *Assurgere* certum praestat Arusiani lemma, *sella* autem sine *de* praepositione eiusdem cum Nonio IV, 430. consensu stabilitur. *Uni sibi* pronomina, quae in Sall. edd. duplici vitio et inverso ordine (*sibi uni*) et ante *assurgere* leguntur, locum suum ante *descendere* habere, tum recta ratio ostendit, siquidem obiectum omnibus verbis commune est, tum Nonii pariter atque Arusiani fide comprobatur. — De Pompeio haec intelligenda esse diserta scriptorum testimonia ostendunt; cf. Plutarch. in Pomp. c. 8, med. *Ὡς*

17. Saepe celebritatem nominis intellego timentem.

γὰρ εἶδεν αὐτὸν ὁ Σύλλας προσιόντα καὶ τὴν στρατιὰν παρεστῶσαν εὐανδρίᾳ τε θαυμαστὴν καὶ διὰ τὰς κατορθώσεις ἐπῳρμένην καὶ ἱλαράν, ἀποπηδήσας τοῦ ἵππου, καὶ προσαγορευθείς, ὡς εἰκὸς, αὐτοκράτωρ ἀντιπροσηγόρευσεν αὐτοκράτορα τὸν Πομπήϊον. — Καὶ τἆλλα δὲ ἦν ὁμολογοῦντα ταῖς πρώταις φιλοφροσύναις, ὑπεξανισταμένου τε προσιόντι τῷ Πομπηΐῳ καὶ τῆς κεφαλῆς ἀπάγοντος τὸ ἱμάτιον, ἃ πρὸς ἄλλον οὐ ῥᾳδίως ἐωρᾶτο ποιῶν, καίπερ ὄντων πολλῶν καὶ ἀγαθῶν περὶ αὐτόν. cf. eund. in Crass. c. 6, med. Appian. B. C. I, 80. p. 112. Schweigh. Καὶ χρησιμώτατος ἐν τοῖς μάλιστα ὅδε ὁ ἀνὴρ (sc. Πομπήϊος) ἐγένετο τῷ Σύλλᾳ, ὅθεν αὐτὸν ὁ Σύλλας ἔτι νεώτατον ὄντα ἦγεν ἐν τιμῇ, καὶ ἐπιόντος, φασὶν, ὑπανίστατο μόνῳ. Valer. Max. V, 2, 9. *Sulla dictator Pompeio etiam privato caput adaperuit, et sella assurrexit, et equo descendit.* — De ratione dativi, quippe quo casu ponatur is, in cuius honorem aliquid fit, v. Gramm. lat. nostr. §. 127. 3. B. a. additam. 1. p. 351. — Honoris usum a Sulla Pompeio habiti explicat Servius ad Virg. Aen. XI, 500. „Quattuor erant apud Romanos, quae ad honorificentiam pertinebant, *equo desilire*, *caput aperire*, *via decedere*, *assurgere*. Hoc etiam praecones praecuntes magistratus clamare dicebantur.“ cf. Seneca Ep. 64, extr. *Si consulem videro aut praetorem, omnia, quibus honor haberi honori solet, faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam.* Moris *equo desiliendi* exempla sunt apud Valer. Max. II, 2, 4. VIII, 5, 6. coll. Dio. Cass. XLV, 16. p 430. Reim., *sella assurgendi* apud Sueton. Caes. c. 78.; de *aperiendo capite* agit Plutarch. in Quaestt. Rom. c. 10. ed. Hutt. Vol. VIII. p. 316. De universa re v. etiam Lipsium in Electt. I, 23. p. 427 sq. — Fragmentum Debrossius, pronominis reflexivi vim non assecutus, satis inepte statuit ex oratione fuisse Catuli, qua legem Gabiniam dissuasit. Pompeii ipsius verba esse, quod iam viderat Lipsius l. l. p. 428., vidit etiam Gerlachius Vol. III. p. 116., sed prorsus sinistre ab illo dicta esse censet, „quum die postero, quam rogatio Manilia [sic!] perlata fuit, in urbem venit et concionem habuit.“ Sed quum Plutarchus in Pomp. c. 26., quo loco Gerlachii opinio nititur, tradat, Pompeium hac concione id egisse ac perfecisse, ut maior sibi, quam ipsa rogatione constitutum fuerat, potestas bellique apparatus concederetur, quis paullo circumspectior credat ad hunc finem Fragmenti verba spectare potuisse? — Occasio gloriandi Pompeio haec fuit. Quum Gabinius rogationem de uno imperatore contra praedones constituendo tulisset, Pompeius, quamquam in ea rogatione non nominatus (v. Dio Cass. XXXVI, 6, extr. p. 90.), sed plebis consensu huic imperio destinatus, ipso suffragiorum die in contionem prodiit, et oratione simula-

18. Video indigentiam dona quaesitum gratiae properantem.

tae modestiae pariter atque summae arrogantiae plena populum rogavit, ut ipsum, quippe honoribus iam satiatum laboribusque pro republica susceptis defatigatum, novo hoc imperio non ornarent, sed aliorum rationem haberent. Inter alia igitur teste Dione Cass. XXXVI, 8. p. 91. Reim. haec dixit: *Οὐ μέν τοι οὔθ' ὑμῖν νομίζω προσήκειν ἁπλήστως οὕτω πρός με διακεῖσθαι, οὔτε ἐμοὶ διὰ παντὸς ἔν τινι ἡγεμονίᾳ εἶναι. Αὐτός τε γὰρ ἐκ παίδων κέκμηκα, καὶ ὑμᾶς δεῖ καὶ περὶ τοὺς ἄλλους σπουδάζειν. Ἦ οὐ μέμνησθε ὅσα μὲν ἐν τῷ πρὸς τὸν Κίνναν πολέμῳ ἐταλαιπώρησα καί τοι κομιδῇ νέος ὤν; ὅσα δὲ ἔν τε τῇ Σικελίᾳ καὶ ἐν τῇ Ἀφρικῇ ἔκαμον, μηδέπω καθαρῶς ἐς ἐφήβους τελῶν;* Quae quum in gratiam Sullae suscepta essent, vix dubium est, quin his vel talibus ea subiecerit, quae hoc Fragmento continentur. Certe verba *quibus de caussis* evincunt praecessisse aliquid, quod meritum aliquod Pompeii in Sullam contineret.

Fr. 17. [Cort. p. 997. Gerl. ed. mai. V, 6. ed. min. V, 5. p. 235, 8. Debr. V, 50.] Priscianus XVIII, 4, 42. p. 123. Kr. Magna est huius et sequentis Fragmenti obscuritas ac difficilis explicatio. Ex Catuli oratione rogationem Gabiniam dissuadentis verba desumpta censet Debrossius; sed ei sententiae repugnat Fr. 19., quod notissima quaedam verba Catuli ita habet, ut appareat totam eius orationem obliqua structura a Sallustio fuisse relatam. Universa Fragmenti forma quum prodat non ipsum Sallustium loqui, sed orationem alicuius concionantis referre, coniicio haec ex Gabinii oratione esse, qua Pompeium populo commendans in senatum atque optimates, rogationi suae atque Pompeio valde obnitentes, vehementer invehitur. Quod si a verisimilitudine non abhorret, *celebritas nominis* est Pompeii, *timentem* autem vel ad universam *nobilitatem* pertinet, vel ad praecipuum aliquem Pompeii adversarium, velut Pisonem consulem aut alium quem. V. ad Fr. sq.

Fr. 18. [Cort. p. 997. Gerl. ed. mai. V, 7. ed. min. V, 6. p. 235, 9. Debr. V, 52.] Priscianus XVIII, 4, 42. p. 123. Kr. haec verba ita affert, ut praecedenti Fragmento contigua fuisse videantur. Quod quum etiam forma orationis illi plane par confirmet, haud absurdum fuerit coniicere haec quoque ex Gabinii oratione esse. Vulgo in Prisciani et Sallustii edd. legitur *video ingentia dona quaesitum ire properantem*, quam vitiosam scripturam Krehlius codicum auctoritate emendavit. *Indigentia*, quam Cicero Tusc. IV, 9, 21. explicat *libidinem inexplebilem*, h. l. eos significat, qui inexplebili (honorum) libidine exagitantur, abstracto pro concreto posito, quemadmodum Fr. III, 82, 20. *iniuria* dicitur de iis, qui iniuriam faciunt.

19. Sane bonus ea tempestate contra pericula et ambitionem.

Dona gratiae sunt honores et imperia, populi gratiae debita, eoque plerumque *beneficia* dicta, ut monuimus ad Iug. c. LXXXV, 3. p. 444. Structuram *properare* verbi cum supino iuncti teligimus ad Fr. III, 82, 16. Igitur Fr. 17. et 18. Sallustius hoc fere dicit: *Intellego nobilitatem celebritatem nominis Pompeii saepe timentem: video homines insatiabili honorum cupidine summis imperiis inhiantes, Pompeioque novum honorem invidentes.* Quibus verbis fortasse haec subiecerit: *sed non quid hi cupiant, sed quid reipublicae utilitas postulet, vobis respiciendum est*, quo ducunt ea, quae Gabinium dicentem facit Dio Cass. XXXVI, 10. p. 92. Reim. *Οὐ γάρ που τοὺς σπουδαρχοῦντας, ἀλλὰ τοὺς ἐπιτηδείους προστάττειν τοῖς πράγμασι προσήκει.*

Fr. 19. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 129. ed. min. I, 39. p. 185, 10. Debr. I, 61.] Serv. ad Virg. Aen. I, 195. *Bonus* quum Servio notante hic idem sit atque *fortis*, relicua verba optime ostendunt, eum, qui fortem se praestiterit contra pericula et ambitionem, vix alium esse, quam Catulum, quum legem Gabiniam dissuaderet. *Pericula* enim Sallustius intelligit, quae rogatione illa *reipublicae* pararentur, novo atque inaudito imperio, quod ipsa dictatura multo maius esset, uni deferendo (cf. Plutarch. in Pomp. c. 25. *Ἀναγνωσθέντων δὲ τούτων ὁ μὲν δῆμος ὑπερφυῶς ἐδέξατο, τῆς δὲ συγκλήτου τοῖς μεγίστοις καὶ δυνατωτάτοις ἔδοξε μεῖζον μὲν φθόνου, φόβου δὲ ἄξιον εἶναι τὸ τῆς ἐξουσίας ἀπερίληπτον καὶ ἀόριστον.*), *ambitio* vero est *Pompeii*, qui, quamvis modestissimum se simularet, tamen nullis artibus parcebat, ut primus in civitate fieret, omnemque potentiam ad se raperet. Omnibus autem praeter senatum tam insano studio legi faventibus, ut, qui ei adversari auderent, in summum vitae periculum incurrerent (v. Dion. Cass. XXXVI, 7. p. 90. et c. 13. p. 94. Reim.), sane *bonus* fuit Catulus, qui in tali tempore intrepide, cur rogatio reiicienda esset, ostenderet. Neque negligendum, quod Sallustius dicit *ea tempestate*, quippe quo significet Catulum, qui unus esset ex paucis potentibus sibi valde invisis, alias haud sane bonum fuisse.

Fr. 20. [Cort. p. 997. Gerl. ed. mai. V, 8. ed. min. V, 7. p. 235, 10. Debr. V, 53.] Arus. v. *evenit*, p. 228. Lindem. *In* praepositionem, quae in vulgatis Sall. edd., excepta Gerlachiana utraque, deest, Arusiani praebent codd. Ambros. et Gud., certamque praestat lemma articuli. De eius vi in enunciatis intransitivum verbum habentibus v. annotata ad Catil. c. LI, 35. p. 256. Hand. de Partice. Lat. Vol. III. p. 269. §. 34. *Si quid humani evenisset* per euphemismum dictum pro *si occidisset*, quod alii scriptores eandem

20. Nam si in Pompeio quid humani evenisset.

rem tradentes aliter extulerunt. cf. Cic. p. l. Man. **20, 59.** *Q. Catulus quum ex vobis quaereret, si in uno Cn. Pompeio omnia ponerelis, si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri, cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, quum omnes una prope voce in ipso vos spem habituros esse dixistis.* Vellei. II, **32, 1.** *Q. Catulus quum dissuadens legem — adiecisset, si quid huic accideril, quem in eius locum substituitis? subclamavit universa concio Te, Q. Catule.* Valer. Max. VIII, **15, 9.** *Quum populus Romanus a Catulo pro rostris interrogaretur, si in uno Pompeio omnia reponere perseverasset, absumpto illo subiti casus incursu, in quo spem esset habiturus, summo consensu acclamavit, in te.* cf. Plutarch. in Pomp. c. **25.**

HISTORIARUM FRAGMENTA INCERTA.

1. Quum Sertorius neque erumpere tam levi copia navibus.

2. At Sertorius vacuus hieme augere copias.

Incertorum Fragmentorum nomine non omnia ea comprehendimus, *quae ex quo libro desumpta essent a grammaticis non indicatum est* (multa enim, quorum non nimis impeditus sensus esset, vel suo vel probabili certe loco exhibuimus); sed quae tam parum intellectui paterent, ut quo referenda essent, nullo pacto posset erui, in hanc quasi quandam appendicem totius operis congessimus. In quibus quoniam plerumque interpretationi non est locus, parum refert, quo ordine se excipiant. Ut tamen nimiae disiectorum membrorum confusioni aliquem certe modum statueremus, quae cognati viderentur argumenti in classes quasdam composuimus, quarum prima ea continet, quae ad *res bellicas* spectant.

Fr. 1. [Cort. p. 955. Gerl. ed. mai. I, 53. ed. min. I, 116. p. 198. 15. Debr. II, 7.] Verba a Serv. ad Virg. Aen. II, 564. valde corrupte sic afferuntur: *con Sertorios neque rumpor. et an Levi copiam avibus.* Divulsas litteras in ordinem reposuit Pulsehius, in eo tamen falsus, quod *erumperet* scripsit pro *erumpere.* Inconsultius idem Scriberio auctore hoc Fragmentum cum alio concinnavit, ab Arusiano v. *maturus*, p. 247. Lind. ex *primo* libro laudato (v. Fr. I, 115.). Sed licet id neque structura neque sensu cum his verbis coeat, omnes tamen editores haec duo alienissima bona fide pro uno Fragmento habentes primo libro inseruerunt. Sallustiano exemplo Servius utitur, ut probet *copiam* singulari numero pro *copiis* dici. Id non plane verum esse monuimus ad Catil. c. LVI, 1. p. 293., quamquam *copia* de militibus positum non *inconditam*, ut ibi diximus, sed *indefinitam* significat multitudinem; cf. Kraner. ad Caes. B. G. I, 48, 5.

Fr. 2. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 150. ed. min. III, 18. p. 216, 18. Debr. II, 106.] Porphyr. ad Horat. Epp. II, 2, 77. *Vacuus* dici videtur, cui adversarii non instarent, cui otium esset ab hostibus. Debrossius et Gerlachius, qui se scire simulant quo tempore atque loco hoc factum sit, unde hoc sciant ipsi nesciunt.

3. Cales civitas est Campaniae; nam in Flaminia quae est, Cale dicitur. Est et in Gallaecia hoc nomine, quam Sallustius a Perperna captam commemorat.

4. Speciem captae urbis efficere discedentes.

5. Ut res magis quam verba gererentur, liberos parentesque in muris locaverant.

Fr. 3. [Cort. p. 1011. Gerl. ed. mai. Inc. 206. ed. min. II, 16. p. 201, 16. Debr. III, 103.] Serv. ad Virg. Aen. VII, 728. Pro *Gallaecia* vulgo corrupte editur *Gallia*, quod dudum correxit Vossius ad Melam p. 186. *Cale* in Gallaecia sita fuit ad ostium Durii fluminis, ubi hodie est Oporto; cf. Forbiger. Geogr. antiq. Vol. III. p. 87. not. 2. Quando ea a Perperna capta fuerit, quoniam nullo pacto definiri potest (cf. Drumann. Hist. Rom. Vol. IV. p. 373. not. 95.), Fragmentum Incertis addendum fuit. Imperite Gerlachius, planissimis Servii verbis non intellectis, *Cales* pro *Cale* scripsit.

Fr. 4. [Deest apud Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 182. ed. min. Inc. 55. p. 238, 20. Debr. IV, 98. V, 40.] Serv. ad. Virg. Aen. VIII, 557. Gerlachius, qui Vol. III, p. 143. ad Cilices retulit, qui, quum per aliquod tempus Sinopen defendissent, de salute desperantes urbem direptam reliquerant, coll. Plutarch. in Lucull. c. 23, in., postea hanc opinionem nullis argumentis fultam abiecit. Nobis h. l. querela contineri videtur de *militibus*, qui amicam aliquam urbem tam male habuerant, ut captae et ab hostibus direptae similis videtur. Id malum quam late disseminatum fuerit, Cicero saepius testatur; cf. p. l. Man. 13, 38. *Utrum plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium urbes, an hibernis sociorum civitates esse deletas?* Id. Ep. ad Q. Fr. I, 1, 33. *Non ignoro, quid sociis accidat in ultimis terris, quum audierim in Italia querelas civium.* Id. in Pison. 35, 86. *Nonne, hiberna quum legato praefectoque tuo tradidisses, evertisti miseras funditus civitates?* Si cui tamen probabilius videtur haec de *fugitivis* dicta esse, qui de improviso urbem aliquam invaderent, eamque in modum vi captae urbis diriperent, non multum repugnamus.

Fr. 5. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 160. ed. min. III, 60. p. 219, 13. Debr. III, 42.] Schol. ad. Statii Theb. X, 573. Quoniam hoc Fragmento de oppidanis agitur, qui, ut cives suos, excursione facta ante portas cum hostibus pugnam conserentes, ad virtutem accenderent, liberos parentesque in muris collocaverant, praecedentia non possunt significare *ne vana verba forent*, ut Gerlachius vult Vol. III. p. 137., sed hunc sensum habent: *ut re ipsa* (i. e. propinquorum aspectu) *magis quam verbis incitamento ad virtutem*

6. Radicem montis excessit.

7. Paullulum requietis militibus.

8. Consedit in valle virgulta nemorosaque.

9. Ex parte cohortium praecipere instructa, et stationes locatae pro castris.

10. In secunda festinas cohortis composuerat.

11. Sed ubi tempore anni mare classibus patefactum est.

uterentur. Ubi, quando et a quibus res facta sit, frustra quaeras. Gerlachius tamen l. l.: „Recte, inquit, Debrossius Cyzicenos intelligit, qui, cum Mithridates captivos illorum cives in machinis et turribus alligandos curasset, ut animi oppidanorum suorum misericordia frangerentur, patriae amori suorum caritatem posthabuerunt. cf. App. de b. Mithrid. c. 73.“ At hoc non est intelligere, sed insanire.

Fr. 6. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 159. ed. min. Inc. 49. p. 238, 16. — Deest ap. Debr.] Schol. ad Statii Theb. III, 116. *Radicem m. excessil* significat *rad. m. praetergressus est*, sive *ultra radicem m. processit.*

Fr. 7. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 153. ed. min. Inc. 47. p. 238, 15. Debr, III. 89. IV, 95.] Serv. ad Virg. Ecl. VIII, 4. *Requiescere* quum etiam transitivum sit, *requietus* participium significat *requiete refectus;* cf. Liv. XLIV, 38, 8. *Nihilne interest, utrum militem requietum arma capere iubeas, an longo itinere fatigatum hosti obiicias.*

Fr. 8. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 152. ed. min. Inc. 46. p. 238, 14. Debr. II, 64. V, 35.] Serv. ad Virg. Aen. III, 516. *Virgultus* rarius adiectivum, ad analogiam vocis *pluvius* factum, significat *virgultis obsitus.*

Fr. 9. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 146. ed. min. III, 75. p. 220, 12. Debr. IV, 21.] Serv. ad Virg. Aen. XII, 661. Verba tam abrupta sunt, ut neque probabilem sensum eruas, neque utrum corrupta sint, necne, constituas. Putschius quidem locum ex coniectura sic scripsit: *ex parte cohortium praecipue instructa stationes locatae pro castris;* sed nobis ea non tam praeclara videtur, ut Gerlachio, qui in ed. min. in textum eam recipit, ad Spartacum referens, ex cohortibus melius armatis stationes disponentem.

Fr. 10. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 141. ed. min. Inc. 42. p. 238, 11. Debr. V, 17.] Serv. ad Virg. Aen. IX, 488. Fortasse

12. Repente incautos agros invasit.

13. Virtuti satis credebant.

14. Tergis vinciebant.

15. Neu quis miles neve pro milite.

16. Graviore bello, qui prohibituri venerant socii, frigere.

haec verba ita cohaeserunt cum Fr. II, 22. *Quis a Sertorio triplices insidiae per idoneos saltus positae erant: prima, qui fronte venientis exciperent: in secunda festinus cohortis composuerat.* Sed nimis incerta est haec coniectura, quam ut aliquid ei tribuendum putem.

Fr. 11. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 128. ed. min IV, 42. p. 228, 16. Debr. V, 39.] Serv. ad Virg. Aen. I, 146. De cuiusvis anni expeditione maritima haec dici potuisse vel coecus videat; Debrossius et Gerlachius, qui ad certa bella referunt, non viderunt.

Fr. 12. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 122. ed. min. III, 73. p. 220, 8. Debr. III, 78.] Serv. ad Virg. Georg. III, 469. Ad Spartacum retulit Gerlachius; sed verba quadrant in quemvis ducem.

Fr. 13. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. Inc. 89. p. 240, 6.] Serv. ad Virg. Ecl. II, 17. Quae leguntur Iug. c. CVI, 3. *Virtuti suorum satis credere*, quamquam valde similia sunt, tamen ab hoc Fragmento diversa videntur. Et potuit eadem sententia commode duobus locis adhiberi.

Fr. 14. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 117. ed. min. Inc. 35. Debr. IV, 40.] Serv. ad. Virg. Aen. IX, 412. *Tergis* Servius monet significare *tergoribus*, h. e. loris. Ridicule Debrossius censet de Cretensibus haec dicta esse, Romanos captivos vincientibus.

Fr. 15. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 115. ed. min. Inc. 34. p. 238, 3. Debr. III, 94.] Serv. ad Virg. Aen. II, 157. Verba sunt ex edicto quodam ducis, militibus suis aliqua re interdicentis. *Pro milite* vim habet substantivi nominativo positi, qua ratione dicitur *pro consule*, et similia. Ex Servio autem ad l. l. cognoscitur his verbis significari *evocatos*, i. e. stipendiis emeritis missos ac rursus ad arma excitatos, ubi liberiore disciplina quam iusti milites habebantur. Hanc ipsam ob caussam inter *militem* et *pro milite* distinguitur, quia hunc eodem iussu teneri voluit dux, ut illum.

Fr. 16. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 111. ed. min. Inc. 32. p. 238, 1. Debr. III, 17.] Donat. ad Ter. Hecyr. V, 1, 31. Verborum sensus reconditus hic est: quum bellum molestius et peri-

17. Exercitum maiorum more vortere.
18. Hostes oppressi aut dilapsi forent.
19. Apud latera certos collocaverat.
20. Profectus quidam Ligus ad requisita naturae.

culosius esset, socii, qui venerant ad illud prohibendum, remissiores et negligentiores fieri coeperunt. Quodnam vero illud bellum, aut qui socii intellegendi sint, parum liquet. — Non assecutus Gerlachius *graviore bello* esse ablativos absolutos (de qua structura cf. Fr. I, 10. III, 89. IV, 19, 1. IV, 64.), *frigere* autem significare *remisso studio esse*, *languere* (v. Ruhnken. ad Ter. Eun. II, 2, 37. et Interpp. ad Vellei. II, 73, 2.) Ciacconii coniecturam *fregere* Vol. III, p. 135. ita probat, ut simul *socios* scribi velit; in ed. min. tamen solum *fregere* expressit, substantivum plane omisit. Non minus perverse Debrossius scripsit *graviore bello*, *qui prohibituri erant*, *socios fregere*, verba sic mutata ad Fimbrianos referens Asiae urbes vexantes ac diripientes.

Fr. 17. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 102. ed. min. Inc. 88. p. 240, 5. Debr. II, 108. IV, 22.] Serv. ad Virg. Aen. V, 408. hoc Sallustii exemplo utitur, ut probet *vertere* aliquam rem idem esse atque *considerare*, quod neque in Virgilii locum, neque in Sallustiana verba quadrat. Quam vim verbum habeat, difficile dictu est in sententia abrupta; nam quod Wassius statuit idem esse atque *regere*, *ductare*, id neque cum notione verbi congruit, neque usu loquendi confirmatur. Gerlachius in ed. mai. *vertere* omisit, Vol. III. p. 132. vero relicua ex Iug. c. LV, 1. desumpta esse dicit. Utrumque falsissimum.

Fr. 18. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 13. ed. min. Inc. 11. p. 237, 8. Debr. V, 33.] Isidor. XVIII, 2, 7. Corp. Gramm. lat. Vol. III. p. 562. Lindem. Pro *dilapsi*, quod omnes Isidori codd. praebent, Cortius vitiose habet *delapsi*, Gerl. in ed. utraque *elapsi*.

Fr. 19. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 92. ed. min. Inc. 29. p. 237, 19. Debr. II, 115.] Serv. ad. Virg. Aen. I, 576. *Certi* h. l. sunt, quorum virtuti vel fidei dux satis confidere posset. Quare coniicias verba fuisse in descriptione pugnae, a Mithridate vel Tigrane cum Lucullo commissae.

Fr. 20. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 91. ed. min. III, 27. p. 217, 5. Debr. III, 109.] Pompei. Comment. in Donat. de barbar. et metaplasm. p. 440. ed. Lindem., cuius haec sunt verba: „Fit cacophaton in sensu, cum aliquid turpitudinis, quod non convenit nisi histrionibus vel satyricis, ab historiographo vel prudenti narratur, unde Sallustius: *profectus quidem Ligus ad requisita naturae.*“ Tria postrema verba laudat etiam Quintil. VIII, 6, 59. ad

21. More equestris proeli sumptis tergis atque redditis.

22. Regressi ad faciliores ictus loco cedebant.

23. Impediebant iussa nautarum.

illustrandum, quod illo loco praecipit: „Circuitus loquendi nonnunquam necessitatem habet, quoties dictu deformia operit.“ Ex his igitur patet verba *ad requisita naturae* significare *ad alvum exonerandum*, qua formula etiam usus est, qui Sallustium interdum imitatur, Ammian. Marcell. XXIII, 6, p. 383. ed. Vales. *Nec stando mingens, nec ad requisita naturae secedens facile visitur Persa; ita observantius haec aliaque pudenda declinant.* Relicua, quae Sallustius de illo Ligure narravit, densissimis obtecta sunt tenebris, quas frustra dispellere coneris. Nihilominus Debrossius odoratus est Ligurem in illa profectione transitum Borae montis in Thracia detexisse, eamque ob caussam a Curione (v. Fr. III, 54.) laudatum esse. Quod quamquam est ineptissimum, tamen haud scio an multo sit ineptius, quod Gerlachius Vol. III. p. 131. dicit „hanc coniecturam eo firmari, quod verba iis, quae in Iug. c. XCIII, 2. leguntur, sint simillima.“

Fr. 21. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 85. ed. min. Inc. 26. p. 237, 17. Debr. V, 31.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 619. Haec in pugnae alicuius descriptione contra Mithridatem vel Tigranem commissae fuisse haud difficilis coniectura. Novo modo Sallustius dixit *terga sumere atque reddere* pro *insequi et rursus fugere*, utrumque repetens a vulgatis locutionibus *terga dare* vel *praebere* (v. Drakenb. ad Liv. XXXVI, 38, 4.); quemadmodum enim, qui fugit, ipse terga *dat* sc. *feriendo persequenti*, ita, qui persequitur, fugientis terga sibi data *sumit*, atque ubi ipse ex persequendo in fugam se convertit, terga *reddit*. De hoc genere pugnae cf. Iug. c. LIX, 3. *Numidae non, ut equestri proelio solet, sequi, dein cedere, sed adversis equis concurrere.* Liv. XXXI, 35, 3. v. etiam Fr. Inc. 89.

Fr. 22. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 85. ed. min. Inc. 27. p. 237, 18. Debr. V, 31.] Serv. ad Virg. Aen. IX, 749. Verba eiusdem sane argumenti ut Fr. 21., sed ex alio loco petita, Douza male cum superiore Fragmento conglutinavit, solus Gerlachius in ed. min. rursus seiunxit, quum in mai. *regressi*, quo melius alienae partes inter se coirent, delevisset.

Fr. 23. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 76. ed. min. III, 52. p. 218, 23. Debr. III, 49.] Serv. ad Virg. III, 128. Quantum ex eius verbis colligitur, *iussa* sunt *admonitiones* sive *cohortationes*.

24. Quae pacta in conventione non praestitissent.

25. In nuda iniecta corpora.

26. Non repugnantibus modo, sed ne deditis quidem. a. b. c. m.

27. Ita sperat illam pugnam pro omine belli futuram.

28. Ubi multa nefanda casu super ausi atque passi.

Fr. 24. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 53. ed. min. Inc. 24. p. 237, 15. Debr. I, 80.] Donat. ad Ter. Eun. III, 2, 13. Quae conventio intelligatur, quidve ea pactum fuerit, non liquet. Unde rescierit Debrossius Lepidi esse haec verba de periurio se excusantis, ne Gerlachius quidem scit.

Fr. 25. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 37. ed. min. Inc. 21. p. 237, 14. Debr. III, 40. IV, 53.] Diomed. II. p. 442. Putsch. Subiectum haud dubie fuit *tela; nuda corpora* sunt *inermia*, sive *scutis non tecta*, de qua vocis potestate v. ad Iug. c. CVII, 1. p. 577. *Iniecta* certissimae Carrionis emendationi debetur; apud Diomedem enim legitur *intecta*, quod Gerlachius pingui Minerva in ed. min. reposuit, putidissimam parum curans tautologiam.

Fr. 26. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 35. ed. min. I, 22, p. 184, 15. Debr. I, 31.] Donat. ad Ter. Phorm. I, 2, 48. Abrupta verba et ambiguitate structurae magis etiam obscurata non pro ablativis habeo, sed pro dativis ex verbo *pepercerunt* vel *parsum est* pendentibus; *repugnantes* enim sunt *resistentes*, *armis adhuc pugnantes*, quibus *dediti* opponuntur, nulla amplius arma gerentes. Praedicato autem eodem utrique membro negativo communi *non — modo* positum pro *non modo — non*, de quo usu v. Grammat. lat. nostr. §. 139, 6. additam. 4. p. 464. De urbe aliqua vi capta, in cuius cives crudeliter a victoribus saeviretur, hic sermonem esse valde est probabile; sed quid singulis litteris *a. b. c. m.* significetur, nullo modo erui potest. Nobis enim tam felicibus esse non licet, ut cum Gerlachio fruamur Debrossii invento *atrocis belli clades metuentibus*, quae verba cum relicuis spectare vult ad Scipionis, a. 83. a. Chr. n. consulis, milites, ad Sullam defecturos.

Fr. 27. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 31. ed. min III, 61. p. 229, 20. Debr. III, 88. V, 14.] Serv. ad Virg. Aen. I, 456. verba sic affert: *ita sp. p. illam pro omni bello futuram.* Ad X, 311. vero habet: *pugnam illam pro omine belli futuram.* Quae quoniam laudat ad Virgilianum *omen pugnae* illustrandum, eo patet *omine belli* non videri emendandum, ut Gerlachius Vol. III. p. 125.

29. Quo cupidius in ore ducis sese quisque bonum et strenuum ostentantes.

30. Atque eos a tergo incurrerunt.

31. Togam paludamento mutavit.

32. Pressi undique multitudine.

33. Exercitum argento fecit.

dicit, sed certissimam esse scripturam. Priore autem loco quoniam ad notionem vocis *belli* constituendam utitur exemplo „bellum Mithridaticum", eo non certum quidem sed tamen probabile fit, de Lucullo haec valere, ex prima pugna totius belli eventum augurante.

Fr. 28. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 27. ed. min. III, 27. p. 227, 24. Debr. IV, 54.] Priscian. XIV, 4, 40. p. 602. Kr. *Nefanda* Gerlachius recte scripsit pro *nefande*, quod et in vulgatis Sall. edd. et in Krehliana Prisciani exstat; male vero idem *casu* in *casus* mutavit, quo sententia plane pervertitur. *Casu super* est *praeter ea, quae casu accidebant.* Verba accipienda sunt de miseriis oppidanorum obsidione graviter pressorum, fortasse Calaguritanorum, de quibus v. Fr. III, 7. Cur autem cum Debrossio de Heraclea potissimum cogitemus, quamquam ea urbs teste Memnone apud Phot. cod. 224. p. 237. a. Bekk. multa nefanda passa est, nihil est quod vel cogat vel suadeat.

Fr. 29. [Cort. p. 1003. Gerl. ed. mai. Inc. 25. ed. min. II, 53. p. 203, 27. Debr. II, 135.] Serv. ad Virg. Aen. X, 370. et Isidor. IX, 3, 22. p. 298. Lind., qui tamen tres postremas voces non habet. De quovis duce Romano haec dici potuisse in promptu est; ex lubidine igitur Debrossius et Gerlachius Metellum significari statuunt.

Fr. 30. [Cort. p. 1002. Gerl. ed. mai. Inc. 22. ed. min. Inc. 13. p. 237, 10. Debr. III, 74.] Rufinian. de schem. lex. §. 33. p. 254. ed. Ruhnk. *Incurrere aliquem* dictum ut *invadere aliquem* idonea analogia nititur, quamquam usitatius est *incurrere in aliquem* vel *alicui;* cf. Duker. ad. Liv. XXVIII, 16. 4. Sall. Iug. CI, 8.

Fr. 31. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 15. ed. min. I, 47. p. 190, 3. Debr. I, 76.] Isidor. XIX, 24, 9. p. 604. Lindem., Schol. ad Iuvenal. VI, 400. et Serv. ad Virg. Georg. I, 8. Verborum sensum iam Putschius recte vidit hunc esse: „a pace ad bellum migravit; togis enim in pace utebantur Romani, ubi bellum advenerat paludamentis." Ad Lepidum bellum civile moventem refert Debrossius et Gerlachius, quod parum probabile.

Fr. 32. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 80. ed. min. Inc. 1. p. 237, 2. Debr. I, 87.] Donat. ad Ter. Adelph. III, 2, 5.

34. Lusitaniae gravem civitatem.

35. In Hispaniam vorsus.

36. Ille Conisturgim apud legiones venit.

37. Iam repente visus saevire Tagus.

Fr. 33. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 14. ed. min. I, 48. p. 190, 4. Debr. I, 71.] Senec. Ep. 114. Usum *facere* verbi, quem Seneca in Sallustio ut singularem notat, Cortius Ciceroni aliisque scriptoribus non insolitum esse his exemplis demonstravit: Cic. in Verr. V, 30, 77. *Si (praedonum dux) aliquam manum contra populum Romanum facere potuisset, quid diceres?* Id. Phil. V, 16, 44. *Caesar princeps exercitus faciendi et praesidii comparandi fuit.* Flor. III, 19, 6. *Eunus iure belli refractis ergastulis sexaginta amplius millium fecit exercitum.* v. ad Fr. I, 45, 26.

Quae sequitur altera classis *Incertorum* Fragmentorum ea complectitur, in quibus *locorum* atque *gentium* mentio fit.

Fr. 34. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 145. ed. min. III, 17. p. 216, 16. Debr. II, 26.] Serv. ad Virg. Aen. XII, 458. *Civitatem gravem* Serv. explicat *fortem*; rectius fortasse fuerit *validum, opibus valentem.* Ad Sertorianum bellum spectare hoc et tria proxima Fragmenta facile perspicitur, praeterea nihil.

Fr. 35. [Deest apud Cort. et Debr. — Gerl. ed. mai. Inc. 177. ed. min. Inc. 53. p. 238, 19.] Priscian. de XII. vers. Aen. c. 13. p. 357. Kr.

Fr. 36. [Deest apud Cort. et Debr. — Gerl. ed. mai. Inc. 176. ed. min. Inc. 52. p. 238, 18.] Pompei. Comment. in Art. Don. p. 395. ed. Lindem. *Conisturgim* urbem commemorat etiam Appian. Hispan. c. 57. p. 169. ed. Schweigh. *Λυσιτανῶν δ' οἱ ἐπὶ θάτερα τοῦ Τάγου — Κουνέους ἐπόρθουν, οἳ Ῥωμαίοις ἦσαν ὑπήκοοι καὶ πόλιν αὐτῶν μεγάλην εἶλον Κονίστοργιν.* Eam vitiose *Conistorsim* appellat Strabo III. p. 209. A. ed. Almel. *Ἐν δὲ τοῖς Κελτικοῖς Κονίστωρσις ἐστὶ γνωριμωτάτη.* Ceterum cave putes Sallustium dixisse *venit apud legiones*, quod prorsus soloecum est. Tamen nihil subest vitii, sed iusta constructione locus expediendus. Verbum enim tantummodo pertinet ad *Conisturgim*, cui nomini quae additae sunt voces, loci modo habent definitionem; *apud legiones* enim adverbialiter positum significat *in vicinia legionum*, i. e. ratione inversa, in cuius vicinia legiones castra habebant. *Ille* Sertoriusne sit, an Metellus, an alius quis, constitui nequit.

Fr. 37. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 142. ed. min. III, 16. p. 216, 16. Debr. IV, 29.] Serv. ad Virg. Aen. X, 103. Vulgo editur *Tagums* (v. ad Fr. II, 28.), quae forma neque analogia neque

38. Aenum et Maroneam et viam militarem.

39. *[Sallustius vanos Mauros et]* ferocis Dalmatas *[pulsat.]*

40. Ostia.

auctoritate codd. nititur. Quando res facta sit, et quo consilio ab auctore narretur, soli Debrossio et Gerlachio, ut scirent, contigit.

Fr. 38. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 75. ed. min. III, 26. p. 217, 4. Debr. I, 102.] Serv. ad Virg. Aen. III, 17. *Aenus* (*Αἶνος*) et *Maronea* (*Μαρώνεια*) notissimae urbes sunt Thraciae; cf. Mela II, 2. Ammian. Marc. XXII, 8. p. 307. Vales. Liv. XXXI, 16, 4. Plin. H. N. IV, 18. *Via militaris* est, quae dicitur *via Egnatia*, nomen habens ab *Egnatia*, Italiae urbe maritima Dyrrhachio exadversum sita. Initium capit a Dyrrhachio, et per Epirum, Macedoniam et Thraciam extenditur usque ad Byzantium, potiores attingens urbes Lychnidum, Heracleam, Edessam, Pellam, Thessalonicam, Amphipolim, Philippos, Maroneam, Aenum, Perinthum, Selymbriam. Verba utrum in *primo* libro fuerint de Appii Claudii expeditione Macedonica et Thracia, an in *secundo* de Curionis, an in *tertio* de M. Luculli expeditionibus per easdem terras factis, dici non potest.

Fr. 39. [Cort. p. 1012. Debr. I, 98. — Deest apud Gerl. ed. mai. et min.] Tertullian. de anima. p. 313. De *Dalmatis* egisse Sallustium consentaneum est in narratione de Appii atque Curionis expeditionibus in Macedonia et conterminis terris factis; quare verba vel ex I. vel ex II. libro sunt. — De *Maurorum vanitate* locus exstat in ipsis Fragmentis I, 63.

Fr. 40. [Deest apud Cort. et Gerl. ed. mai. — ed. min. IV, 84. p. 230, 20. Debr. II, 81.] Charis. I, 18, 11. p. 55. Lind. (p. 76. Putsch.) quum tradat Sallustium hoc urbis nomen, quod vulgo femininum singularis numeri est, frequenter plurali numero posuisse, hoc voluit, Sallustium dixisse *Ostia*, *Ostiorum*, quemadmodum etiam Strabo V. p. 350, B. p. 354, A. Almelov. dixit *τὰ Ὦστία*. Hanc rem planissimam tam parum intellexit Gerlachius, ut coniiceret formam nominis apud Sall. fuisse *Ostiae*, *Ostiarum*. Debrossius in narratione de piratis eam urbem memoratam esse coniicit, quod valde probabile est; sed de libro, quem ille secundum esse putat, nihil potest affirmari. cf. Cic. de imper. Cn. Pomp. c. 12, 33. Dio Cass. XXXVI, 5.

Sequuntur Fragmenta tertiae classis, quibus de *persona* aliqua ita agitur, ut vel ipsa plane incerta sit, vel, quo libro de ea dictum fuerit, ad liquidum perduci nequeat.

41. *[Lenaeus Sallustium, quod]* Pompeium oris improbi, animo inverecundo *[scripsisset, acerbissima satira lacceravit.]*

Fr. 41. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 6. ed. min. II, 20. p. 201, 21. Debr. V, 44.] Sueton. de illustr. gramm. c. 15. *Os improbum* Pompeii concoquere interpretes non potuerunt, quia alii scriptores plane contrarium in eo laudant, velut Plin. H. N. VII, 10. *Magno Pompeio Vibius quidam e plebe et Publicius etiam servitute liberatus indiscreta prope specie fuere similes, illud os probum redulentes ipsumque honorem eximiae frontis.* Id. ib. XXXVII, 2. *Imago Cn. Pompeii e margaritis, illa regio honore grata, illius probi oris verecundique per cunctas gentes, illa inquam ex margaritis, severitate victa et veriore luxuriae triumpho.* Seneca Ep. 11. *Nihil erat mollius ore Pompeii: nunquam non coram pluribus erubuit.* Ut autem in Plinii locis *illud* pronomen (de cuius vi cf. Grammat. lat. nostr. §. 21, 6. addit. c. p. 301) ostendit vulgo celebratum fuisse Pompeii os probum, ita dubium non est, quin Sallustius hac ipsa laude Pompeii, quippe quem odisset, offensus falsamque eam habens, de industria eum dixerit oris improbi, animo inverecundo, quae ipsa caussa fuit, ut Lenaeus tantopere ei irasceretur. *Improbum os* haud dubie illi tribuit ob summam eius simulantiam atque falsitatem, qua per totam vitam utebatur, ita ut semper aliud ore prae se ferret, aliud mente reconditum agitaret; cf. Coel. in Cic. Epp. ad Famm. VIII, 1, 7. *Solet Pompeius aliud sentire et loqui, neque tantum valere ingenio, ut non appareat, quid cupiat.* Cic. Epp. ad Attic. IV, 15, 7. *Pompeius fremit, queritur, Scauro studet: sed utrum fronte an mente, dubitatur.* Plutarch. in Pomp. c. 30, extr. *Αὐτὸς δὲ δεξάμενος τὰ γράμματα καὶ πυθόμενος τὰ δεδογμένα* (sc. perlatam legem Maniliam), *τῶν φίλων παρόντων καὶ συνηδομένων, τὰς ὀφρῦς λέγεται συναγαγεῖν καὶ τὸν μηρὸν πατάξαι καὶ εἰπεῖν ὡς ἂν βαρυνόμενος ἤδη καὶ δυσχεραίνων τὸ ἄρχειν· Φεῦ τῶν ἀνηνύτων ἄθλων, ὡς ἄρα κρεῖττον ἦν ἕνα τῶν ἀδόξων γενέσθαι, εἰ μηδέποτε παύσομαι στρατευσόμενος, μηδὲ τὸν φθόνον τοῦτον ἐκδὺς ἐν ἀγρῷ διαιτήσομαι μετὰ τῆς γυναικός. Ἐφ' οἷς λεγομένοις οὐδ' οἱ πάνυ συνήθεις ἔφερον αὐτοῦ τὴν εἰρωνείαν, γινώσκοντες ὅτι τῆς ἐμφύτου φιλοτιμίας καὶ φιλαρχίας ὑπέκκαυμα τὴν πρὸς Λεύκολλον ἔχων διαφορὰν μειζόνως ἔχαιρεν.* *Inverecundia*, plerumque cum simulantia coniuncta, intelligitur a Sallustio insatiabilis potentiae cupiditas et arrogantia, qua erat Pompeius in omnes, qui ipsi displicerent. His igitur, quibus codicum scriptura satis defenditur, non consideratis editores plerique

42. Inter arma civilia aequi boni famas petit.

43. Ex insolentia avidus malefaciundi.

44. In quis longissumo aevo plura de bonis falso in deterius composuit.

Douzae coniecturam *oris probi* receperunt, quam insulsissime defendit Gerlachius Vol. III. p. 117.

Fr. 42. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 10. ed. min. I, 42. p. 185, 12. Debr. I, 63.] Seneca Ep. 114. *Aequum et bonum* vel *aequum bonum* (v. Gramm. lat. nostr. §. 139, 4. bb. additam. 2. c. p. 459.), scripto iuri oppositum (cf. Cic. Brut. c. 39, 145.) significat id, quod sensu hominibus innato iustum cognoscitur, sive naturalis aequitas. cf. Fr. I, 51, 17. et Iug. c. XV, 3. *Famae* pro *fama* habetur etiam Fr. I, 66. Catulum intelligendum censent Debrossius et Gerlachius. Ego, quis intelligatur, nescio.

Fr. 43. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 116. ed. min. I, 79. p. 196, 10. Debr. III, 82.] Serv. ad Virg. Aen. IX, 343. Nullius moribus haec melius conveniunt, quam P. Clodii, de quo Plutarchus in Lucull. c. 34, in. *Πόπλιος*, inquit, *Κλώδιος, ἀνὴρ ὑβριστὴς καὶ μεστὸς ὀλιγωρίας ἁπάσης καὶ θρασύτητος.* Id in Cicer. c. 28, in. *Ἦν Κλώδιος τῷ φρονήματι θρασὺς καὶ αὐθάδης.* De eius nequitia plurima Ciceronis exstant testimonia, velut de Harusp. resp. c. 26, 55. *Est ille plenus inconsiderantissimae ac dementissimae temeritatis.* Vell. II, 45, 1. *P. Clodius homo — audax, qui neque dicendi neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum.*

Fr. 44. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 148. ed. min. III, 4. p. 215, 25. Debr. IV, 61.] Serv. ad Virg. Ecl. VIII, 27. *Falso* de coniectura scripsimus pro *falsa*, ut apud Serv. et in Sall. edd. est. *In deterius enim componere* quum sit rem ita componere, ut minus bona videatur, quam re vera est, *falsa in deterius componi* nequeunt. *Falso* adverbium locutioni additum abundat quidem, sed analogia aliarum dictionum satis sustentatur, de quibus v. Gramm. lat. nostr. §. 160, 4. d. p. 609 sq. *Componere* verbum autem quum indicio sit de historico aliquo hic dici, nobis circumspicientibus, cui viro verba *longissimo aevo* maxime convenirent, nata est suspicio Sallustium hoc loco agere de M. Porcio Catone eiusque Originibus, quas paucis ante mortem mensibus quinque et octoginta annos natus absolvit (v. Cic. Brut. c. 20, 80. et c. 23, 89.), extremis libris sui temporis historiam complexus. Pro severo autem et tetrico ingenio suo et quadam morum severitate, qui a Livio XXXIX, 40, 10. dicatur *asperi procul dubio animi et linguae acerbae*, et in Epit. libri XLIX. *vir promptioris ad vituperandum linguae*, acre ibi de multis iudicium exercuit, non solum de malis pravisque, sed etiam de bo-

45. Modico quoque et eleganti imperio percarus fuit.

46. Communem habitum transgressus.

47. Atque ipse cultus rei.

48. Nam Sullae dominationem queri non audebat.

nis, plura de iis iniquius tradens, et facta eorum neutiquam vituperanda in deterius accipiens. Quodsi haec coniectura non a verisimilitudine abhorret, Sallustius eo prooemii loco, quo de prioribus rerum scriptoribus egit, (Fr. I, 2.) Originum Catonis videtur ita instituisse censuram, ut nimiam eius acerbitatem, interdum ad iniquitatem progressam, vituperaret, licet eius dicendi genus summis efferret laudibus. Ineptissime Debrossius hunc locum sane obscurissimum de antiquis explicat fabulis de freto siculo, *longissimum aevum* opinatus significare *remotissimam antiquitatem*, neque curans quid in hac sententia sit *de bonis*, aut quomodo verba *plura falsa* cum his cohaereant. Vix melior censenda est Gerlachii coniectura, qui Vol. III. p. 136. *orationes* L. Quintii tribuni plebis (de quo v. Fr. III, 82. init. et §. 11.) intelligendas putat, *in quibus longissumo aevo plura de bonis falsa in deterius composuerit.*

Fr. 45. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et min. et Debr.] Schol. Lucani ad VII, 267. ed. Weber. p. 533. Fragmentum, quod recens accedit, vix explicabile; nam quid sit *elegans imperium*, et cuius id fuerit, equidem nescio. Quum in cod. Voss. 2. sit *immodicoque*, inde coniicias fuisse *in modico quoque* etc., quod ad sensum quidem non melius, ad constructionem paullo planius est.

Fr. 46. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 9. ed. min. Inc. 9. p. 237, 7. Debr. IV, 26.] Priscian. XIV, 3, 28. p. 596. Si *habitus* h. l. *staturam* significat, verborum sensus est: *vulgarem magnitudinis modum excedens*, quod commode ad Mithridatem referri potest, coll. Fr. II, 56.

Fr. 47. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 125. ed. min. Inc. 37. p. 238, 5. Debr. V. 15.] Acro. ad Horat. Sat. II, 2, 66. Quomodo editores intellexerint haec verba, assequi non possumus, neque multum refert in summa Fragmenti brevitate. Hoc tamen monendum videtur, *rei* non esse genitivum *res* vocis, sed *reus* substantivi, unde coniicias de accusato aliquo dici, qui non, ut mos erat, sordidatus prodiret, sed cultum ostenderet.

Fr. 48. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 113. ed. min. I, 37. p. 185, 7. Debr. I, 46.] Arus. v. *queror*, p. 257. Lindem. Sine verbis *queri non* locum habet etiam Donat. ad Ter. Phorm. II, 3, 24., quemadmodum vulgo in Sall. edd. legitur. v. ad Fr. seq.

49. Neque est offensus dominatione Sullae.

50. Multos tamen ab adulescentia bonos insultavit.

51. Pactione amisso Publio legato.

52. Tyrannumque et Cinnam maxima voce appellans.

Fr. 49. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 114. ed. min. I, 36. p. 185, 6. Debr. I, 55. I, 62.] Donatus ad Ter. Phorm. II, 3, 24. haec verba ita laudat, ut appareat ea paucis tantum interiectis a superiore Fragmento disiuncta fuisse, ad eundemque hominem spectasse. Pro *dominationem*, quod vitiose apud Donatum legitur, Gerlachius tandem in ed. min. recte scripsit *dominatione*, quum Vol. III. p. 134. perversissimis quibusque de constituenda lectione prolatis solam Debrossii coniecturam *neque est defessus dominationem Sulla* ferri posse pronunciasset. De quo loquatur Sallustius, valde incertum; fortasse perstringit Pompeium, qui immodica potentiae cupiditate exagitatus parem neminem ferre volebat, quamquam olim Sullae dominationem neque queri ausus erat, neque ea fuerat offensus.

Fr. 50. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 87. ed. min. I, 45. p. 190, 2. Debr. I, 65.] Donat. ad Ter. Eun. II, 2, 54. verba sic laudat, ut edidimus. Serv. ad Virg. Aen. IX, 634. *multos a pueritia b. insultaverat.* Idem ad X, 643. *mult. ab adolesc. b. insultaverat*, quae discrepantiae inde repetendae sunt, quod locum memoriter attulit. *Tamen* particula a Servio male omissa ostendit haec de viro dicta esse, quem fama meliorem celebrabat, quam re vera esset. Eum esse Pompeium ut demonstrari nequit, ita non videtur improbabile; cf. Drumanni Hist. Rom. Vol. IV. p. 543—546.

Fr. 51. [Cort. p. 1005. Gerl. ed. mai. Inc. 71. ed. min. Inc. 3. p. 237, 3. Debr. V, 2.] Donat. ad Ter. Phorm. I, 2, 91. *Publium legatum* esse Clodium, qui Lucullo legatus erat, dubitari nequit, et iam vidit Debrossius. Imperite igitur Gerlachius in utraque ed. scripsit *Publico. Amisso* Donatus l. l. interpretatur *dimisso*; proprie enim *amittere* pariter ut *ablegare* quasi est *a se mittere*, *a* praepositione remotionem ab aliquo loco, vel re, vel persona designante; cf. Ruhnken. ad Ter. Andr. V, 3, 27. De *pactione* non constat.

Fr. 52. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 56. ed. min. I, 18. p. 184, 8. Debr. I, 25. I, 94.] Serv. ad Virg. Aen. IV, 214. Idem ad I, 5. tantummodo habet *tyrannumque et Cinnam*: — Victorinus vero ad Cic. de Invent. I. p. 70. Orell. *tyrannumque et Cinnam appellantes*, quemadmodum in Sall. edd. omnibus est. Sed Servii potiorem esse auctoritatem, tum ex pleniore Fragmenti forma intelligitur, tum ex eo, quod haec praemittit: „probrosis, non lenibus verbis veteres

53. Equo atque armis insignibus.

54. Pyrrhus interemptus fuit in aede Dianae a quadam muliere *[Trogo, Sallustio et Lucceio auctoribus.]*

55. Staphylus primus docuit vinum aqua misceri. *[C. Plinius et Sallustius auctores sunt.]*

convicia dicebant." In altercatione aliqua haec verba fuisse luce clarius est. Perquam sagaciter igitur Linkerus in Comment. de Praefecto urbis feriarum Latinarum p. 7. (Commentt. Academ. scient. Vindobon. Classis philosoph. hist. Vol. X. a. 1853.) suspicatur Catulum his verbis in Lepidum invectum esse, quum in ipso Sullae funere gravissimis conviciis se insectarentur, coll. Appiano de B. C. I, 107. *Ἀπὸ δὲ τῆς πυρᾶς χωροῦντες εὐθὺς οἱ ὕπατοι λόγοις βλασφήμοις ἐς ἀλλήλους διεφέροντο, καὶ τὸ ἀστυκὸν ἐς αὐτοὺς διῄρητο*, ad quam rem respexit etiam Florus III, 23, 1. (II, 11. Jahn.) *Quantulacunque fax illius motus ab ipso Sullae rogo exarsit?* Tyrannum Catulus appellat Lepidum, quod vi et per insolentiam Sullae acta rescindere parabat; cui quum ante decem annos Cinna similiter adversatus esset, civitati maximarum cladum auctor, facile patet quantam invidiam haberet Cinnae nomen Lepido impositum. A Sullae morte quum Lepidi turbae inciperent, Fragmentum inter I, 45. et 46. collocandum erat.

Fr. 53. [Cort. p, 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 89. ed. min. Inc. 28. p. 237, 19. Debr. II, 65. II, 126. IV, 46. V. 29.] Serv. ad Virg. Aen. X, 539. Pro *equo* in omnibus Sall. edd. sine idonea caussa et nulla auctoritate legitur *equis*.

Fr. 54. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. III, 94. p. 224, 8.] Caecil. Apulei. de orthogr. §. 16. ed. Osann. haec ita laudat, ut non ipsa Sallustii verba referre eum appareat. Nihil autem ex hoc Fragmento colligi potest, quam Sallustium alicubi obiter Pyrrhi mortis mentionem iniecisse; Gerlachii enim sententia (Vol. III. p. 146.), id factum esse „in descriptione Italiae inferioris, ubi de fugitivis expositum est," memini facile probabitur. De Pyrrhi morte, Argis a muliere lapidis ictu interfecti, v. Plutarch. in Pyrrh. c. 34. Iustin. XXV, 5, 1.

Fr. 55. [Deest apud Cort., Gerl. ed. mai. et Debr. — Gerl. ed. min. III, 92. p. 224, 6.] Caecil. Apulei. de orthogr. §. 12. ed. Osann. Hoc quoque Fragmentum magis rem a Sallustio obiter memoratam, quam eius verba continet, quae potius congruunt cum Plinio H. N. VII, 57.

Fr. 56. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 140. ed. min. III, 73. p. 220, 9. Debr. III, 75.] Serv. ad Virg. Aen. VIII, 278. In summa

56. Hi sunt, qui secundum pocula et alias res aureas diis sacrata instrumenta convivio mercantur.

57. Nam talia incepta, ni in consultorem vortissent, reipublicae pestem factura.

verborum obscuritate difficillimum est verum aut certe probabilem sensum eruere, praesertim quum ne scriptura quidem mendo carere videatur. Neque tamen cum Gerlachio Vol. III. p. 135. vitium in *secundum* particula quaero, sed in *mercantur* verbo, quod ex *mercantur* puto corruptum. Verba enim videntur hominis, sive is auctor ipse est, sive alius, quem loquentem inducit, incusantis quorumdam improbitatem et luxuriam, qui sacra vasa mercabantur, ut in conviviis iis uterentur. Quae diis sacrata instrumenta quoniam non nisi ab iis, qui ea rapuerant, emi poterant, fortasse intelligendi sunt, quos non pudebat ex fugitivorum praedationibus lucrum quaerere ab iisque raptas res mercari. Sed nihil tribuo huic coniecturae, quae quam incerta sit ipse probe intelligo. *Secundum*, quod Gerlachio offensionem praebuit, quum valeat *praeter*, sententia fere haec est: hi sunt, qui *non solum* pocula et alias res aureas, *sed etiam* diis sacrata instrumenta convivio mercantur.

His Fragmentis, quae ad personas spectant, subiungimus *quartam* classem eorum, quae de rebus urbanis explicanda videntur.

Fr. 57. [Deest apud Cort. — Gerl. ed. mai. Inc. 185. ed. min. Inc. 57. p. 238, 22. Debr. V, 57.] Donat. ad Virg. Aen. I, 37. habet *nam talia incepta consultorem* etc. Idem ad Aen. IV, 316. *nam talia incepta ni inconsulto revertissent* etc., unde facile prodit vera scriptura, quam praeeunte Linkero de Praef. urb. Ferr. latt. p. 21. exhibuimus. Gerlachius in ed. mai. priorem Donati lectionem secutus in minore de coniectura sua scripsit *in consultorem*; Debrossius dissolute dedit *n. tal. inc. non cons. vortissent, rerum pestem factura.* Quum dici nequeat *factura* infinitivus sit, an verbum aliquod finitum velut *erant* vel *videbantur* a grammatico omissum sit, non liquet utrum verba ipsius Sallustii sint, an sententiam alicuius viri contineant. In re obscura minime mihi probatur Linkeri suspicio l. l. proposita, ex Catuli aliqua epistola ad senatum, quam Sallustius Historiis inseruerit, Fragmentum esse petitum. Nam quod de illa epistola affert auctoritatem Frontonis p. 178. ed. Rom. (p. 122. ed. Mediol.), neque dicitur eo loco apud Sallustium illam legi, et multis de caussis probabile est in Historiis relatam non fuisse. Ceterum eandem verborum structuram habet etiam Tacit. Ann. XI, 37, 1. *Ni caedem (Messalinae) Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem.* De sententia ipsa cf. eund. ib. VI, 10, 2. *Laetius acceptum, sua exempla in consultores recidisse.* Sall.

58. Quae causa fuerat novandis rebus.
59. Ad mutandum modo in melius servitium.
60. Genua patrum advolvuntur.
61. Cui nisi pariter obviam iretur.
62. Ergo senati decreto serviundumne sit.
63. More humanae cupidinis ignara visundi.

Hist. Fr. I, 51, 1. *Maxume vellem prava incepta consultoribus noxae esse.*

Fr. 58. [Cort. p. 1009. Gerl. ed. mai. Inc. 158. et min. I, 15. p. 184, 5. Debr. I, 17.] Serv. ad Virg. Aen. IV, 290. ubi poeta iisdem verbis usus est: *quae sit rebus causa novandis dissimulent.* Ad seditiones Gracchanas referunt Debrossius et Gerlachius. Id fieri posse facile largimur, sed in toties repetito rerum novandarum studio res incertissima est.

Fr. 59. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 136. ed. min. III, 71. p. 220, 7. Debr. III, 71. III, 146.] Serv. ad Virg. Aen. I, 281. De gladiatoribus Capuae ex ludo erumpentibus intelligit Debrossius, assentientem nactus Gerlachium in ed. min.; sed parum credibile, illos fugam ausos esse, ut servitium modo mutarent. Mihi verba vel tribuni alicuius vel ipsius Sallustii esse videntur de perfidia senatus vel nobilium querentis, quippe quorum consiliis, licet plebi speciose aliquid concederetur, non tolleretur eius servitium, sed modo in melius mutaretur.

Fr. 60. [Cort. p. 1008. Gerl. ed. mai. Inc. 131. ed. min. Inc. 39. p. 238, 7. Debr. I, 36. IV, 14.] Serv. ad Virg. Aen. I, 307. Videntur haec de legatis dicta, qui Romam venerant misericordiam patrum imploraturi contra iniurias, ab aliquo magistratu sibi illatas.

Fr. 61. [Cort. p. 1004. Gerl. ed. mai. Inc. 58. ad. min. Inc. 25. p. 237, 16. Debr. I, 78.] Donat. ad Ter. Eun. I, 2, 12. Haec de contentionibus civilibus et partibus in republica dicta esse satis patet ex dictione *obviam ire* frequenter a Sallustio de ea re usurpata; cf. Iug. V, 1. *Tunc primum superbiae nobilitatis obviam itum est.* ib. XIV, 25. *Ite obviam iniuriae.* XXII, 3. *Sceleri eius obviam isse.* XXXI, 4. *Obviam ire factionis potentiae animus subigit.* XLII, 1. *Nobilitas Gracchorum actionibus obviam ierat.* Hist. Fr. I, 45, 7. *Agendum atque obviam eundum est.* — *Pariter* Donatus dicit idem esse atque *similiter*, unde patet Sallustium in antecedentibus de alio dixisse, cuius conatus iam repressi fuerant.

Fr. 62. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 5. ed. min. I, 75. p. 196, 7. Debr. I, 81.] Donat. ad Ter. Andr. II, 2, 28.

64. Atque ea cogentes non coactos, scelestos magis quam miseros distringi.

65. Dum inferior omni via grassaretur.

66. Ut tanta repente mutatio non sine deo videretur.

67. Fecit, ut nunciis confestim lugubribus.

Sequitur Incertorum *quinta* classis, quibus factum aliquod continetur, quod quo pertinuerit definiri non potest.

Fr. 63. [Deest apud Cort. et Debr. — Gerl. ed. mai. Vol. III. p. 148. n. 244. ed. min. III, 93. p. 224, 7.] Gell. IX, 12, extr. Eadem habet etiam Non. II, 465. p. 129, 20. Mercer., sed falso laudat ex Iugurthino bello, quo seducti sunt editores, ut Iug. locum c. XCIII, 3. *more ingeni humani cupido difficilia faciundi animum vortit*, respici putarent, quem errorem ibi p. 496. satis redarguimus. Vitiose etiam Nonius *amore* praebet pro *more*. Quae caussa Gerlachium impulerit, ut *tertio* libro Fragmentum insereret, non exputo; neque enim ex verbis ipsis, neque aliunde vel levissimum explicationis prodendae adiumentum peti potest.

Fr. 64. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 110. ed. min. IV, 24. p. 227, 19. Debr. I, 37. IV, 13.] Donat. ad Ter. Hecyr. IV, 1, 21. Quoniam, quid significet *distringi*, constitui nequit, neque magis patet quo *ea* pertineat, aut de quibus auctor loquatur, omnis conatus haec verba interpretandi frustra est. Quare operae non est pretium Debrossii et Gerlachii alucinationes refellere.

Fr. 65. [Cort. p. 1007. Gerl. ed. mai. Inc. 105. ed. min. Inc. 30. p. 237, 20. Debr. II, 58. II, 61.] Macrob. de differ. et societ. gr. latiniq. verbi. p. 693. ed. Gronov. Gerlachius Vol. III. p. 133. verba sic interpretatur: „quum viribus infirmior omnia *tentaret*;“ sed incertissima sunt omnia, quum in singulis nullo pacto decerni possit, utrum proprie an translate dicta sint.

Fr. 66. [Cort. p. 1006. Gerl. ed. mai. Inc. 78. ed. min. II, 57. p. 204, 5. Debr. II, 130.] Donat. ad Ter. Eun. III, 2, 36. Eadem habet Serv. ad Virg. Aen. II, 632., sed sine *repente* voce. Quae mutatio intelligenda sit ineptum est definire velle, quamquam Debrossii et Gerlachii levitas pro explorato habet de Sertorianis militibus ante pugnam apud Saguntum repente magno animo accensis haec dicta esse. Ceterum Servius recte observat *deum* latiore sensu significare *numen divinum*, vel *vim summi numinis*.

Fr. 67. [Cort. p. 998. Gerl. ed. mai. Inc. 8. ed. min. Inc. 8 p. 237, 6. Debr. V, 19.] Charis. II, 14, 36. p. 116. Lindem. (p. 176. Putsch.).

Fr. 68. [Deest ap. Cort. et Debr. — Gerl. ed. mai. Vol. III. p.

68. Eo redeunte domum salutaretur apud aedem Bellonae.

69. Orion oritur *[ut Sallustius dixit]* iuxta solis aestivi pulsum.

70. Rebus supra vota fluentibus.

71. Maxumis ducibus, fortibus strenuisque ministris.

72. Imbecilla est fortitudo, dum pendet.

73. Nubes foedavere lumen.

147. n. 239. ed. min. Inc. 65. p. 239, 12.] Intprr. Virg. a Maio editi p. 43. ad Aen. V, 80.

Fr. 69. [Cort. p. 1011. Gerl. ed. mai. Inc. 205. ed. min. Inc. 60. p. 239, 2. Debr. II, 94.] Serv. ad Virg. Aen. V, 626. Verba ipsa accurate ex Sallustio expressa non videntur, quem *solis aestivi pulsum* dixisse parum est probabile. *Pulsus*, si quid video, hic idem est atque *ictus*: quare sensus est: eodem fere tempore, quo solis ardores maximi sunt, Orion oritur. Res fortasse memorata fuit in expeditionis alicuius vel pugnae tempore constituendo.

